





FRANCISCI BACONI,
BARONIS DE
VERULAMIO,
Vice Comitis S. Albani, & Summi
Angliæ Cancellarii,

OPUSCULA
Historico-Politica,
Anglicè olim conscripta:
At nuper Latinitate donata à
SIMONE JOANNE ARNOLDO,
Ecclesiæ Sonnenburgensis Inspectore.



AMSTELÆDAMI,
Apud HENRICUM WETSTENIUM.
CIↃ IↃ C XCV.

LECTORI SALUTEM.

Cum nihil ferè habeam, de quo Lectorem monere sit necesse, flagitare tantum constitui, ut quos hic vel Anglus vel alius quispiam deprehenderit errores, excusare benigne & gnaviter corrigere velit. Sicuti enim errare humanum, nec à me alienum est, ita benigna de eo censura Lectorum esto.

Annisus quidem sum elegantissimos tractatus, & nitidissimas disertissimi Oratoris orationes, simili cum elegantia & nitore reddere:

Ast perdidisse eas venustatis aliquid: in gentis etiam Anglicanæ ritibus, judiciorum terminis, & officiorum appellationibus, non omnia me (quicquid tandem mea conata fuerit industria) assecutum esse, fateri cur erubescerem? Fatentur his gemina Interpretum plurimi, nec non Clarissimi.

Deinde nemo existimet, minime his temporibus congruere, quæ de Bello cum

Hispanis gerendo, & Pontificiis Regum vitas tentantibus, hic immiscuit Author. Illud enim, ut istius ævi erat progenies, ita nunc immutato rerum statu, docet; Arcano potius Dei consilio, quam Imperantium, & Consulentium arbitrio fieri, vigere etiam, Regnorum fœdera & dissidia. Circa hoc observari meretur, pluribus abhinc annis, nihil tale auditum fuisse, & posse rem omnem personarum potius, quam religionis videri vitium. Sic bene Te, Lector, valere opto, & si Deus annuerit, epistolas Verulamii expectare jubeo.

TY-

TYPOGRAPHUS LECTORI S.

HIs quæ Rev. Interpres præfatus eſt, paucula addo de hac editione noſtra. Exemplar ex quo illam expreſſimus prodiit ſuperiori anno in Germania; ita tamen vitiis ac mendis Typographicis fœdatum & conſpurcatum, ut vix legi, ac profecto plurimis locis haud intelligi poſſit. His ivimus obviam pro viribus, & reſtituimus quæ depravata erant ſatis feliciter: exceptis pauciſſimis, quibus mederi ob defectum autographi Anglici non potuimus. Si quis vero hanc noſtram cum priori illa editione contulerit, Augiæ ſtabulum repurgaſſe videbimur. Tu Lector fruere labore noſtro ac vale.



INDEX EORUM

Quæ hoc volumine continentur.

Co-

INDEX.

Oratio



FELIX

FELIX SCOTIÆ
CUM
ANGLIA UNIO.

BREVIS DISSERTATIO
De
FELICI SCOTIÆ
CUM
ANGLIA UNIONE.

Privatim dicata S. R. Majeſtati.



EGo mirari nequeo, (Rex eminentiſſime) quod aliqui putaverint *Heracliti* (cognomento Obſcuri) librum, (nunc non extantem) fuiſſe *Diſſertationem de Natura*; alii verò Tractatum de rebus Politicis fuiſſe judicaverint. Magna enim eſt affinitas & conſenſus *Naturæ & Politiæ regulis:* Illa nihil aliud eſt, quam ordo, quo mundus regitur, hæc itidem ordo, quo homines in Republica gubernantur. Hinc educatio & eruditio *Regum Perſiæ* circa *Magiam* verſabatur. Scientia, cujus nomen olim venerabile, nunc verò criminis nota. Erat enim *Perſarum Magia* ſeu Regum ſecreta inſtitutio Applicatio contemplationum & obſervationum Na-

Naturæ ad sensum Politicum: ac si Naturæ Leges in membris casibusque suis essent fundamentum, origo & exemplar, quod imitari civile regimen debeat, & inde transscribi quasi apographum.

Vi hujus Methodi, dicti Præceptores ob oculos Regum posuerunt *cœlestium corporum* imagines, *Solem*, *Lunam* & alia sydera, quorum ingens est splendor & dignitas, requies verò vel remissio nulla. In perpetuo motu consistit officium eorum, quo (per vices vagando) inferiora fovent corpora, sicque adumbrant veram motuum formam in Republica; qui licet celeres & rapidi esse debeant, ratione executionis & opportunitatum captandarum, nihilominus tamen & constantes, ordinisque tenaces esse debent, absque fluctuatione & confusione.

Sic docuerunt Cœlos non colligere divitias ex Terra & Oceano, neque mortuum penu aut non tangendos servare thesauros ex iis rebus, quas attraxerunt ab imis. Sed quamcunque humiditatem elevant, & ex utroque elemento per vaporem accipiunt, large per imbres reddunt; saltem coacervantes eosdem & detinentes aliquamdiu, donec maxime opportuno tempore distribuere queant.

Primario autem eam *fundamentalem Naturæ Legem* exposuerunt, qua omnia subsistunt & conservantur: videlicet, omne ens naturale, quamvis privatum & peculiarem habeat affectum seu appetitum, quem sequitur in rebus levis momenti, & quando liberum

liberum eſt à generaliori & magis urgente neceſſitate ; attamen, quando Totius conſervatio in quæſtionem venit, unumquodque relinquit partes ſuas, & ad conſervationem illius conſpirat.

Sic videmus Ferri particulam adſcendere & appropinquare ad magnetem, propter Sympathiam ſibi propriam. Verum ſi quantitas ejus ſit alicujus momenti, deſerit appetitum ſuum, & cum magnete amicitiam, & tanquam bonus Patriota ad Terram recidit ; quæ gravium corporum locus eſt & Regio.

Sic etiam Aqua, aliaque corpora ad centrum terræ decidunt, quæ (ut jam dixi) regio eorum eſt & Patria. Nihilominus in hydraulis videmus, aquam malle aſcendere, quam permittere diſtractionem ſeu diviſionem in natura, & ſic relinquere amorem patriæ ſuæ, jungendo ſe corpori maxime ſibi vicino.

Verum nimis longa foret digreſſio, ſi plura hujus generis proponerem exempla. Ipſa *Majeſtas* veſtra ejuſmodi quid elocuta eſt in clementiſſima ad ſenatum gratiarum actione, ejusdem vigilantiam & felicia miniſteria, vere Regiè agnoſcens, & annotans, ſucceſſum & Eventum fuiſſe ſupra Naturæ curſum, ſcilicet: Tantam cernere *mutationem* cum tanta *Quiete*. Nam quemadmodum ſubitæ mutationes in Politia æque ac in Natura, raro citra violentiam & perturbationem fiunt : Ita confirmor in ea opinione, quod (ut dictum) congruant Naturæ

& Politiæ principia. Et ne forte illud idem exemplum videatur oppositum Assertioni huic, liceat per Majestatis vestræ favorem in hoc ipso negotio Typum ex Natura petitum referre ad repræsentandum rerum modernarum statum. Terræ motus puto, quorum multi terrent quidem & in admirationem rapiunt homines, sed actu damnum inferunt nullum. Movetur terra exiguo tempore, & subito iterum firmata penitus, ut ante, quiescit.

Hujus igitur scientiæ, qua mundi gubernatio fit speculum Politici regiminis, & fere in deperditis numeratur; (cujus rationem auguror esse difficultatem ejus; quandoquidem homo unus non sufficiat utrique Philosophiæ) experimentum facere constitui (quantum quidem per tenuitatem meam & angustiam temporis licet) eamque resuscitare tractando speciale quoddam opus, Majestati vestræ humillime consecrandum. Nam sicuti est Methodus differendi, olim ad erudiendos Reges adhibita, ita nullum Regem decebit magis quam illum, qui contemplativam virtutem Activæ jungere studet.

Majestas vestra inter Reges primo eum nacta est Honorem, quod appellari possit *Angularis lapis*, super quem duæ illæ potentes & bellicosæ nationes Anglorum & Scotorum unitæ sunt, ut uni nunc obtemperent Domino & Monarchæ. Neque ex Historiis neque ex fabulosis relationibus aut traditionibus innotescit Insulam hanc, Magnam Britanniam, olim sub uno coaluisse Rege, priusquam

id

id hoc ipſo fieret die. Licet nulla montium juga, æquora nulla, nec ingentia flumina, nec ſermonis diverſitas gentes has diſcriminaverint, aut diviſionem aluerint. Sors fuit Hiſpaniæ diverſa illius continentis regna (Portugallia excepta) unire ſibi ſeculo non dudum elapſo; Et hac ætate noſtra, acceſſit quoque Portugallia, poſtrema eorum, quæ in unum conſenſerunt Dominum. Sors quoque fuit *Galliæ* circa idem fere tempus jungere ſibi Ducatus Ditionesque olim avulſos. Sors *Inſulæ* hujus ultima Majeſtatis veſtræ ſinui reſervata eſt ſingulari Dei providentia ac Benignitate; qui Majeſtatem veſtram ad felicem hanc conjunctionem perduxit, in robore annorum & maturitate Experientiæ cum magno ſubjectarum mentium conſenſu. Reſtat igitur ut (juxta promiſſum) Majeſtati veſtræ exponam, quibus *Naturæ principiis* unio mixtioque corporum inſiſtat, & quomodo reſpondeant Politicis regulis in conjunctione ſtatuum & Regnorum.

Primo autem theſis illa, *Vis unita fortior*, quandoquidem vulgata mentis notio eſt, probatione vel illuſtratione haud eget.

Sol Leonem ingreſſus ibidemque ſubſiſtens majorem cauſatur ardorem, quam in Cancro diverſatus, licet tum magis perpendiculares ſint radii ejus. Ratio hujus maxima ex parte conjunctioni & unioni quatuor ſtellarum primæ magnitudinis, ſcil. Syrii, Caniculæ, Cordis Leonini & Caudæ cum ſole adſcribitur.

Sic Luna in Leone exiſtens juxta cor poſita eſſe vulgo dicitur, non quod locus ille cœ-

lestis affinis sit isti corporis humani membro; sed quoniam luna tunc maximo vigore influit ob conjunctionem & vicinitatem stellarum supra dictarum, in partem illam corporum inferiorum, quæ maxime vitalis & principalis est, perquam efficax.

Sic videmus aquas & liquores in exigua quantitate subsistentes facile putrescere ac corrumpi: verum in majori quantitate cum servantur, diutius subsistunt & conservantur unionis virtutes.

Sic quoque Terræ motus minus nocent qui universales sunt, propter unitum pondus, quod concutiunt, & subruere nituntur: coarctatæ vero & particulares terræ concussiones, sæpius integras villas & urbes subverterunt.

Hac igitur ratione *vis unionis* patet: quare & de *unionis modo* loqui conveniens erit: non tamen de illo genere, quod per victoriam fit, uno aliquo corpore alterum penitus absorbente, & in suam convertente naturam, imo expellente seu extinguente, quodcunque vincere nequit. Veluti ignis ligno unitur, fumum separando & cineres relinquendo, utpote quæ in suam essentiam transire nolunt. Aut sicuti animantis corpus cibum & nutrimentum in suam convertit substantiam, separando & egerendo quæ converti nequeunt. Hæc enim in Politicis repræsentant unionem terrarum per oppugnationem, qua victores delent, exstirpant aut expellunt bello victos, illos præsertim quos immutare non possunt. Linquimus igitur violentas

violentas rerum uniones, easque quæ Naturæ congruunt considerabimus.

Insignis est apud Naturæ Curiosos Distinctio inter Compositionem & Mixtionem. Illa enim est Conjunctio corporum quoad locum, hæc quoad qualitates & consensum. Illa seditionis mater est & immutationis: hæc pacis & continuæ perseverationis. Confusio potius illa est quam unio; hæc unio proprie dicitur. Ideò corpora *imperfecte*, ut loquuntur, mixta non subsistunt diu, & brevi dissolvuntur. Exemplo sit *Nix* vel *Spuma*, ex aqua & aëre composita; aqua enim subito ad se remeans & aërem excludens dissolutionem accelerat.

Sic tria illa corpora, à Chymicis tanquam rerum omnium principia celebrata, *Terra*, *Aqua* & *Oleum*, (seu ut ipsi loquuntur *Sal*, *Mercurius* & *Sulphur*) videmus per compositionem unita, infirme & rude cohærere: Aqua & Terra limum tantum conficiunt, quando agitatione miscentur; illa autem cessante in fundo considet terra: Sic licet Aqua & Oleum agitatione in unguentum coalescant, attamen illa cessante oleum summitatem occupabit: Imperfectæ itaque illæ mixtiones non amplius durant, quam dum violentia coërcentur, in fine tamen semper quod generosius est summum occupat locum.

Aliter verò se habet perfecta mixtio: Nam videmus tria illa corpora, Terram, Aquam, & Oleum in vegetabilibus & mineralibus unita, adeo firmiter cohærere, ut sine arte subtilissima & extractione violenta separari non

poſſint. Differt ergo compoſitio à mixtione in eo, quod illa ſit unio corporum abſque forma noviter ſuperinducta; hæc autem eſt unio, qua corpora unita novam induunt formam. Forma autem illa nova eſt *commune vinculum*, abſque quo corporum priores formæ inter ſe pugnarent.

Hoc *Naturæ Lumine* ut adumbremus res in Imperio gerendas, obſervandum eſt, etiam duplicem in Republica eſſe regnorum & ſtatuum unionem. Alia antiquam retinet formam, regnis adhuc diviſis unum agnoſcentibus Dominum: Alia eſt, qua nova ſuperinducitur forma, toti Reipublicæ conformis. Prior uſu receptior eſt & facilior; poſterior autem felicior. Nam ſi aliquis diligenter relegat hiſtorias omnium gentium, & inde judicet, certe concludet: Quod nulla gens melius univerit populos quam Romani. Hi autem, quoniam optimam formarunt Rempublicam, evidentiſſimum nobis dabunt exemplum, cui præcipue inhærere lubet.

Virgilius de originibus Romanis locutus, Jovem ſiſtit vaticinantem de Trojanorum ac Italorum mixtione.

Sermonem Auſonii *Patrium, moresque tenebant,*
Utque eſt nomen erit; commixti corpore tantum,
Subſident Teucri, *Morem, ritusque ſacrorum*
Adjiciam, faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus Auſonio *miſtum, quod ſanguine ſurget,*

Supra

Supra homines, *supra ire* Deos *pietate videbis*.

Hic Jupiter indicat Italiam collaturam sermonem & leges, Trojam homines præbituram & ritus religiosos, & sic utramque gentem sub uno Latinorum nomine coalituram.

Mox post jacta Romæ fundamenta, Romani Sabinique ex æquo miscuerunt populum suum. Nam (Livio referente) à Romanis urbs dicta est, Sabini populo dederunt Nomen, Quirites enim à Cures descendit, Tatii patria.

Hoc autem præcipue in continua Reipublicæ administratione observandum: quod Jus civitatis adeò liberaliter concesserint, ut inde appareat, non nisi perpetuam eos fecisse mixturam. Nec solum Personis singulis, verum etiam Familiis illud largiti sunt, imo civitatibus integris & Regionibus, adeò ut tandem communis Patria Roma diceretur, Politicis quibusdam id asserentibus.

De Paulo legimus, quod flagellorum verbera privilegio civis Romani declinaverit, & miranti Centurioni, quærentique: Dic mihi, Tune Romanus es? Ego multa summa civitatem hanc consecutus sum: regesserit; Ego autem sic natus sum.

Licet enim alio in loco asserat se Judæum esse natione, manifestum tamen hinc est, majores ejus, qui jus civitatis Romanæ adepti erant, ad ipsum & alios à se genitos detulisse seu derivasse illud.

Prima contumelia in Julium Cæsarem col-

lata fuit, quod civis ex urbe Gallicana, quam Civitate donaverat Julius, flagris cæsus fuerit, jubente Marcello Consule.

In Tacito legimus quod Imperante Claudio illius Galliæ, quæ Comata appellatur & magis barbara est, *jus adipiscendorum in urbe honorum expetierint, & quamvis multus ea super re, variusque rumor, & studiis diversis apud Principem certatum fuerit, admissi tamen sunt.* vid. Tac. Annal. II. 23.

Nec contemnenda est *Nicolai Machiavelli* autoritas, qui investigans causas incrementi Imperii Romani, existimat, prægnantiorem non fuisse, quam quod tam facile nationes alias in civitatem admiserint & sibi inseruerint.

Verum quidem est gentes alias & regna altera illa ratione univisse sibi terras. Sed consequens fuit: quod plurium regnorum & Territoriorum additio magis fuerit ipsis onus quam potentiæ incrementum: alueritque rebellionis & defectionis semina in annos plures. Cernere id licet in Arragoniæ regno, quod Castiliæ unitum per connubia, non verò per victorias; plus centum annis adhæsit illi jure hæreditario, per rebellionem tamen prætextu Libertatum vindicandarum susceptam, nuper defecit, quoniam diverso fruens regimine, cæmento firmiori non fuerit agglutinatum, & penitus insertum, seu, ut vulgo loquuntur, incorporatum aliis regnis.

Jam ut breviter explicem diversa perfectæ illius unionis, qua status & imperia jungi possunt,

possunt, membra, aio quatuor esse, excepto summo Dominio, sub quo jungi debent: *Nomen*, *Linguam*, *Leges* & *Officia*.

Nominis unio quanquam superflua & extrinseca videri possit, magna tamen vi pollet. Commune *Græcorum* nomen conjunxit eos (inter se alias maxime divisos) contra gentes, quas barbaras vocitabant. *Helvetiorum* nomen non leve vinculum est, utpote quo firmiter constringuntur pacta & fœdera eorum. Commune *Hispanorum* nomen sine dubio singulare fuit medium ad unienda, & in unione conservanda Castiliæ, Arragoniæ, Granatæ, Navarræ, Valentiæ, Cataloniæ regna, & alia; quibus nuper Portugallia quoque accessit.

De *Lingua* quicquam fari necesse non est. Eandem enim linguam, qui utrumque Majestatis Vestræ regnum incolunt, loquuntur, diversis licet dialectis; & differentia hæc. quæ exigua admodum est, copiam potius unius linguæ promittit, quam continuationem binarum.

Leges, Reipublicæ nervi præcipui, triplices sunt: *Jura*, quæ & Libertates dici queunt, *Leges* & *Mores*.

Jura apud Romanos quadruplicia erant: Jus *Connubii*, *Civitatis*, *suffragii*, *Petitionis seu Honorum*. Jus *Connubii* nunc exolevit; Matrimoniis inter maxime diversas nationes permissis. Jus *Civitatis* respondet in nationem Receptioni. Jus *suffragii* respondet voto in Parlamento. Jus Petitionis respondet dignitatibus Consiliariorum, aliorumque of-

ficiorum. Romani autem hæc separarunt, concedentes jus *Connubii* sine Civitate, & Civitatem sine suffragio, & suffragium sine jure Petitionis, quod communiter ultimo largiti sunt.

Leges ut combinentur non necesse est, omnes particulares extirpare consuetudines, aut singulos in unum locum & Judicium cogere subditos. Inconveniens id foret, & inutilis curiositatis. Sufficit si conformitas sit legum præcipuarum & fundamentalium in rebus Ecclesiasticis æque ac Politicis. Nam hic valet regula Patris cujusdam diversitatem rituum in Ecclesia concernens. Legerat ille in Psalmo, Reginæ (Ecclesiam hæc denotat) vestem versicolorem fuisse; legerat item Christi tunicam insutilem extitisse: *In veste varietas sit, scissura non sit.*

Morum consensus quærendus est sedulo, nulla autem vi cogendus. Nihil enim facit gentes morosius & pertinacius observare mores suos, quam subitanea ac violenta vis, quæ eos tollere satagit.

Officiorum unio ab indifferenti manu perfici potest, si observetur versus ille: Tros, Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.

Restat ut ex naturæ fundamentis conditiones *perfectæ mixtionis* addamus. Illarum prima tempus est: Nam bene Physici dicunt, *compositionem* esse *Hominis opus, Mixtionem Naturæ.* Hominum est corpora jungere, Naturæ autem & Temporis per fermentationem & insertionem ea penitus unire. Immatura autem festinatio turbat opus, non promovet. Sic

Sic surculus stipiti insertus & bene munitus tempori Naturæque relinquitur ut *continuum* fiat, quod *contiguum* fuit: nec si continuo comprimamus aut collidamus, naturæ operationem prævenimus, sed impedimus & retardamus potius. Sic in liquoribus, qui commixti turbidi existunt, clari fiunt & sedantur quietis temporisque beneficio.

Secunda conditio est, ut à Majori minus trahatur. Sic luminibus duobus concurrentibus, minus à majori obfuscatur. Rivus minor in majorem cum influit, & nomen suum perdit & flumen. Exemplum ejus in regnis Judæ & Israël illustre cernimus. Illud duas comprehendebat tribus, hoc decem. Regnum Judæ tenuit David aliquot annis & post mortem Isboseth filii Saul regnum Israël quoque obtinuit. Unio hæc sub ipsius & filii ejus Salomonis imperio continuata est per 70. ad minimum annos: Attamen quoniam Regni sedes in Juda manebat, major pars minorem trahere conabatur, ideoque prima oblata occasione divellebantur regna, perpetuoque divisa manebant.

Hæc Majestati Vestræ de fructibus pietatis meæ & studiorum humillime offerendo, precor, iterumque precor, non tanquam impossibile (quantum quidem ego concipio) ut felix hæc unio Angliæ & Scotiæ sub auspiciis Majestatis Vestræ cœpta tam fausto sydere & tam benigna Dei providentia contingat, qualis Romanorum & Sabinorum facta est.

ARTICULI QUIDAM
SEU
CONSIDERATIONES
UNIONEM REGNORUM ANGLIÆ ET SCOTIÆ
concernentes.

In usum S. R. Majestatis collectæ.

NUllus dubito, quin Majestas Vestra meliori Oraculo erudita quam illo quod Æneas in peregrinatione accepit (*Antiquam exquirite Matrem*) regio & vere heroico flagret desiderio duo illa Angliæ & Scotiæ regna unire & ad primitivum Britanniæ imperium reducere. Qua in re uti libentissime applauderem Majestati Vestræ, illudque: *sic itur ad astra*, sonora voce intonarem; ita cogor tenui summissaque voce revocare in mentem monitum illud: *Ardua quæ pulchra*. Negotium est, quod indiget non solum *sapientia* Majestatis Vestræ, verum etiam *Felicitate*. Ausus sum in principio regiminis Majestatis Vestræ paucas ducere lineas argumentum hoc tractantes; verum scholastica id feci methodo seu speculativa, non activa seu politica; Illud enim tunc me decebat, quando nec Majestas Vestra hanc suam intentionem declaraverat, nec mihi provincia hæc demandata fuerat. Jam verò ubi manifestavit Majestas Vestra desiderium suum etiam cum admiratione illorum, qui haud

haud approbant; ego quoque Inferioris Parlamenti votis ad hoc ipſum delectus ſum; non æſtimatione virtutum mearum (circa has enim tam ſapiens conſeſſus falli nequit) ſed cognitione laborum meorum & integritatis in negotio iſto; Omni modo obſtrictum me ſenſi, tum ratione debiti mei erga Majeſtatem Veſtram, tum ratione fidei, quam Parlamentum illud in me ſuſpicit, tum quod ipſa materia id à me exigat, meusque ſtudiorum & vitæ curſus. Hic nulli parcam labori, qui tam eximium promovere queat opus. Contendam etiam, ut illud, quod exhibiturus ſum, ſit *nihil minus quam verba*. Prolixitas ſermonis & ornatus illos decent, qui multitudini perſuadere conantur, non verò eos, qui Reges inſtituunt, & in ſpecie talem Regem, qui, quod ſciam, ſolitarium eſt exemplum probans veram eſſe Platonis opinionem, quod *omnis ſcientia ſit ſolum reminiſcentia*, & quod mens humana omnia ſciat, ac tantum opus habeat, ut ipſius propriæ notiones excitentur. Hoc Majeſtatis Veſtræ rarum & revera ſingulare donum & facultatem promptæ apprehenſionis & infinitæ extenſionis ſeu multiplicationis ad percipiendas aliorum notiones ſcientia propria, ut ſæpiſſime obſervavi, ita vehementer admiratus ſum in *Goodvini* cauſa. Ea enim ſecretorum & myſteriorum Legis pleniſſima, Majeſtati Veſtræ penitus nova, & extra inſtitutionis, lectionis converſationisque cancellos poſita, adeò feliciter innotuit, ſcintilla tantum luminis ſparſa, tamque dexterè &

rè & funditus cognita fuit, ac si omnino *Anima Legis* Majestas Vestra fuisset, non tantum executione, verum etiam cognitione; Memoria hujus negotii ut nunquam excedat mentem meam, ita semper me monebit, excitandum potius esse judicium Majestatis Vestræ brevissimis, quam informandum cum tædio maxime in ejusmodi negotio, quod à regiis Majestatis Vestræ cogitationibus proficiscitur, ipsique familiare est: Si enim illud aliena luce non indiguit, multo minus hoc indigebit, utpote cujus præcipua lux ab ipsa Majestate Vestra effulsit.

Meus igitur scopus solummodo est, hanc de *Unione* Materiam in brevissimos articulos ac quæstiones dispescere; & quasi quandam anatomiam aut analysin ejusdem partium & membrorum instituere. Non tamen ac si vellem, ut omnes quæstiones nunc proponendæ, dignæ forent, quæ in Commissariorum consultatione examinentur. Nam nihil sanis consiliis magis inimicum esse arbitror, quam quæstionum multiplicationem, præsertim ubi multi sunt qui consultant. Principes quidem ne distrahantur eorundem consilia, multa coguntur bona venia admittere; Si autem quæstiones inde formari videant, satius est, ut ab aliis proponi finant, quam ut authoritate sua inventas & propositas esse doceant. Privatis igitur meditationibus Majestatis Vestræ, cujus non tam consiliarium quam monitorem (*μνήμονα*) me esse decet, exhibere volui omnes hujus unionis partes, formas & gradus, quo iis

eorum-

eorumque circumstantiis consideratis Majestas Vestra clare discernere, & prompte in mentem revocare queat, quæ amplectenda quæve rejicienda sint. Et quæ ex his, quæ amplectenda Majestas Vestra censet, illico perficienda, aut in aliud tempus differenda: Iterum quæ Parlamenti consensu stabilienda aut sola Majestatis Vestræ regia potestate seu prærogativa, aut aliis politicis artibus mediisque confirmanda: & denique quæ difficultatibus contradictionibusque obnoxia erunt, aut facili negotio leniter procedent.

Prima igitur sit quæstio, extra quæstionem, ut puto, mox futura. An non congruum sit revocare statuta illa, quæ de Scotia, seu Scotiæ incolis sancita fuere, cum divisa essent imperia?

Diversi hæc sunt generis, aliæ enim considerant Scotiam tanquam inimicorum terram, aliæ tanquam exterorum regionem, e.g. Lex Richardi II. Anno 70. quæ prohibet armorum alimentorumque in Scotiam deportationem: & Lex 7. Henrici VII. quæ Scotos intra certum tempus regno excedere jubet, & aliæ plures Scotos tanquam hostes considerantes. Lex autem 22. Eduard. IV. quæ oppido BARWIK emporii jura concessit, ut ibi Scoticæ merces in Angliam transportandæ venum exponerentur, & vice versa Anglicæ merces in Scotiam deferendæ: terram hanc velut exterorum patriam respicit, imo & minus: nam in ipsa Anglia emporia sunt, cum exclusione & restrictione aliarum provinciarum.

Sed

Sed res hæc est minimæ difficultatis; poterit enim Majestas Vestra habere Catalogum legum ejusmodi, earumque compendium, & sic dijudicare illas. Scoticæ autem leges Angliam Anglorumvè gentem concernentes pari ratione examinandæ erunt.

Secunda quæstio est, quæ leges, consuetudines, mandata, officia, Præsidia & similia abroganda erunt in limitibus utriusque regni. De hac quæstione, quoniam finium ratio non æque mihi cognita, pauca dicere queo.

Hic coincidit quæstio, num inquilini, agris suis majori cum libertate ac immunitate fruentes, ob servitia in limitibus frequentius præstanda, & num ipsæ illæ ditiones, quæ eadem de causa à tributis aliisque oneribus immunes fuerunt, ad eundem statum cum aliis inquilinis, provinciisque reducendi sint; *Nam cessante causa, tollitur effectus.* His autem me judice aliquandiu indulgendum: *quia adhuc eorum messis in herba est.* Præsens tamen statutum, felix propediem sequeretur effectus, quandoquidem ista divisorum regnorum maxima sunt indicia. Ratio autem dictat, ibi emplastrum esse applicandum, ubi maxime hiulcum patet vulnus. Sequerentur deinceps alia consilia ad totalem perpetuamque confusionem *imaginariorum* illorum limitum (ut Majestas Vestra eos appellare placuit) inque considerationem eveniret, annon conveniens foret in Oppido *Carlile* vel *Barvvik* erigere curiam vel Judicium, cujus Jurisdictio tum in Angliam, tum

tum in Scotiam se extenderet, inque mandatis haberet, ne secundum alterutrius regionis leges consuetudinesque ferret sententiam, sed promiscue juxta instructiones à Majestate Vestra tradendas; ad imitationem Judiciorum, quæ cum Wallia uniretur Angliæ, circa fines constituta sunt.

Tertia Quæstio est in multorum opinione magna, exigua tamen forsitan apud Majestatem Vestram, videl: an Majestas Vestra hic subsistere, nec ad penitiorem unionem procedere debeat, prioribus illis duobus modis contenta.

Dicitur etenim, sat bene jam nobiscum agi (Gratiæ autem sint Deo dictæ) & Majestatis Vestræ ac utriusq; regni conditionem esse talem, cujus minime pœnitere possit; atque hic verum est, quod *Hippocrates* affirmat: ***Sana corpora difficile medicationes ferunt***, felicius in ægro corpore quam in sano alterationes fiunt. Hoc si consideretur, duo examinanda erunt: Alterum est, quæ incommoda nondum prævisa nec dum enata sequentur postmodum, si regna ita, ut sunt, permaneant divisa. Nam fieri potest, ut suavitas primi Majestatis Vestræ ingressus, aliaque beneficia, quæ ambæ inde perceperunt nationes, contegant sopiantque incommoda plurima; quæ nihilominus non obstante gratiosissimo Majestatis Vestræ imperio, eoque sapientissime ordinato, temporum decursus, variique temporum casus gignent & retegent, si sic divisæ manebunt gentes.

Alterum est; concesso quod nulla incommoda

moda magna aut pericula continuam regnorum divisionem comitari possint; inquirendum tamen è regione est, annon firmior unio addere & augere possit eas divitias & gloriam, quæ Majestatis Vestræ decent virtutes & fortunam, dignam certe, quæ tanti incrementi & existimationis author sit, ac ad regiæ suæ stirpis seros demittat nepotes.

Demus igitur, progrediendum esse Majestati Vestræ ad perfectiorem & penitiorem unionem, de qua Majestas Vestra dicere queat, *majus opus moveo*; necessarium esse judico, si membra & gradus ejusdem delineari debeant, ut quasi in tabula describantur ea, in quibus jam dum unitæ sunt nationes istæ, & in quibus adhuc divisæ existunt. Sic Majestas Vestra cernet, quid factum, & quid adhuc faciendum sit, & quomodo ex iis, quæ facta sunt, cognosci possint ea, quæ fieri debeant.

Sunt autem illa, in quibus nationes jam unitæ sunt, sequentia: Summa potestas ejusque correlatum: *Subditi*, *Religio*, *Terra continens*, *sermo*, & tandem pacis, quam Majestas Vestra cum Hispanis pepigit, *Fœdera* & *Pacta*: nunc enim utrique genti iidem sunt amici & inimici.

Nullum tamen horum perfecte pleneque mixtum est, sed unumquodque eorum grana quædam divisionis retinet.

Summa potestas quidem absolute in Majestate Vestra, ejusdemque progenie unita: verum si linea hæc (quam tamen Deus secundum infinitam suam misericordiam conser-

vet

vet semper) deficeret, tum posteri utriusque regni ad diversas regiæ stirpis lineas relaberentur.

Subditos quod attinet, existimo legem Anglicanam (quæ Scotica sit ignoro) satis apertam esse, quod Scoti ab ipso Majestatis Vestræ regni principio omnes facti sint indigenæ, & quod illi, qui post nascentur, natura subjecti sint Angliæ in omne futurum ævum: nam secundum leges nostras nullus potest esse *alienigena* nisi qui alii quam regi nostro fidelitate obstrictus vivit. Sunt autem alienigenæ duplices, amici & inimici. Illi subditi sunt Reipublicæ, quæ Regi amica; hi subditi sunt Reipublicæ nobis adversæ: quales quales autem sint, essentialis eorum differentia est, fide Regi nostro non obstringi. Id cernere licet in Hibernia, cujus incolæ ex illo tempore, ex quo Angliæ paret, tanquam naturales subditi fuerunt existimati; Non quidem *statuto* aliquo aut *Parlamenti sententia*, verum *lege communi* & rationibus inde deductis. Sic nullum est dubium, quin omnis Scotiæ incola, eodem loco & gradu ponendus sit post adventum Majestatis Vestræ, ac si unicuique in specie Majestas Vestra literas indigenatus seu civitatis jus concessisset. Qui autem post nascentur, ipso nativitatis jure tales erunt. Verum enim verò eorum, qui ante nati fuerunt, temporibus scilicet præterlapsis, sanguis seu progenies lege non est civitate donata; nam à majoribus suis tale quid derivare nequeunt citra Parlamenti statutum. Et sic etiam circa

sub-

ſubditos defectum quendam unionis advertere licet.

In *religione* unio perfecta eſt, quoad doctrinam, quoad diſciplinam vero & regimen imperfecta.

Continens terra nullis naturæ limitibus diſpeſcitur, quales ſunt montes, æquora, fluvii; ſunt tamen inter utrumque regnum limitum indicia ac monumenta, de quibus alibi dictum eſt.

Circa *ſermonem* verum eſt, nationes has unius eſſe labii, neque prima illa diviſionis gentium ratione, h. e. *confuſione linguarum*, propter quam alter alterum non intellexit, ſeparari. Dialecto tamen, quæ diviſionis ſignum eſt, differunt. Verum *tempori hoc permittendum*: nam quoniam utraque lingua in eo, quod uniuscujuſque linguæ primarium munus eſt, videlicet animi ſenſa explicare, convenit, diverſitas hæc potius dialectorum erit (ut jam dictum eſt) quam ipſius linguæ; & probabiliter inde alterutra diteſcet, aſſumendo genuina & maxime ſignificantia verba.

Verum quoque eſt quoad *Pacta* & *Fœdera*, neutram gentem eos agnoſcere hoſtes, qui alterius ſint amici, ita tamen, ut fœdera hæc ſancita ſint ſeparatim cum alterutra gente, non autem cum utraque junctim; hinc diverſitas quædam emanare poſſet, adeo ut amicitiæ cum alia poſſint eſſe arctiores, quam cum altera.

Veruntamen ex hiſce plurima talia eſſe poſſunt, quæ cadant ſub regulam illam: *In veſte varietas ſit, ſciſſura non ſit.* Jam

Jam igitur ut deſcendam ad ea in ſpecie, ſecundum quæ regna hæc diviſa ſunt, præter ſex illa nunc tanquam defectus aut decrementa unionis propoſita, nec denuo repetenda: iſta, inquam, diſtinguam in *externa* & *interna*.

Externa ſunt quatuor, 1. *Corona diverſa, Ceremonialem & Materialem* indigito.

2. Nomina diverſa, ſtylus & appellatio.

3. Sigilla diverſa.

4. Monetæ diverſæ inſcriptiones & effigies.

Fateor autem externa hæc unionis membra reſpicere quodammodo interna unionis argumenta, & æque ac iſta veram afficere poſſe unionem, quæ temporis opus eſt; nam agunt in mentem & opinionem populi; cujus corda & affectus ut uniantur, non ſolum eſt anima, ſed & ſcopus operis hujus.

Coronas quod attinet, quæritur, an nova eaque unica formari debeat *Corona Imperialis Britanniæ* dicta, futuriſque temporibus uſurpanda.

Et hoc admiſſo, an in formatione reſpectus haberi debeat ad Coronas Hiberniæ & Galliæ.

Item, an Majeſtas Veſtra repetere ſeu iterare debeat coronationem ſuam & Reginæ, vel tantum præcipere, ut ejuſmodi corona à poſteris uſurpetur.

Difficultates hinc enaſcentes erunt in opinione inæqualitatis, qua Scotiæ regnum putabitur eſſe acceſſorium ad Angliæ regnum.

Verum

Verum hoc in quibusdam ſolummodo circumſtantiis ſitum eſt: nam utriuſque coronæ conjuncta formatio fit ex æquo; ejusdem appellatio Britannica dicta, itidem æqualis eſt. Solus coronationis locus, ſi is Weſtmonaſterienſis Eccleſia eſſet, ex antiquo more tanquam auguſtiſſimus & ſacer locus regum Angliæ coronationi dicatus, poſſit videri inæqualitatem inferre: Et porrò, ſi Scotiæ corona ceſſat, ritus quoque ille in Parlamentis frequentatus, quo abſente rege coronam ſolenniter circumferunt, ceſſabit.

Circa *Nomen* quæſtio eſt, an Majeſtas unico *Britanniæ* nomine, an verò *Angliæ* & *Scotiæ* diviſis appellationibus inſigniri debeat.

Conceſſo, mutationem hac in re faciendam, hæ quæſtiones conſiderandæ erunt. Primò: Utrum *Britanniæ* Nomen in Majeſtatis Veſtræ titulis integre recitatis adhibendum ſit, in aliis verò formulis diviſa adhiberi debeant nomina, tum regnis tum populis propria. An verò & ipſa tum regnorum tum populorum diſtincta nomina permutari debeant in ſpeciales denominationes ſecundum generale nomen illud. Exempli cauſa: An Majeſtas Veſtra in titulis ſuis dici debeat Rex Britanniæ, Galliæ & Hiberniæ &c. & nihilominus in Mandatis, Reſcriptis, aliiſque, in quibus Angliæ vel Scotiæ mentio fit, vetera retineri debeant nomina, *ſecundum conſuetudinem regni noſtri Angliæ*. Vel an diſtincta illa nomina in perpetuum abjici debeant & cedere ſubdiviſioni regionis in meridionalem & ſepten trionalem Britanniam, & populus pariter

ſic

ſic diviſus ſecundum orbis plagas denominandus ſit. Adeo ut juxta exemplum ſuprà allatum verba ſic fluant, *ſecundum conſuetudinem Britanniæ Auſtralis.*

Porrò ſi prius placeat, quæretur, an non deceat Majeſtatem Veſtram hanc titulorum mutationem indicare per Proclamationem, quod & Eduardus tertius circa titulum Galliæ fecit, ac deinde confirmare Parlamenti ſententia.

Poſſet quæri, annon conveniens foret, Hiberniæ Regnum proxime à Britannia collocare loco, ſicque conjungere inſulas: Galliam verò in continenti ſitam ultimo ponere. Oceani enim occidentalis Inſulæ videntur natura & Providentia integrum per ſe conſtituere imperium: nec unquam ejuſmodi regem vidit Anglia, qui univerſam poſſideret Hiberniam, ac Majeſtas Veſtra. Unde ſequeretur ita ordinanda Titulorum eſſe verba: *Rex Britanniæ, Hiberniæ*, adjacentium Inſularum ac Galliæ: difficultates hic oriundæ jam ſatis ſuperque examinatæ fuerunt, & ad duas reduci poſſunt: Prior eſt reſpectus honoris amorisque erga vetera nomina. Altera dubium creat: annon nominum mutatio inducere poſſet legum reipublicę ac regnorum mutationem. Utraque tollitur difficultas, ſi Majeſtas Veſtra per proclamationem, non Parlamenti decretum ſtyli mutationem orditur. Sic enim neceſſario hucusque frequentata remanebunt nomina in ſcriptis & monumentis, utpote quorum forma mutari nequit abſque Parlamenti decreto. Et ſic

B circa

circa honorem difficultas sublata. Postmodum notandum, Proclamationes Majestatis Vestræ nullam abrogare legem; sicque cessat de mutatione legis dubium. Sed tandem examinandum est, annon Parlamento in maximum honorem vergeret, si à Majestate Vestra petat talem admittere styli mutationem, licet ipsum tale quid non decernat.

De *sigillo* quærendum, an unum Britanniæ sigillum majus fieri debeat, unusque Cancellarius, & an in Scotia tantum debeat esse sigillum Processibus ordinariisque Justitię exercitiis inserviens: Magnum verò illud sigillum penes Majestatem Vestram asservatum, signare debeat omnia diplomata, concessiones sive terrarum sive rerum aliarum in Scotia ęque ac in Anglia. Verum hęc interna mutatio est, de qua nunc nihil dicere libet.

Est verò alia huc pertinens quęstio; an magna Anglię Scotięque sigilla converti debeant in unam eandemque formam, eandem imaginem & inscriptionem Britannię exhibentem: quæ tamen immutatio manifestam aliquam diversitatem relinquat, ne obmurmurationi aut suspicioni locus detur, ac si concessiones rerum in Anglia possint signari Scotiæ sigillo; & è converso.

Sic etiam quæritur, an ejusmodi sigillorum immutatio absque Parlamenti decreto fieri possit: quod antehac circa sculpturam magnorum sigillorum factum est.

De moneta, quatenus realiter ac internę consideratur, quæritur, annon Majestas Vestra

Vestra possit duas erigere ad eam cudendam officinas: quod meo quidem judicio (si locorum distantia ponderetur) necessarium erit.

Deinde, quomodo insignia (si id nondum factum est, audio enim dubitari de eo secundum vulgi rumores) ad exactam possint reduci proportionem, in omne subsecuturum tempus: numerus pariter & valor monetæ jam dum extantis coæquari possit.

His peractis, quæretur tandem, (quæstione quæ tantum huic loco propria est) an effigies & inscriptio Britanniæ eadem esse in utroque loco debeat, absque ulla omnino differentia. Res quæ etiam à Majestate Vestra annuente lege citra Parlamenti decretum definiri potest.

Ista singula demonstrativi generis sunt, ad *faciendum populum*; eoque magis consideranda, quoniam inserviunt Majestatis Vestræ intentioni, quæ est, imprimere atque indere mentibus populorum horum, unum ipsos esse populum, unamque gentem.

Huc etiam referendum est, quod ex rumore comperi; novum Equitum ordinem institutum iri, cum respectu ad unionem hanc, & juramento eam confirmante. Negotium certe consideratione dignum. Atque de externis tantum.

Internè quæ separant gentes nostras sunt sequentia.

1. Diversa Parlamenta.
2. Diversa status consilia.
3. Diversa regnorum officia.

4. Diversa nobilitas.

5. Diversæ Leges.

6. Diversa dicasteria, causarum cognitiones & Processus.

7. Diversæ opes.

8. Diversa navigationum & mercaturæ instituta.

9. Diversæ libertates & Privilegia.

10. Diversi census & vectigalia.

Quod enim diversos *status Ecclesiasticos*, *Monetam & insignia*, diversos item *articulos Pacificationum* & cum exteris nationibus *commerciorum* attinet, jam dictum est.

Hos autem arctioris penitiorisque *Unionis* partes interrumpet difficultas quædam seu impedimentum magni momenti, pullulans scilicet ex illa radice, quam *Aristoteles* in Politicis suis dicit esse omnis divisionis & dissensus originem: & est *Æqualitas Inæqualitasque*. Nam Scotiæ regnum antiquum est & nobile, se ipso subsistens: Insula verò hac commune Britanniæ nomen suscipiente, tum Scotia non amplius ut Scotia considerabitur, verum ut pars Britanniæ; sic etiam Anglia, non amplius Anglia erit, sed Britanniæ pars. Et consequenter, neutra regionum harum, tanquam totum per se consideranda veniet, sed tanquam pars in proportione ad totum. Mente igitur concipiamus (*nam id mente possumus, quod actu non possumus*) Britanniam nunquam fuisse divisam, sed unum semper extitisse Regnum; tum observandum, illam terræ portionem, quæ nunc Scotia vocatur, esse tertiam Britanniæ partem; (sic enim

audivi,

audivi, quam verè, nunc non inquiro) illam verò terræ portionem, quæ Anglia dici solet, duas constituere Britanniæ partes; ut nunc omittam opum differentias & frequentiam incolarum. Jam ergo, si exempli causa tot in Parlamentum induceret nobiles Scotia, quot Anglia suppeditat, tertia pars duas exæquaret partes; *Et sic si inæqualibus æqualia addas, omnia erunt inæqualia.* Protestor autem coram Deo Majestateque Vestra, me ista loqui, non ut hominem in Anglia natum, verum ut hominem in Britannia oriundum. Procedo igitur ad specialia illa superius proposita.

Circa Parlamenta quatuor definiendæ quæstiones.

Prima, quæ proportio servanda inter Anglorum Scotorumque vota.

Secunda, de modo proponendi materias in Parlamento ventilandas. In Anglia enim id fieri solet ab unoquoque Parlamenti membro immediate, aut per Oratorem. In Scotia verò immediate à Paribus secundum Articulos propositos. Ille modus videtur habere plus *libertatis*, hic autem plus gravitatis maturitatisque. Jam ergo quæritur, quis modus cedet alteri? aut annon deceat utrumque misceri per commissionem quandam, unumquodque Parlamentum præcedentem, tum quoad Magnates, tum quoad articulos, non exclusa tamen libertate, posthac in Parlamenti consessu concedenda.

Tertia, de ordine Parlamentorum, quomodo institui, & melior eligi possit.

Quarta, quomodo iis, qui officia habent hæreditaria, vel alio jure perpetua, in utroque Parlamento debeat ſatisfieri & duplicitas evitari.

Conſilia ſtatus diverſa ſint neceſſe erit, regnis adhuc diviſis. Si autem Majeſtas Veſtra arctius ea uniret, poſſet Provinciale Conſilium in Scotia introduci, quale eſt Eboraci & in limitibus Walliæ. Quæſtio tamen erit, annon Conveniens Majeſtati Veſtræ videri poſſit, unum tantum Conſilium intimum habere circa ſe, cujus membra, etiam ex Scotiæ regno, cujuscujus dignitatis ſint, maneant ibi, ubi Majeſtas Veſtra eorum opus habet miniſterio. Sed hoc omne à Majeſtatis Veſtræ regia voluntate & arbitrio unico pendet.

De regni Officialibus, hæ quæſtiones examinandæ.

Primo. Annon ob latitudinem regni, & locorum diſtantias neceſſarium ſit, ut diverſi maneant miniſtri; quoniam impoſſibile foret, unum poſſe ſingula perficere.

Secundo. Conceſſo, duplices debere eſſe miniſtros, annon differentia introducenda talis, qua alter ſit primarius, inferior alter & ſubalternus: e. g. ſit aliquis Cancellarius Britanniæ, alius ſit Cancellarius cum ſpeciali additione; ut hic Ducatuum &c.

Tertio, Si ejuſmodi ſubordinatio ſeu inferioritas inconveniens videatur, an uterque miniſter totius Inſulæ titulum habere debeat, utſi Cancellarius Angliæ vocetur Britanniæ Cancellarius, & ſic quoque Cancellarius Sco-

Scotiæ, ea tamen conditione, ut intra territoria sua se contineant.

De Nobilitate hæc quærentur.

Primo de votis in Parlamento (de quo jam ante dictum) quæ proportio ad Nobiles Anglicanos servanda: Hæc si non ex æquo sibi respondeat, Majestas Vestra authoritate sua supplere illam potest; nam licet non possit imminuere *Scotiæ* Nobiles, potest tamen augere *Angliæ*.

Secundo de loco & Præcedentia: nam locare eos secundum Præcedentiam Angliæ, ut Majestas Vestra loquitur, seu juxta nobilitatem Hiberniæ; hoc est, ut omnes Angliæ Comites præcedant, sequantur Scotiæ, iniquum in hos videbitur. Et locare eos secundum Prosapiæ vetustatem, Anglis minus favebit: audio enim Nobilitatem eorum antiquiorem esse nostra. Quæstio igitur erit, annon optimum foret, per vices locare nunc antiquum Angliæ Comitem, nunc Scotiæ alterum, & sic *alternis vicibus* deinceps.

Leges ut uniantur, longum & difficile opus est sive colligendo sive confirmando. Quod collectionem attinet, necesse est, ut à Jureconsultis utriusque nationis fiat in certos *Titulos digestio* legum & consuetudinum, legum æque municipalium ac statutorum, quo conferri possint, diversitasque discerni. Quod confirmationem attinet, videmus *patrium morem* omnibus esse adamatum, hominesque in illo educari; Mutationes igitur & innovationes aversantur: videmus etiam quantum turbarum disputationum que

unius legis causatur mutatio, quanto magis integri Legum corporis. Prima igitur quæstio erit, annon deceat per gradus procedere, ut illa, quæ magis sunt necessaria, primario considerentur, reliquis tempori relictis. Leges verò ipsæ hunc in finem aptissime secundum vulgarem illam divisionem distribuentur in *Criminales* & *Civiles*; & criminales in Capitales & pecuniarias.

Secunda quæstio sit; Quoniam generalis legum unio nimis magnum opus foret, annon conveniens esset, ut *casus capitales* iidem sint apud utramque gentem? Casus dico, non processus aut examina: h. e. ut eædem offensæ crimina sint læsæ Majestatis & scelera.

Tertia quæstio sit: annon causæ, alias merentes pœnas non capitales, si statum publicum concernant vel etiam morum disciplinam, in eodem gradu sint ponendæ? ut neglectus deferendæ proditionis. Casus *Præmunire*, *Fugitivorum*, incestus, Simoniæ & reliquorum.

Sed quæstio magis quam præcedentes necessaria est; Annon causa, cujuscunque sit gradus, cujus factum commissum in Scotia, possit præjudicare statibus & subditis in Anglia, vel è converso: debeat reduci ad uniformitatem Legum & Pœnarum? e. g. perjurium commissum in Scotiæ curia non potest præjudicare in Anglia; quoniam testimonia in Scotia prolata, non produci queunt hic in Anglia. Sed fraus in Documentis Scoticis, cum falsa temporis subsignatione Anglicana,

glicana, poteſt adhiberi & produci in confirmationem in Anglia. Sic etiam populatio oppidi in Scotia, non directe præjudicat Angliæ ſtatibus. Si verò ex *Anglia Mercator* in Scotiam transferat argentum vel aurum, quod ipſi conceſſum, & inde in exteras transferat regiones, certe præjudicat Anglicanæ Reipublicæ, & poteſt hoc eſſe illuſio omnium Anglicanarum legum, hunc in finem conditarum. Neceſſe igitur foret, ut caſus iſte æque ſevera lege circumſcriberetur in Scotia ac hic in Anglia factum.

Ejus generis plurima ſunt leges.

Lex 50. Richardi II. de non exeundo ex regno abſque licentia, ſi ſimilis ei non eſt apud Scotos, eludi poterit hac ratione; nam quivis Angliæ incolà in Scotiam ire poterit, & hinc in regiones exteras.

Sic lex de mercium variarum exportatione: ut auri, argenti, bombardarum, tormentorum bellicorum, frumenti, &c. irrita erit, niſi ei ſimilis in Scotia condetur. Nam quivis Angliæ mercator aut ſubditus poterit eas primo in Scotiam deferre, ut ipſi licet ad varios Angliæ portus deducere, deindeque ex Scotia ad exteros abſque legis interdicto, ſeu pœna.

Sic libelli famoſi conſcribi poterunt in Scotia, in Anglia autem diſpergi & publicari. Conjurationes poterunt in Scotia inchoari, in Anglia autem in actum deduci.

Et ſic in aliis caſibus plurimis; niſi eadem erit legum ſeveritas in Scotia, ad compeſcenda crimina, quæ hic eſt in Anglia (ubi

adhuc ignoramus, an ibi ſint quædam ejuſmodi leges, nec ne.) Erit autem paritas legum obex Anglicanis etiam ſubditis, quo effugere leges noſtras non permittentur.

Quod verò perduellionis crimen attinet; optimum erit, ut ſecundum legem 26. Henr. VIII. cap. 13. pro tali habeatur, licet in Scotia commiſſum fuerit: æque ac conſpirationes in Gallia, Romæ, aut alibi cœptæ, in Anglia puniuntur.

Judicia, Proceſſus, cauſarum cognitiones, aliaque legum exercitia immutare apud alterutram gentem, adeò novum & inſolens erit utrique, ut verendum ſit, Adminiſtrationem Juſtitiæ (quæ præ aliis omnibus debet eſſe notiſſima atque certiſſima, ad inſtar viæ regiæ) hac ratione redditum iri intricatam & incertam: Præterea non video, diverſam Juſtitiæ adminiſtrationem, etiam in *ſumma curia*, ad quam ultimo confugiunt, vel aſcendunt (ſine appellatione puto aut errore) ullum ſuggerere impedimentum, quo regna uniri nequeant: ut per experientiam diſcimus in diverſis Parlamentorum curiis apud Gallos: ſemper etiam opinatus ſum Angliæ populum longius à ſummo juſtitiæ tribunali abeſſe, quam alias nationes mihi quidem cognitas, conſideratâ præſertim latitudine regni noſtri: quanquam huic longinquitati ſuccurrant Judices circumeuntes, & duo item Dicaſteria, Eboraci & in Walliæ limitibus erecta.

Magna item quæſtio eſſe poteſt: annon in commune Juſtitiæ vinculum Majeſtas Veſtra

erigere

erigere possit curiam ex utraque gente, penes Majestatem Vestram residentem, ad imitationem *Magni* in Gallia *Consilii*: ad quam ab ordinariis Judicibus trahi possent lites utriusque gentis. Sic enim Galliæ Rex ex omnibus regni sui curiis & Parlamentis ad se evocat causas, licet magis Parisiis distent, quam aliqua Scotiæ regio Londino.

Circa opes quæstio nulla erit: necesse enim est, ut in Scotia Ærarium sit, ex quo fiant expensa iis locis debita: Accepti verò rationes diversis committi poterunt: quandoquidem omni tempore secundum Majestatis Vestræ placitum & voluntatem removeri & aliter ordinari possunt.

Quod *regnorum* Patrimonium concernit, nec de eo quæstio instituenda venit: Nisi Majestati Vestræ placeret, Patrimonio regni inseparabiliter annectere territoria quædam ex utraque gente; & sic Britanniæ Principi, aliisque prolis regiæ titulis; instituendo pariter Ducatus & Honores ejusmodi ex utriusque nationis territoriis compositos.

Nec de Navigatione ullum surgere potest dubium. Non enim video inconveniens futurum, si Majestas Vestra continuet in Scotiam navigationes. Jurisdictio autem Navalis seu maritima, cum commodis & variis eorundem casibus ad littora referetur, quæ mare alluit: ut hic in Anglia observatur.

Mercaturam quoad, quæri potest, an illæ societates, si continuentur, quæ in Turciam Moscoviamque navigant, ex utraque gente constitui debeant; Nam ejusmodi mercatu-

ræ exercitium alteri permittere, & prohibere alteri populo, inconvenientias fortassis gignet.

Libertates & privilegia utriusque nationis recognosci poterunt: Et illa privilegia, quæ utrique congruunt in unum magnum volumen colligi, ac confirmari, tanquam Britanniæ Incolis: quæ verò alterutri saltem conveniunt, in eo quo sunt, maneant statu.

De Censibus verò & Vectigalibus magna erit quæstio, qua ratione poterunt ordinari & exigi ex æquo. Nam si in Scotia minus exigatur, quam in Anglia (nescio autem utrum sic res se habeat) hoc sequetur inconveniens, quod Mercatores Anglicani exoneraturi sint naves in Scotiæ Portibus; & inde hoc in regnum merces importaturi; unde Majestatis Vestræ vectigalia fraudem patientur.

Quæstio autem illa, an Scotici Mercatores debeant peregrinorum solvere vectigalia, dependet ex jure civitatis donando, de quo supra.

Sic Majestati Vestræ exhibui breve nudumque compendium Articulorum magnum hoc negotium concernentium; eo solum tendens, ut Majestatis Vestræ Ingenium, eorumque, qui ad illud vocabuntur, excitetur: non enim præsumo suadere quicquam aut dissuadere, vel obtrudere opinionem meam. Verum potius facem accensam à Majestatis Vestræ directione expecto, utpote cui semper meum submitto judicium, & addico. Precor etiam humillime Majestatem Vestram

ſtram, in eo quod præſtiti, tegere errores meos velo bonæ intentionis meæ, atque deſiderii, quo urgeor inſervire Majeſtati Veſtræ, & implere fiduciam de me conceptam; quam ex benigna præprimis Majeſtatis Veſtræ & gratioſa acceptatione intelligo.

ORATIO FRANCISCI BACONIS

in inferiori Domo Parlamenti, anno JACOBI quinto, de articulo generalem Scoticæ gentis ad jus civitatis in Anglia admiſſionem, reſpiciente.

Placeat Vobis, *Domine Prolocutor*, Præfatione nulla utar, benigna veſtra de me opinione fretus, quam meritis meis multo ſuperiorem ſemper deprehendi. Nec ambiguo vos ſermone detinebo, celans quid locuturus ſim. Verum in ipſo principio declarabo mentem meam eſſe, ſuadere *Domui* huic Scotos civitate donandos eſſe. Unicum tantum à vobis petendum mihi eſt, tanti momenti, ut putem, omnia quæ dicturus ſum, ab hoc efficaciſſime dependere. Illudque idem eſt, quod *Demoſthenes* plus ſimplici vice in arduis rebus ab *Athenarum* incolis flagitavit; *ut cum calculis ſuffragiorum ſumant Magnanimitatem Reipublicæ*. Videlicet, ut ſumentes in manus ſuas calculos, per illos ſuffragia ſua edituri (hic enim fuit

mos eorum). elevent cogitationes suas, deponendo considerationes illas, quas privata vocatio & status suppeditare possent; & fovendo ejusmodi mentem, quæ decet dignitatem, honoremque Reipublicæ.

Etenim ut opportune & acute *Alexander Parmenioni* regessit, suadenti, ut ingentia illa, quæ Darius offerret, acceptaret, dicendo: *acciperem ista, si Alexander essem*: in ipsum retorquendo sententiam; *Et ego, si Parmenio essem*. Ita & in hoc negotio, si honestus Angliæ Mercator (non nomino viros istos contemtus gratia, nam semper hac in *Insula* magno honore fuerunt præditi; sed tantum ut exemplum hominis privatæ conditionis) si inquam mercator Anglicanus dixerit, *Profecto ulterius in hac unione non procederem, si ego Rex essem*: summa cum ratione regeri posset, *Neque Rex auderet plura, si mercator esset*. Idem de Nobile domi suæ moranti dici posset, sit licet inclytus & dives admodum: vel de Jurisconsulto utcunque prudente & docto: vel de alia quacunque persona in hoc regno. Nam profecto si vir aliquis ea unice seu primario pensitet, quæ privata ejus conditio & status ipsi suggerunt; non autem penitius cognoscat vera & magna Politiarum momenta, nunquam idoneus erit ad danda consilia aut admittenda hoc in negotio. Petito igitur meo concesso, putabo causam me obtinuisse.

Verum procedendum mihi est ad ipsam rem. Omnes consultationes quæstiones examinant comparativas. Nam quæstio *de*

vero

vero simplex tantum est, Veritas enim tantum una est. Quæstio verò de *Bono* ut plurimum comparativa: sunt enim diversi gradus *boni* & *mali*, hinc quod ex Bonis optimum est, præferendum est & eligendum: quod verò ex malis pessimum est, declinandum & evitandum. In ejusmodi igitur quæstionis tractatione non *expectari potest* ad omnes *inconvenientias propositas absolutissima responsio*. Nam illud, ad quod in specie respondere nequit, potest nihilominus tolli & deprimi iis, quæ majoris sunt momenti. Idcirco quod nunc proponere animus est, hanc in tres partes distributionem sponte admittit.

Primo Responsionem ad illas inconvenientias, *quæ dicuntur* hanc *civitatis* donationem, si eam concedamus, subsecuturæ. Puto enim eas non fore tantas, quantæ fuerunt depictæ; Verùm *multas ipsis adjectas fuisse scorias, augendi ponderis gratia*.

Secundo conflictum cum illis inconvenientiarum reliquiis, ad quas proprie respondere nequit: exhibendo insimul majora incommoda, quæ incurremus, eos ad jus civitatis non admissuri.

Tertio conflictum itidem sed alterius naturæ, h. e. ex utili atque lucro, quod hauriemus, trahemusque ex ipsorum admissione. Verum enim verò ad evitandam confusionem, quæ semper tractationem nimis generalem sequitur, necesse erit, ut antequam persuadere incipiam, distincte receptionis ejusmodi puncta seu partes enarrem: Meliorem autem vel aliam producere, quam

anti-

antiquam illam, nequeo: in *Jus Civitatis, Jus suffragii vel Tribus, & petitionis sive Honorum.* Nam omne quod homines possident aut cujus capaces sunt, est vel privatum commodum ex *Meo & Tuo* oriundum, vel publicum ministerium: hocque consistit primario vel in voto vel in officio. Jam verò primum est, *Domine Prolocutor*, de quo hoc tempore & loco acturus sum: reliquis duobus in commissionem rejectis, utpote majori distinctione, limitationeque egentibus.

Jam igitur aggredior Inconvenientias ab adversa parte objectas. Earum prima est, ex hac civitatis donatione orituram nimiam hominum multitudinem in Anglia, quæ creditur jam satis habere incolarum; ideoque adoptari non posse alienigenas sine diminutione fortunarum & statuum eorum, qui sunt indigenæ. Objectio, *Domine Prolocutor*, non levicula, verum quæ decet boni civis officium. Non enim procedit ex averso à *Scotis* animo, sed ex naturali erga nos ipsos amore. Illa virginum responsio: *Ne forte non sufficiat vobis & nobis*, non ex invidia proficiscitur, aut malignitate, sed ex provida sollicitudine & originaria illa charitate, quæ à nobis ipsis incipit. Fateri etiam cogor, verum dixisse Nobilem illum quod *Abraham & Loth* ob abundantiam familiarum suarum nimis arcte cohabitantes (licet fratres essent) ad simultates devenerint, in ea prorumpentes verba: *vade tu ad dextram, & ego ad sinistram.* Verum ego nunquam istud produxissem exemplum, videmus enim

quid

quid inde secutum; separatio hæc ad *dextram* & ad *sinistram* ansam dedit captivitati alterius fratris, & periculoso, quanquam felici, bello alterius ad illum liberandum suscepto.

Verum ad hanc objectionem admodum prægnantem tres distinctas retribuam solutiones, unaquaque, quantum ego quidem capio, per se sufficiente.

Prima est; Opinionem illam de Scotorum ingenti multitudine, quæ probabiliter hic se inter nos diffundet, magis in mente residere, quam in eventu metuendum esse. Nam ecce, *Domine Prolocutor*, plausibiles illæ similitudines de arbore felicius succrescente, si in fœcundius transferatur solum: & de ove aut jumento, quæ cum hiatum in sepe inveniunt, sterile relinquunt arvum, inque magis opima transeunt pascua: levia tantum sunt argumenta, neque habent genuinam relationem ad transmigrationem seu translationem familiarum. Nam, ut videmus, arbor vi naturali radices agit, quam primum in melius translocatur solum, indeque suum nutrimentum trahit. Ovem quoque in pinguia transientem pascua, quid prohibet saturari optimis? sed plura requiruntur (quantum ego quidem judico) ad translocationem familiæ aut personarum singularum. Nam, *Domine Prolocutor*, si destituantur opibus, mediis, amicis, habitaculis, commercio, patrocinio & similibus; spero, agnoscere vos sine dubio sic perituros etiam in medio opulenti pascui, multumque abfore à saturando se juxta beneplacitum suum. In

hac autem causa, quæ conjecturalis est, experientia optimus erit judex. Tempus enim præteritum exemplar est futuri. Non puto, quenquam dubitare posse, *Domine Prolocutor*, S. R. Majestatis primum ingressum fuisse quasi largissimam scaturiginem ob confluxum introitumque gentis hujus in Angliam. Jam ergo doceri cupio, quot Scotorum familiæ intra hos quatuor annos, in quibus multos advolasse seu advenisse videmus, consederint in civitatibus, municipiis & oppidis regni hujus. Nam persuasus sum, plures quam paucos magnates circa Regiam Majestatem, hic in aula vel etiam Londini subsistentes, & paucos alios plebejos, ab illis dependentes, ad nos pervenisse. Certe si numerentur, exiguus admodum foret numerus illorum: submitto autem sententiam meam notitiæ vestræ, qua omnia, quæ inhabitatis loca, probe cognoscitis.

Jam, *Domine Prolocutor*, ut dixi: *si in ligno viridi ita sit, quid fiet in arido?* certus sum, non fore amplius ejusmodi maris æstum seu affluentiam. Dices quidem de multitudine *familiarum Scoticarum in Polonia*: & argues, si multiplicantur in regione tam distante, multo magis id fiet in regione vicina? Verum *id fato cuidam necessario* adscribendum est, aut tempori & loco, quæ Scotos eò trahunt. Nam evidens est, nec in *Germania*, quæ multo propior est, nec in *Gallia*, quæ ipsos privilegiis invitat, & quidem hac ipsa jure civitatis donatione, tantum eorum reperiri numerum. Ut igitur neque

loci

loci vicinitas, aut Personarum immunitates vera hujus ratio esse possint. Verum, dicamne quæ sentio? Ex omnibus in orbe locis sive prope sive longe distantibus, nullibi illud vitæ genus suscipient, quo in Polonia contenti degunt. Omnium enim gentium consuetudo est, malle paupertatem suam peregre fateri, quam domi. Nemo nobilium prodigalitate attenuatus, ideoque conditionem suam derelinquere coactus, domi subsistit, sed peregre potius abit. Scimus etiam Scotos ingenuæ mentis esse, & in aliquibus nostri æmulos; non igitur inter nos vivent, nisi cum pares nobis esse potuerint. Haud itaque asserere verebor, contentionem hanc de ipsis admittendis fore similem illi inter *Equites & Populum Romanum* de admittendo *Plebejo Consule*; de qua cum deliberaretur, vehementissime agitata fuit; cum verò Populus eandem obtinuisset, nunquam dein constituerunt *Plebejum Consulem*, nisi sexaginta annis elapsis. Et sic, ut mihi persuadeo, hoc erit negotium, quod in opinione magis residebit, quam in effectum deducetur. Hæc itaque prima mea sit responsio ad palmariam istam inconvenientiam, quæ erat incolarum nimietas.

Secunda responsio ad hanc objectionem est, quod liceat mihi dubitare, *Domine Prolo utor*, Angliam nondum satis repletam esse incolis. Nam certum est, *Galliam, Italiam, Belgium & aliquas Germaniæ partes* in æque lato terræ spatio plures complecti homines, si per descriptionem singulorum capitum

tum numerentur. Non tamen persuadere mihi possum, regnum hoc illis regionibus fertilitate multo inferius ut est frequentia populi: unde conjicio nobis nondum satis incolarum esse. Præterea manifeste cerno signa penuriæ, non *verò nimietatis* hominum, qualia sunt, *arva inculta*, compascua, solitudines & alia, ad oculum probantia, quod quamvis hic circa *Londinum*, urbem præ aliis oculis nostris obversantem, tractus incolis sit refertissimus, regni tamen reliqua portio *raros habeat colonos*. Quicunque etiam ruina & decrementa veterum civitatum in hoc regno conferet cum erectione & incrementis novarum; non poterit non existimare, regnum hoc olim multo plures aluisse cives. Et hoc potuit fieri tempore Heptarchiæ, aut alio; nam ut plurimum regula illa vera est; *quo minor Respublica, eo frequentior, pro rata*. Sit autem hoc vel verum vel falsum, perpendamus saltem, quot nostrum huc convenimus *& solliciti sumus pro desolatis atque vastatis municipiis*. Et denique, *Domine Prolocutor*, qui maximas Rerumpubl. contemplatur, videbit continentem terram, non verò maritimam posse timere populi nimietatem. Nam omnes Provinciæ maritimæ, & præter terram aliud quoque *habent elementum, in quo vivant*. Quam immensus enim numerus hominum potest ex piscatu sustentari, ex navigatione & mercatura? Hinc iterum arguo, nos penitus non abundare incolis. Si enim abundaremus, *neutiquam tam proficuum piscaturæ beneficium Belgis concedere-*

cedere-

cederemus. Ut itaque dicere liceat nos æque in mari ac in terra ſolitudines habere: infallibile ergo manet argumentum, induſtriam noſtram non excitari ad quærendum victum ex abundantia aut nimietate incolarum.

Tandem verò, non puto aliud regnum, quocunque viguerit ſeculo, commodiora hoc noſtro habuiſſe media ad exonerandum ſe incolis, ſi conſideremus vaſtum illud ac deſolatum Hiberniæ regnum; quod (cum ſit regio fere omnibus naturæ dotibus ditata, ceu rivis, portibus, ſylvis, lapicidinis, fertili ſolo & climate temperato; nunc etiam ſub Rege hoc ſereniſſimo obediens facta) quaſi continuo colonos à nobis poſcit. Et ſic etiam alteram meam reſponſionem ad objectam populi nimietatem finio.

Tertia hæc eſt: Quæro quinam peſſimus ſit effectus nimietatem populi ſubſequens? Introſpiciat quicunque volet hiſtorias omnes, nec alium inveniet, quam *glorioſum bellum* cum exteris ad amplificandos limites ſuos, cum vident nimis anguſte ſe cohabitare. Quod an inconveniens dici debeat apud gentem fortem & bellicoſam, non novi? veriſſimum eſt dictum illud, quanquam alio ſenſu acceptum; *Omne ſolum forti patria*: revera quidem id dictum de patientia exulis; ſed neque minus verum eſt de virtute bellicoſæ gentis. Ac liceat mihi ſine offenſa loqui: ſi dignas nobis aleremus cogitationes, ut quandocunque juſta offerretur occaſio, vel ad recuperanda antiqua jura noſtra; vel ad vindicandas nuper acceptas injurias; vel ad affe-

quendum Avorum nostrorum honorem; vel ad amplificandum posteritatis patrimonium aggrederemur ea; nunquam certe omitteremus de amplitudine aut magnitudine consultationes, & delaberemur ad altercationes de utili & computationibus, quæ magis privatos decent homines quam Parlamentum aut Regem. Et sic, *Domine Prolocutor*, dimitto primam hanc objectionem, tali, qualem audivistis, responsione contentus.

Secunda objectio est: Leges utriusque regni fundamentales adhuc esse diversas: imo jam decretum est, eas debere sic divisas manere, neque velle Reg. Majestatem in iis quicquam innovare: Inopportunum igitur esse, in civitatem recipere Scotos, ipsosque adeo donare juribus ac privilegiis nostris, quando legibus nostris se nondum submittant. Objectio, quod fateor, etiam ponderosa, & digna quæ bene examinetur, exactamque nanciscatur responsionem.

Erit autem responsio, quam dabo, ejusmodi. Opto ipsemet, ut Scotica gens nostris quoque gubernetur legibus. Existimo enim leges nostras, si aliquatenus reducantur, dignas esse, *quibus regatur mundus*. Sed quod dicere cupio, & à vobis observari precor, est, quod secundum status rationem veram, civitatis donatio debeat ordine præcedere *Legum unionem*, gradu inferior sit, & natura separabilis, non inseparabilis ab unione Legum. Civitatis donatio tantum dicit non alienam esse gentem, unio verò Legum penitus esse nostram. Illa tollit separationem,

hæc

hæc diſtinctionem. Nonne videmus, *Domine Prolocutor*, in gubernatione mundi ſub magno Monarcha ipſo Deo, leges eſſe diverſas. Alia eſt Spirituum, alia corporum: alia in regionibus cœleſtibus; alia in Elementaribus? Et creaturæ tamen omnes unum conſtituunt corpus abſque vacuo aut ſeparatione? Nonne videmus pariter in Eccleſia ex omnibus populis linguis atque ætatibus eſſe *communionem ſanctorum*? Nos omnes eſſe concives & jus civitatis Cœleſtis Hieroſolymæ adeptos eſſe? Nihilominus tamen diverſæ ſunt leges Eccleſiaſticæ, ſtatus & Hierarchiæ; juxta ſententiam inclyti illius Patris; *In veſte varietas ſit, ſciſſura non ſit.* Ideoque vinculum legum magis ſpeciale eſt & privatum; Vinculum autem ex jure civitatis contextum magis commune & generale. Nam leges *ſunt magis Figura Reipublicæ quam Forma*; & potius *vincula perfectionis*, quam *integritatis*. Per experientiam igitur diſcimus in regimine noſtro, Hiberniæ regnum non recepiſſe ſtatuta noſtra, adepto nihilominus civitatis beneficio. *Gerſey*, *Garnſey & Inſula Man*, leges noſtras communes non receperunt, beneficio tamen civitatis gaudent. Nemo tamen dubitet, poſſe leges & conſuetudines noſtras intra tempus exiguum apud ipſos prævalere. Hic enim ſedes regni eſt, unde ſupremæ ſtatuum directiones emanant. Hic eſt Regis Perſona & exemplum, de quo Poëta; *Regis ad exemplum totus componitur orbis.* Impoſſibile igitur non eſt, quod licet non ſolenni & formali ſtatuum decretis, ſecreta

tamen

tamen succedentium temporum operatione nostris se submissuri sint legibus, & sic *dulces tractus pari jugo.* Et hæc est responsio ad secundam objectionem.

Tertio objicitur quædam inæqualitas bonorum fortunæ inter has duas nationes Anglicanam & Scoticam; quorum si mixtio fieret, commodum illis, damnum nobis afferret. Bene autem hic observatur, differentiam hanc esse bonorum externorum seu fortunæ: nam fatendum est, quod bona animi aut corporis esse eos *Alteros* nos. Etenim quoad intellectum sunt ingeniosi, labore industrii, fortitudine eximii, corpore duri, strenui & formosi. Plura dici possent, sed revera illos laudantes nos ipsos laudamus: in una enim eademque continenti terra nobiscum vivunt: & si veritatem proloqui licet, participes sumus eorum & virtutum & vitiorum. Nam si observatum est, fuisse ipsos populum regimini minus subditum, non possumus certe absque vana jactantia nos ab eadem liberare culpa, utpote adhærente omni bellicosæ genti, ut cernimus in Romano aliisque populis. Similes ea de causa sunt generosis equis, qui licet præstantiores sint cæteris, difficilius tamen reguntur atque tractantur.

Ad hanc objectionem respondebo non authoritate Scripturæ, quæ dicit: *Beatius est dare, quam accipere:* sed authoritate formata ac derivata à judicio, tum nostro, tum Antecessorum nostrorum in casu simili. Nam, *Domine Prolocutor*, ex Regibus nostris

omnibus

omnibus nemo majori laude dignus videtur quam Eduardus I. & inter bellicas ejus civilesque artes nulla majus meretur encomium, quam propositum debellandi Scotiam. Noluit apud exteros acquirere magna, sed firmare res suas domi. Hoc autem ipsum, si successu non caruisset optato, non potuisset non inferre omnia illa incommoda mixtionis opulentioris regni, cum minus opulento, quæ nunc producuntur. Nam neque armorum nostrorum neque legum nostrarum jugum mutare potest naturam climatis aut soli: neque mixtionis modus potest mutare mixtionis materiam. Si itaque, *Domine Prolocutor*, tam nobis bonum fuit ejusmodi quid tentare, certe & nunc erit; neque minus æstimandum est, quod tanti non emerimus. Sed plenius ad objectionem hanc responsum dabo, cum venero ad illud de vadimonio & magnitudine.

Quarta objectio non proprie est objectio, sed potius præoccupatio objectionis ab adversa parte formandæ. Nam verè opportune quæri potest: qua de re contendimus? Civitatis beneficium vi legis conceditur omnibus, quotquot nati sunt aut nascentur, ex quo tempore Regia Majestas conscendit thronum. Adeo ut amplius non remaneat, quam ut *Ante-Nati* in statum *Post-Natorum* collocentur, & homines adulti beneque meriti inferiores non sint infantibus nondum quicquam meritis; & majores natu fratres pejori fortuna non gaudeant, quam minores natu. Lis enim nostra versatur circa

Quiddam non *Quantum* ; exiguum temporis ſpatium eſt, quod differentiam cauſatur, quantum ſcilicet una generatio diſtat ab alia.

Ad hoc reſpondent aliqui, Legem non ſic interpretandam, ſed *Poſt-Natos* æque alienos eſſe ut reliquos. Opinio cui non multum inſiſtam, tum quoniam Nobilis ille proxime ante me locutus optime eandem declaravit: tum quoniam hoc in caſu, hocque in loco dicere malo de congruo quam lege. Hoc tantum dicam, videri mihi opinionem hanc contrariam eſſe rationi legis, contrariam item formæ procedendi juxta legem, & denique contrariam authoritati atque experientiæ legis. Quod rationem legis attinet; videtur mihi prudentiam Legis municipalis Anglicanæ eſſe admiratione dignam in diſtributione beneficiorum & protectione legum, quatenus reſpicit diverſas perſonarum conditiones in excellenti proportione. Gradus ſunt quatuor, iique bipartiti: duo reſpiciunt *alienos*, duo ſubditos concernunt. *Primus gradus* eſt *Alieni*, qui natus eſt ſub Rege aut in Republica nobis inimicis. Si ejuſmodi in noſtrum veniat regnum abſque ſalvo conductu; periculum ſubit: Lex enim nullam ipſi largitur protectionem neque corporis, neque fundi, neque bonorum: ita ut ſi occidatur nulla accuſatio fieri queat ex parte ejus, licet uxor ipſius fuerit Anglicanæ gentis. Verum ex parte Regis in jus vocari poteſt homicida ob violatam pacem. *Secundus gradus* eſt *Alieni*, qui natus eſt ſub

Rege, aut in Republ. nobis amicis. Tali majus lex concedit beneficium atque protectionem; veluti circa res personales, transitorias atque mobiles; qualia sunt jumenta, opes, contractus, & his similia, non verò circa liberam possessionem & hæreditatem: ejusque ratio est, quod possit inimicus esse, licet non sit. Respublica enim, cujus est subditus, potest adversus nos bellum suscipere: ideoque ut lex transitoriam tantum fidem ab ipso accipit, ita eidem transitoria tantum beneficia rependit. *Tertius gradus* est *subditi*, qui cum olim esset *Alienus* privilegio factus est *indigena*. Tali adhuc ampliora largitur lex beneficia: donat enim eum potestate acquirendi liberas possessiones & hæreditates, in suum proprium commodum; liberos quoque ejus post ipsius receptionem natos hæredes esse sinit. Nihilominus tamen, haud potest derivare prosapiam suam à Majoribus eximiæ dignitatis. Lex enim non judicat æquum ipsum in pari cum subditis natis ponere gradum, quoniam aliquando fuit alienus & sic potuit esse inimicus. *Et nemo subito fingitur.* Affectus non ita possunt imprimi mortalibus per beneficia, ut ingenerantur per nativitatem. *Quartus gradus* isque perfectus est ejusmodi hominis, qui neque est inimicus, neque esse poterit unquam, neque esse potuit olim; huic lex impertit plenum Civitatis beneficium. Jam ergo, *Domine Prolocutor*, si isti sunt veri legis gradus, nemo negare poterit, quod ille, qui sub Regis obedientia

 natus

natus eſt, *in nullo temporis puncto* poſſit eſſe inimicus: (Rebellis quidem eſſe poterit, inimicus verò neutiquam) ideo vi ſeu ratione legis eſt civitate donatus. Imo *jure nativitatis* tenetur defendere hoc Angliæ Regnum adverſus omnes invaſores aut rebelles. Ideoque ut obſtrictus eſt armis illud protegere tum perpetuo tum univerſim, ita dignus quoque eſt, qui gaudeat univerſo & perpetuo beneficio protectioneque legis; i. e. jure civitatis.

Quod *proceſſuum formalitates* attinet, verum eſt illud ante dictum: ſcil. ſi quis alium in foro accuſet tanquam alienum, neceſſe erit, ut non tantum negative & privative demonſtret ipſum natum fuiſſe extra Regiæ noſtræ Majeſtatis dominia & obedientiam; verum etiam poſitive ſeu affirmative, ipſum natum fuiſſe ſub obedientia extranei Regis vel reipublicæ in ſpecie, quod hoc in caſu nunquam fieri poterit.

De Autoritate nihil dicam: omnes enim noſtis, quid in *regis proclamatione* evulgatum fuerit. Quid experientia doceat, obſervare licet in *Hibernia* incolis: inſularum item *Gerſey* & Gernſey, quæ ſunt partes Ducatus Normanniæ, in civibus pariter *Caleti* (cum Angliæ pareret) regni Gallicani portione. Verum, ut dixi, nolo *argumentum legis* evolvere, ſed de *congruo* tantum loqui.

Ita ut mea quidem ſententia, exiſtimem omnes Poſt-Natos eſſe civitate donatos *ipſo jure*. Non tamen puto ſuperfluum eſſe, ſi id fiat Parlamenti decreto: ob eam præſer-

tim

tam maximam; quod *Principum actiones præcipuæ ad famam sint componendæ.* In toto orbe celebrabitur amor noster erga eos, & concordia cum ipsis. Et hæ sunt, *Domine Prolocutor*, ponderosæ objectiones ex adversa propositæ parte, cum responsionibus meis. Librate eas sagacibus animis vestris. Sicque generalem illam partem finio.

Jam ergo juxta promissionem meam cogor alteram quoque libræ lancem implere, & exponere inconvenientias, quas incurremus, non procedentes ad hanc civitatis donationem. In his autem inconvenientia illa, ex omnibus maxima, & si nullæ aliæ essent, sola, quæ me vehementer movet, vosque movere potest, est regula status ex historiis collecta, ita sonans: Quod ubicunque diversa regna, aut reipublicæ in unum supremum dominium coaluerunt, iterum separaverint se occasione data vel per rebellionem vel relapsum; nisi unio illa fuerit firmata ulteriori unitione, & quidem in specie per jus civitatis concessum, de quo nunc quæritur.

Hujus assertionis primum exemplum dabo ex unione *Romanorum* & *Latinorum*, quæ duravit inde à pugna juxta lacum Regillensem usque ad Consulatum *T. Manlii* & *P. Decii*, quo tempore de hoc puncto, civitatis scil. jure, movebatur bellum illud dictum *sociale*, tum cruentissimum, tum perniciosissimum, in quo post innumeras pugnas, infinitas victorias, urbiumque oppugnationes Romani tandem superarunt La-

tinos. Sed quam primum gloriam belli reportarunt, & retrospexerunt ad quantam perniciem confusionemque delati essent, illico civitate donarunt istos. Loquimini de sanguinis receptione in jus civitatis, & ecce receptionem vere sanguinariam.

Propono vobis exemplum Spartanorum & reliquorum Peloponnesi incolarum, qui illorum fuerunt socii. Fastidiosa fuit Spartanorum gens & parca in impertiendo confœderatis suis civitatis beneficio. Quis autem erat eventus? Postquam ipsis imperavit annis aliquot per confœderationem quandam atque amicitiam, prima occasione data, (quæ fuit occupatio Thebarum Castelli, à quibusdam desperatis hominibus larva indutis, tentata) rebellio statim cœpit & defectio sociorum secuta est; quod ipsum ruina fuit Reipublicæ Spartanæ, postea non amplius restaurandæ.

Ex posteriorum temporum historiis ob oculos vestros ponam simile in Arragoniæ regno exemplum: Regnum hoc cum Castilia & reliquis Hispaniæ partibus unitum fuit sub Ferdinando & Isabella, & sic multis post mansit annis: ita tamen, ut tanquam separatum manserit regnum quoad privilegia, & in specie quoad hoc civitate donationis membrum & jus hæreditatis. Quid inde factum? Hoc factum est. Nuper, annis scilicet duodecim vix elapsis, ad vocem hominis condemnati, ex carceribus versus plateam clamantis *Fueros* (i. e. Libertates & Privilegia) periculosissima rebellio excitata fuit, qua sup-

pressa

pressa & difficulter per regium exercitum coërcita, omnia eorum privilegia sublata sunt, ipsi verò reliquo Hispaniæ corpori inserti. Ad tantulam occasionem rumpebatur unio, quæ duraverat tam diu.

Idem dici potest de statibus *Florentino* & *Pisano*, quorum hic illi unitus, sed absque civitatis donatione, quam primum ab exteris adjutus est, tempore scilicet Caroli VIII. Galliæ Regis in Italiam exercitum ducentis, descivit: nunc autem denuo unitus, civitateque donatus est.

Idem cernimus in regnis maxime barbaris, quod argumentum est, esse hunc effectum naturalem. Videbatur senatui Constantinopolitano optimum fore, si tres provinciæ, *Transsylvania*, *Valachia*, *&* *Moldavia* ne vastarentur, (Constantinopoleos enim sunt ob summam rerum copiam promptuaria) in forma sua conservarentur sub Palatinis suis tanquam Vasallis & homagio obstrictis, non verò sub Bassis & aliis Turcici Imperii Provinciis. Sed videmus intentionem hanc bono caruisse effectu; defecerunt enim tres istæ Provinciæ, præeunte *Sigismundo* Transsylvaniæ Principe, Duce olim satis insigni: nec defectio ista penitus sanata. Nunquam autem audimus provincias illas desciscere, quæ imperio Turcico inseruntur seu incorporantur.

Ex altera parte, *Domine Prolocutor*, quoniam verum est Logicorum dicterium: *Opposita juxta se posita, magis elucescunt*, circumspiciamus & videbimus, quod ubicunq;

regna & respubl. coaluerunt, eaque unio firmata fuit vinculo mutuæ in civitatem receptionis, nunquam deinde, occasione licet præbita, se invicem separasse, aut desciviffe. Id clare cernimus in diversis Galliæ Provinciis, ac nominatim *Guienna*, *Provincia*, *Normannia*, *Britannia*; quæ non obstantibus infinitis tumultibus istius regni, nunquam divisæ fuerunt.

Idem observare licet in Hispaniæ regnis omnibus, quæ mutuo jura civitatis communicarunt: ut *Legio*, *Castilia*, *Valentia*, *Andaluzia*, *Granada* &c. excepta *Arragonia*, quæ contrarium observavit methodum, ideoque etiam, ut diximus, contrarium nacta est effectum. Et *Portugallia*, quæ nondum satis probata est.

Et tandem parem effectum in nostra gente videmus, quæ nunquam scissa est, postquam semel unita fuit: ita ut nunc vix sciamus, utrum Heptarchia sit historia, an fabula? Ideoque (*Domine Prolocutor*) quando penes me ista recogito, atque alia, in civitatem receptionis necessitatem, si defectio evitari debeat, ad oculum demonstrantia; & ex altera parte tot argumenta & scrupulos audio: in mentem mihi revocat priscum illum Episcopum, qui in disputatione quadam Theologorum Christianorum cum eruditis aliquot gentilibus, vehementer audiri flagitavit: Isti vero audire ipsum recusabant, scientes, quod esset indoctus, quanquam prudens alias & sanctus: tandem autem loqui permissus est, cumque sermonem inciperet,

argu-

argumentorum loco recitavit Apostolorum symbolum, eaque fiducia & constantia id præstitit, ut magis percelleret mentes se audientium, quam quod ullum antehac fecerat argumentum. Sic quoque ego, *Domine Prolocutor*, contra omnia subtilia ista argutaque argumenta dico, me credere, (& ægrè laturum, si verus hic invenirer propheta) quod, nisi procedamus Scotosque civitate donemus, futurum sit, ut (quanquam fortassis non hoc Rege regnante, qui utramque gentem sibi devinctam tenet, tamen) apud successores ejus regna isthæc in continuo versentur discrimine, aptaque sint ad divisionem & separationem. Jam ergo, si quis adeò negligens sit, velitque, ut *maneat nostros ea cura Nepotes*, aut adeo durus, velitque ut ejusmodi res cruentum experiantur gladium: firmiter credo, talem non ejusdem cum S. Paulo opinionis; qui affirmat, illum qui non providet familiæ suæ, infideli pejorem esse. Multo magis autem istam incurremus censuram, si noluerimus duobus his providere regnis, multas complectentibus familias, sed exposita periculis futurarum divisionum reliquerimus. Et sic exposui vobis inconvenientiam, quæ ut maxime prægnans est, ita & maxime me movet.

Nec tamen aliæ desunt inconvenientiæ, *Domine Prolocutor*, quarum effectus, ut metuo, non tam diu, ut illius, de qua nunc locutus sum, differetur. Consideret prudentia vestra, annon civitatis denegatio simultates & alienationem vel offensam inge-

ftura fit: non quidem de jure fed de facto; rumore inter utramque nationem fparfo. Annon contra nos excitatura fit omnes invidiæ malitiæque plenos affectus ubicunque, (nunc quidem fopitos) & foris & domi, atque fic viam apertura variis machinationibus ad Rempublicam hanc difturbandam. Quod vero attinet alteram illam inconvenientiam, quatenus S. R. Majeftas in hac actione concernitur, magis urgens eft, quam ut de ea loqui neceffe fit. Multoque melius in mentibus veftris ponderabitur, quam ore meo, aut alius cujuspiam; quoniam, ut dixi, nimium urget libertatem noftram. Igitur, *Domine Prolocutor*, ad tertiam generalem divifionis meæ partem pergo, de *Beneficiis* locuturus, quæ adipifcemur ex firmiori arctiorique horum regnorum per communicatum jus civitatis conjunctione.

Duo autem funt *Beneficia* illa, *Securitas* & *Magnitudo*. Quoad illam probe *Titus Quintus* de ftatu Peloponnenfi locutus eft, dicens: *Teftudo intra tegumen tuta eft*; fed ubi partes quædam apertæ funt, reliquis omnibus periculum creant. Scimus equidem, quod licet nunc blanda fruamur pace, inimicus tamen olim nofter fuerit *Gallus* & *Hifpanus* nuper. Quifque eorum fuam quafi habuit pofticam januam ad nos infeftandos. *Gallus Scotiam*, *Hifpanus Hiberniam*; Hic enim duobus his inimicis patuit acceffus, ubi etiam vires & animum refumferunt nos invafuri. Videmus vero nunc, Scotiam iis ademtam effe per iftam regnorum unionem. Ut ergo con-

constans ea sit & permanens curandum. Per Hiberniam accessus quoque præclusus est ob commodum Scotiæ Meridionalis situm, respicit enim Hiberniam Septentrionalem, ubi ulcus erat, quod subito sanatum, ita permanet ope hujus medicaminis: Sicque nulla amplius pars hujus Reipublicæ exposita est periculis aut tentaminibus insidiantium inimicorum, postquam omnes ipsis ademti aut præclusi sunt aditus. Non enim dubito, quin exteri illi minus fortunatis gaudentes successibus, cum istas haberent opportunitates, multo magis demissuri sint animas, nunc ipsis orbati. Et tantum de securitate.

Quod magnitudinem opinor, posse aliquem sobrie & absque jactantia dicere, quod hoc Angliæ regnum, postquam Scotia ei unita est, Hibernia subjecta, Belgium fœderibus junctum & Navigationes vindicatæ sunt, sit inter maximas Monarchias, quæ extiterunt unquam, connumerandum. Revera etenim regna terrestria æquiparari possunt regno cœlorum; quod Servator noster non magno nucleo aut nuci assimilat, sed exiguo grano, quod tamen crescit ac diffundit ramos suos. Et talem esse constitutionem regni hujus arbitror, si applicemus consilia nostra ad amplitudinem & potentiam, nec traducamus nimium ad utilitatem & opes. Nonne opinamini sanam fuisse responsionem, quam *Solon* dedit *Crœso*, *opulento Lydiæ Regi*, ostendenti sibi ingentem auri copiam, ad ostentandam magnitudinem atque potentiam suam: præter expe-

ctationem dicens: *Si alius meliori, quam Tu, inſtructus fuerit ferro, omnis auri tui Dominus fiet.* Neque *Machiavelli* authoritas rejicienda, qui adagium illud politicum, primo ex Muciani ſermone depromptum, quod *pecunia ſit belli nervus*, caſtigans dicit, non alios belli nervos eſſe, quam nervos in fortium virorum brachiis. Præterea quicunque aſpicit ſeminaria initiaque Monarchiarum, reperiet in paupertate fundata eſſe. Perſia ſterilis eſt atque egena reſpectu *Media*, quam devicit. *Macedonia* ignobilis regio fuit & mercenaria uſque ad *Philippi* tempora *Amynta* filii. Romæ origines fuerunt paſtoritiæ & tenues. *Turca Scytharum* in Sarmatia cohors fuerunt, qui tanquam vagabundi invaſerunt eam Aſiæ partem, quæ Turcomannia appellatur. Exque iis poſt varios fortunæ caſus *Ottomannica* ſurrexit *familia*, nunc orbis terror. Sic novimus *Gothos*, *Vandalos*, *Alanos*, *Hunnos*, *Longobardos*, *Normannos* alioſque ſeptentrionis populos invaſiſſe Romanum Imperium; non autem veniſſe ut vagabundos, prædam auferentes & abeuntes, ſed magno numero ſubſediſſe in optimis ditiſſimisque provinciis, ubi non ſolum eorum nepotes, verum etiam nomina ad hunc uſque remanent diem, ut teſtis eſt *Longobardia*; *Catalonia*, verbo ex Gothis & Alanis compoſito; *Andaluſia* nomine ex *Vandelicia* corrupto. *Hungaria*, *Normannia* & alia. Nec Helvetiorum fortuna prætereunda, qui (in ſterili montoſaque regione ſiti) non ita multis abhinc annis primi Bur-

gundiæ

gundiæ Ducem illum pessundederunt, qui omnem pene Galliam vastaverat, quo tempore post pugnam ad *Granson* pretiosissima Burgundiæ gemma, multis millibus æstimata, paucis denariis vendita fuit ab Helveto plebeio, qui non magis ac Æsopi gallus æstimare scivit gemmas; Deinde eadem gens contemptum ultura, *Regis Galliæ* negotia impedivit in Italia, *Ludovici* scil. *XII.* Hic enim Rex aliquantulum morose sollicitatus à Legato Helvetiorum, ut eorum pensiones augeret, in ista iracundus prorupit verba; Quid isti Montium habitatores; num tributum mihi imponent pro lubitu? verbis his perdidit Mediolanensem Ducatum & ex Italia ejectus est. Omnia ista, *Domine Prolocutor*, confirmant *Solonis* dictum, quo dominium ferri super aurum asseritur. Si igitur quod sentio dicere licet, videtur mihi, quod dedignari nos deceat, Hispanos (qui licet nunc imperent, olim tamen servierunt multis seculis, primo *Carthaginensibus*, deinde *Romanis*, post *Saracenis, Gothis*, aliisque) nuper eos sumsisse spiritus, ut de Monarchia in Occidente somniaverint; juxta illud, *Video solem orientem in Occidente*: ea tantum de causa, quoniam apud ferum inermemque populum minas aurique gazas deprædati sunt. Nos verò è contra in hac Britanniæ insula adeo populosa & viris repleta, optimoque, ut arbitror, ferro instructa, (i.e. optimis militibus) nihil cogitare aliud, quam rationes & computum, & *Meum* & *Tuum*, & nescio quid non.

Sic, *Domine Prolocutor*, videor mihi omnia pertractasse, quæ proposui. Si autem cuiquam videar *Placebo* cecinisse; sciat ille, non adeo me hospitem in orbe esse, ut ignorem æque privatam conditionem meam decere, *Tacebo*. Verum ex intimis cordis mei penetralibus locutus sum, secundum illud: *Credidi, propter quod locutus sum*, feci quod fuit officii mei; Judicium penes vos esto. Deus autem dirigat in finem optimum.

ORATIO EQUITIS FRANCISCI BACONIS

In inferiori Domo Parlamenti, Occasione Quæstionis.

DE UNIONE LEGUM.

PLaceat vobis, *Domine Prolocutor*; si esset nunc optandi tempus, æque ac consultandi est, nemo me promptior foret aut vehementior in illo voto: ut S. R. Majestatis subditi in Anglia & Scotia iisdem gubernentur legibus; idque multis de causis.

Primo infallibile hoc foret argumentum, nunquam posthac gentes istas divisum aut separatum iri.

Secundo *dulcis tractus pari jugo*, si nobis maxime

maxime incumbit onus, jugum verò ipsos non premit; inæqualitas est.

Tertio, Qualitas & (ut loqui libet) Elementa Legum apud ipsos ejusmodi sunt, ut in compositione excellentem promittant temperaturam: nam si Prærogativæ hic nimis definitæ sunt, fortassis libertates apud ipsos nimis laxæ erunt. Si leges nostræ & processus nimis prolixi sunt, nimiisque formalitatibus intricati; eorum fortassis nimium informes erunt & summarii.

Quarto, Quantum ego quidem capio, nulla in hoc opere magna erit difficultas. Ipsorum enim leges, quantum cognovi, nostris comparatæ, similes sunt ipsorum linguæ nostræ collatæ. Hæc namque easdem cum nostra habet radices, adscitis paulo pluribus ex Latino Gallicoque sermone vocabulis; Ita Leges & consuetudines eorum, eadem cum nostris habent fundamenta, receptis paulo pluribus ex *Lege Civili* & *Galliæ consuetudinibus*.

Ultimo, medium ad hoc opus non est ignobilius ipso opere. Nam si amborum Leges uniendæ sunt, necesse est, ut in præparatione ad unionem hanc revisio atque collectio legum nostrarum instituatur; quo facto, meâ quidem opinione in hoc pacis ævo, S. R. Majestas vix Republicâ dignius aut utilius suscipere potest.

Pace data terris, animum ad civilia vertit
Jura suum, legesque tulit justissimus author.

Continua autem legum accumulatio, citra

digestionem, chaos tantum constituit atque confusionem; ipsasque leges sæpenumero in laqueos convertit populo, ut in Scriptura S. dicitur: *pluet super eos laqueos.* Jam verò *non sunt pejores laquei, quam laquei legum.* Ideoque opus hoc judico esse vere Heroicum. Atque sic quoad hoc bonum votum pro uniendis legibus in totum consentio. Puto etiam cognoscere vos ex iis quæ dixi, me hac in re non accedere aliorum opinioni, sed dudum me in hac fuisse sententia. Verum ut hoc moveor Zelo, ita videor mihi intempestivè moveri. Sic enim solent fervidi affectus: feruntur homines ad finem, ita ut ad media minus attendant. Nam si opportunum hoc tempus est de eo consultandi, erit vel ideo, quia negotium absque illo succedere nequit; vel quia tempore aut ordine hoc, quod tractamus, debet præcedere; vel quoniam commoda quædam perdemus ad hunc effectum valde desideratum tendentia, si qua cœpimus methodo pergemus. Sed neutrum horum meo judicio verum est; ideoque affectus iste, ut dixi, intempestivus.

Primo, quod non possit esse civitatis donatio absque legum unione, defendi nequit. Ecclesiam aspice ejusque unionem. Videbis multas Ecclesias unam tenentes fidem, baptismum (res spirituale civitatis jus complectentes) sæpe differre politia, constitutione, & consuetudine. Ideoque Patrum aliquis insigne quiddam observavit ex duobus mysteriis, altero Evangelii, ubi Christi

Christi tunica dicitur fuisse absque fissura; altero psalmi, ubi vestis reginæ versicolor asseritur. Ita concludens: *In veste varietas sit, scissura non sit.* Sic in hoc casu faciamus Monarchiam hanc esse unum corpus, non unius coloris. Aspice denuo exteras regiones, & quæ proxime nobis adjacet *Galliam*, videbisque hanc ibi divisionem, *Pais du Droit Escrit, & Pais du Droit Coustumier.* Nam *Vasconia, Languedocia, Provincia, Delphinatus*, regiones sunt liberæ, seu textu Civilium legum scripto gubernatæ: Verum *Insula Francia, Turonia, Bituricum, Andegavia* &c. cum omni ferè *Britannia* atque *Normannia*, consuetudinibus reguntur, quæ fere sunt quasi leges municipales. Legem autem Civilem pro fundamento tantum habent, neque utuntur ad decidendos novos rarosque casus. Jus civitatis verò ad omnes pertinet.

Secundo, quod unio legum debeat præcedere civitatis donationem, aut pari passu progredi, difficulter quoque demonstrari potest: contrarium potius evincitur. Hujus sententiæ meæ, ut multas possem dare rationes, ita quoniam tantum esset digressio, ideoque brevitas eam decet; unum tantum proferam, idque paucis planisque verbis. Legum unio longum requirit tempus, tum ad colligendum, tum ad confirmandum eas: si igitur interea illa extraneorum nota maneat; metuo ne inducat ejusmodi alienationis habitum, qui magis sit impedimentum, quam præparatio unionis.

Sapiens

Sapiens ille fuit, qui dixit; *Opportuni magnis conatibus transitus rerum*. Et in ejusmodi casibus *non progredi, est regredi*. Ut in tabula necesse est prius delere, antequam inscribatur aliud, & porro ut quod scribitur, per literas fit sigillatim; quod verò deletur, simul expungitur. Ita nunc circa tabulas humani cordis occupamur, in quas frustra laborabit spontaneam acceptionem legum nostrarum inscribere, quicunque non prius expunxerit omnes hostilitatis & extraneæ conditionis notas. Expungendæ autem sunt istæ *simul & semel*, non gradatim, illa vero imprimenda seu insculpenda distincte & per gradus.

Tertio, cum opinentur quidam communicationem beneficiorum & privilegiorum nostrorum esse sat firmum vinculum, quo trahi possint ut se nobis submittant: probabiliter tantum arguitur, multiplicemque responsionem admittit. Nam primo Intentio seu Scopus non recte intelligitur: is siquidem non est, veluti persuasus sum, ut ipsi penitus se legibus nostris subjiciant; verum ut gens utraque ad unam aliquam Legum uniformitatem perducatur. Porro cogitare, quod contractus per certos articulos & pacta conventa sit ineundus; ita ut receptis legibus nostris obtineant privilegia nostra, res est ob politicas rationes minime expectanda: neque enim plebeius homo ad eas descenderet conditiones; imprimis si verum illud Senecæ: *Beneficium accipere, est libertatem vendere*. Alia est Methodus quam Politici præscribunt:

Vin-

Vincere ipsos beneficiis & moribus. Videmus omnes creaturas ab homine primum pasci, deinde domari. Et cum regna primum formarentur, reges populum devinciebant beneficiis atque protectione, antequam jugum ipsis imponerent. Et quoad mores, quod Poëtæ vocant, *imponere morem*, quis dubitat, sedem regni & exemplum Regis, hic existentia, illico mores nostros illuc translatura, viamque legibus nostris paratura?

Et denique civitatis donatio nunc proposita ejusmodi limitationibus determinata est, ut multa relinquantur, quibus velut adamante imposterum uti poterimus ad alliciendos illos ulterius juxta desiderium nostrum. Ut igitur concludam, sententia mea est, consilium hoc de unione legum dignum esse consideratione nostra, & à bonis suppeditari animis, huic verò tempori minus congruere.

Quod igitur attinet illud de quo quæritur; aliud non est, quam utrum differentia constituenda in civitatis concessæ privilegio inter *ante-natos & Post-Natos*; non intuitu legis (hoc enim aliter definiretur) sed tantum intuitu convenientiæ; (ac si nunc denovo lex sancienda esset.) In hac quæstione duas tantum removebo objectiones, duobusque tantum utar argumentis, & vestro permittam judicio.

Prima objectio fuit: quod si differentia admittenda, in favorem Ante-Natorum ea sit constituenda: sunt enim isti homines meritis,

ritis, servitiis atque speciminibus variis conspicui. Post-Nati autem sunt infantes, qui ut Scriptura loquitur, lævam à dextra dignoscere nequeunt.

Bona hæc esset ratio, *Domine Prolocutor*, si quæstio foret de in civitatem receptione aliquot personarum per diploma privatum: nullam verò gerit proportionem ad generalem casum. Nunc enim non considerandi respectus aliquibus proprii, sed omnibus communes. Jam verò annon imaginari poterimus illos, qui eo tempore lucem aspexerunt, ex quo hæc felix unio, Regiæ Majestatis Personæ adhærens contigit, magis fore fidos, amoreque regni hujus spirantes, quam illi, qui olim extranei fuerunt? Nam *nemo subito fingitur*. Mentes non æque cito ut tempora convertuntur. Imò in *Gratiæ* effectibus, quæ multum Naturæ opem antecellit, videmus S. Paulum distinguere inter Neophytos, h. e. nuper christianismo adscriptos, & illos qui in fide educati fuerunt. Et ita videmus juxta Ecclesiæ leges Christianorum liberos baptizari ob parentum suorum fidem; cum Ethnici proles baptismum suscipere nequeat, donec intelligibilem fidei suæ confessionem edat.

Altera objectio fuit, debere nos magis attendere, quomodo coërcendi sint post-nati, quam ante-nati: Nam durante R. Majestatis ævo, utpote Principis probatæ sapientiæ atque judicii, non egemus melioribus cautelis, quam fiducia in ipsum reponenda: In secuturis autem succedentium temporum impe-

riis,

riis, cautela nostra versabitur circa rem, nec personæ poterimus acquiescere Regis.

Ad hoc regero, quod uti non possumus dehinc expectare regem minus erroribus obnoxium, quoad judicium: ita neque expectare possumus Principem æque excedentem (si ita loqui fas est) in isto benefaciendi opere erga nationem hanc quoad occasionem. Quandoquidem enim omnes principes, hominesque devinciantur vel meritis vel conversatione, nulla est verisimilitudo aliquem ex R. Majestatis posteris posse habere alterutram istius beneficentiæ causam in tam amplo gradu. Et istæ sunt objectiones duæ, præ reliquis ponderosæ mihi visæ, quare Post-Nati magis liberi debeant relinqui, nec iisdem cum Ante-Natis restrictionibus coërceri. Responsiones quoque audivistis.

Rationes duæ, quas è regione dare volui, sunt sequentes: Altera ex communi sensu petitur: altera politica est. Videmus, *Domine Prolocutor*, tempus nativitatis in plurimis casibus primario respici. In Natura plantationis tempus diligenter observatur. Astrologos videmus præsumere vaticinia de fortuna hominis ex nativitate ipsius. In legibus non incommode casus legitimationis applicabimus ad casum in civitatem receptionis. Verum quidem est Jus Canonicum commune Ante-Natos & Post-Natos in eodem gradu ponere. Ast cum in Parlamento Angliæ ista moveretur quæstio; *Barones una voce responderunt, nolumus leges Angliæ mutare.* Et quanquam negari nequit, Ante-Natos

& Post-

& Post-Natos in eodem esse gradu respectu dignitatis; non tamen sunt respectu *capacitatis*. Nemo enim dubitat Comitis vel Baronis filium ante evectionem ad istos honores natum, æque hæredem esse paternæ dignitatis ac postea genitum.

Verum hominis convicti filius ante convictionem natus non erit hæres uti ille, qui postea genitus est, nec quicquam obstante privilegio veniæ.

Ratio politica est: unamquamque restrictionem circa Ante-Natos esse temporariam, & exspirare cum ista generatione. Si verò idem circa Post-Natos ageretur, nihil aliud esse quam perpetuam separationem.

Hac in Materia autem, *Domine Prolacutor*, brevis fui, quoniam non expectavi dubium aliquod circa Convenientiam: ideoque multum ibi occupari nolo, ubi magnam contradictionem non præsagio.

COGITATA DE COLONIIS IN HIBERNIAM DEDUCENDIS PROPOSITA.

S. Reg. Majestati 1606.

Videtur Deum reservasse Majestatis Vestræ ævo duo opera; quæ inter Regia eminent maxime. Unire regna & habitatoribus

toribus replere. Licet enim eximia fortuna sit, si Rex liberare seu eximere possit regnum suum diuturnis calamitatibus; attamen judicio eorum, qui distinxerunt honores summos, illi cæteris omnibus præferendi, qui sunt Fundatores Rerumpublicarum aut Regnorum. In artibus & scientiis majus est, invenire, quam illustrare aut amplificare: & inter opera Dei major est creatio quam conservatio; in naturæ etiam operibus generatio ac nativitas dignior est quam vitæ continuatio; ita in regnis prima fundatio seu coloniarum deductio majoris dignitatis est atque meriti, quam omne id quod sequitur. Fundationis autem duo tantum sunt genera; alterum, quod unum ex pluribus facit, alterum quod ex nihilo aliquid producit. Hoc creationem mundi æmulatur, *de nihilo ad quid* procedentem, Illud ædificationem Ecclesiæ, de *multiplici ad simplex* vel ad unum. Placuit autem Divinæ Providentiæ speciali erga Majestatem Vestram gratia utrumque hoc fundationis vel regenerationis genus, Regiis Vestris committere manibus. Unionem scilicet Insulæ magnæ Britanniæ, & repletionem incolis ingentium neque ignobilium in Hibernia regionum: Quæ facta feliciter tandem peracta, illud merebuntur quod optimus Oratorum versu pessimo elocutus est: *O fortunatam natam me Consule Romam*: jure æquiori Majestati Vestræ applicandum; *Natam Te Rege Britanniam; natam Hiberniam.* Improprie enim loquebatur de liberatione

atque conſervatione, in his verò Majeſtatis Veſtræ actionibus magis proprie ea accipi poſſunt verba. Nam *Unio* & *Coloniarum deductio* revera dici poſſunt Nativitates regnorum. Excedit etiam Majeſtatis Veſtræ fortuna aut differt ſaltem ab antiquis ejusdem ſpeciei exemplis. Plurimæ regnorum uniones aut exordia ſanguinis effuſione cœperunt, Majeſtas autem Veſtra *ſolo puro & area pura* ſuperſtruet, neque opus habebit ſanguine ab expiatoriis ſacrificiis; ideoque omni procul dubio majori certiorique cum Benedictione. Quare ut auſus fui, tum cum minus cognitus, minusque obſtrictus eſſem Majeſtati Veſtræ, quam nunc ob immeritam teneor gratiam, ſcriptitare quædam de unione, Majeſtasque Veſtra eadem acceptare non dedignata fuit; ut & quæ poſthac quantum quidem valui, non ſolum per ſermones, verum etiam actiones, ſuppeditavi. Ita his audentior factus, paria circa colonias deducendas præſtare allaboro. Confiſus Majeſtatem Veſtram ex infirmitate virium mearum cognituram robur affectus mei, ingenuumque & fervens deſiderium videndi Majeſtatis Veſtræ Perſonam, Nomen & ævum eſſe plus quam Anteceſſorum benedictum atque exaltatum. Eoque magis ad hoc inducor, quoniam recordor, quod cum Banci Regii Juſtitiarius defunctus, *Popham*, hoc ſuſtineret munus, quo nunc ego fungor, & poſtmodum in Atturnati officium evectus eſſet, varia tentaverit de coloniis in Momoniam deducendis, teſte ſcripto eum in finem

propo-

proposito. Videtur tamen illud plus lucis sparsisse indicando errores, qui vitari debeant, quam directiones tradendo, quas amplecti deceat.

Primo igitur aliquid dicam de *Excellentiæ* operis, & postmodum de Mediis ad efficiendum illud. Circa Excellentiam quatuor illustres indicabo effectus. Primus est *Honor*; de hoc autem satis ferè jam jam locutus sum: Veruntamen Hiberniæ Lyra in mentem mihi revocat insigne illud Hieroglyphicum, quo prudens Antiquitas hujus generis opera delineavit. Finxerunt Poëtæ *Orpheum* virtute & suavitate Lyræ suæ convocasse congregasseq; feras & aves, natura sua immanes ac indomitas, adeo ut starent coram ipso, tanquam in theatro; oblitæ quasi suas proprietates, id est, sævitatem, lubidinem & rapacitatem; attendentes è contra sono ac harmoniæ Orphei. Et paulo post convocasse pariter lapides atque arbores, ut relictis locis suis ordine ipsum circumstarent. Fabulam hanc interpretati sunt veteres de regnis domandis atque plantandis; quando scilicet populus eo adducitur, ut mores suos feros deserat, nec amplius sanguinem atque vindictam sitiat, neque exerceat furtum aut rapinam: attendat verò eruditis legibus, & regimini sapientum; sequitur enim postea immediatè convocatio lapidum ad extruenda domicilia, arborumque ad fabricandas domus, hortos plantandos & septa erigenda, aliaque.

Hoc jam opus præ aliis insigne, est nunc in Majestatis Vestræ manibus; præsertim si

Davidis Lyra ad ejiciendos superstitionum dæmones jungatur Orphei Cytharæ, ad abigendam desolationem atque barbariem.

Secundus operis hujus effectus est *Evitatio inconvenientiæ*, communiter felix ævum insequentis, estque malus bonæ causæ effectus. Ætatis hujus revolutio videtur ut plurimum in istis partibus inclinare ad pacem; Majestatis quoque Vestræ maxime Christianæ ac virtuosæ propensiones eandem promittunt, istis præsertim regnis vestris. Effectus pacis in fœcundis regnis (ubi populus nunquam attenuatus aut imminutus bello, continuo multiplicatur augeturque) est tandem nimietas incolarum, ac tanta quidem, quam ut eam ferre possit regio: quæ sæpenumero inducens communem necessitatem aut defectum mediorum apud omnes ordines, externam pacem in tumultus internos atque seditiones convertit. Jam verò quam nobilis occasio, hanc avertendi inconvenientiam Divina Providentia suppeditata fuit Majestati Vestræ, per hanc Hiberniæ culturam? in qua tot familiæ sustentari poterunt; & quarum ex Anglia Scotiaque exitus varia futurarum turbarum semina prævertere valet? Eritque hoc simile homini, meditanti qua ratione à loco, cui superædificaturus est domum, aquam abducat; & postmodum inito consilio, deducat illam in lacus aut rivos, vel voluptatis, vel commodi gratia. Sic Majestas Vestra duplicem ex hoc opere fructum metet, hic evitabitur nimietas, ibi supplebitur defectus populi.

Ter-

Tertius effectus eſt ingens ſecuritas Reipubl. hinc enaſcens. Irritæ erunt omnes exterorum machinationes, quos debilitas regni hujus olim invitavit. Non autem opus eſt, ut rei hujus rationes petam è longinquo, ſive generaliter, ſive ſpecialiter. Ad generalem pertinet, manifeſta illa illius Romani de Peloponneſo dictio: *Teſtudo intra tegumen tuta eſt:* exſerens verò membrum aliquod, non ſolum illud periculo exponit, verùm & omne corpus reliquum. Et ſic videmus in armatura, ſi aliqua pars remaneat inoperta, integer homo periculo eſt expoſitus. Et in ipſiſſimo hominis corpore ſi aliqua pars ſit infirma, aut male affecta, rheumata & malignos humores attrahit, ad interrumpendam integri alias corporis ſanitatem.

Quoad ſpecialem, nimis recens eſt exemplum, docens infirmitatem regni iſtius fuiſſe continuam turbarum & ſtatum noſtrum infeſtandi opportunitatem. Et quamvis Majeſtatis Veſtræ Excellentia timorem hunc quodammodo diſſipet, attamen fieri nequit, quin cum incremento Potentiæ Veſtræ etiam creſcat invidia.

Quartus isque ultimus effectus eſt eximius uſus ac robur, omni procul dubio emergens & regno Veſtro hanc ejus rudem partem excolendo accreſcens. Majeſtas autem Veſtra (virilem vivens ætatem) annuente benigna Dei omnipotentis gratia, plus quam primitias inde capere poterit, poſteri verò creſcentem vividamque opum ac potentiæ potientur venam. Hæc enim inſula altera

Britannia existens; ut Britannia alter orbis, tot naturæ dotibus referta est (si consideremus soli fertilitatem, Portus, Flumina, Piscationes, Lapicidinas, sylvas, aliaque ad ædificationem apta, & in specie genus, robur, dexteritatemque incolarum) ut difficulter, imo ne quidem in continente tanta opum affluentia reperiatur, si opera hominum jungatur naturæ operi. Media quibus hoc efficiatur, Majestati Vestræ suppeditabunt viri experti industriique, ibi jamdum regia perficientes ministeria. Prudens quoque hic & sagax suggeret senatus; cognoscunt enim hi palpitationem cordis, i. e populi, viasque norunt, quibus magnæ actiones sunt gerendæ. Ut taceam illum, qui omnes superat, sapientiæ omnigenæ fontem in sacratissimo Majestatis Vestræ pectore. Quanquam in ejusmodi negotio, tam universali, vitio verti nequeat Majestati Vestræ, si varias audiat opiniones. Nam ut Demosthenes bene dixit; *Bonum Principis vel Reipubl. fatum aliquando bonam sententiam in stulti buccam ponit.* Puto igitur, media huc tendentia in duobus primario consistere. Primum est Invitatio ac incitamentum ejusmodi hominum, qui illud aggrediantur opus. Secundum, Ordo ac Leges ab his observandæ. Nam ut in omnibus instrumentis est aliquid, quod motum & robur confert, reliquum autem illud ipsum gubernat ac dirigit. Sic res se habet in istis rerum publ. instrumentis seu machinis. Primum quoad: certe, post Providentiam atque Digitum

Dei,

Dei, nobile hoc atque excellens desiderium, tabulis seu Regio Majestatis Vestræ cordi inscribentem; Authoritas atque benigna Voluntas Vestra est *Primus Motor* hac in causa: Ideoque quo firmius & plenius Majestas Vestra declarabit voluntatem suam, eo efficacior erit progressus. Actio enim est, quæ ut dignitate sua geritur, ita indoles ipsius requirit, ut excellentia quadam existimationis perficiatur: Dignaque mihi videtur ut tum pulpita, tum Parlamenta, omnesque loci de illa resonent: Nam illud quod vanitas est alicubi, (intelligo autem famam) admodum hoc in casu efficax est.

Deinde ad inferiores descensurus sphæras atque quid cooperari queant subditi, quibusque mediis incitari, traditurus, plano eoque certissimo fundamento innitar. Omnes homines ad agendum impelluntur *Voluptate, Honore & Utili.* Sed antequam de his tribus loquar, merito inserenda mentio de Qualitate eorum; qui hoc aggressuri sunt opus. Et hic opinio mea est, quod si Majestas Vestra, eas Hiberniæ partes, quæ habitatoribus replendæ sunt, voluerit tanquam mercedem, aut præmium egenis exponere, utpote qui probabiliter præ aliis illam quærent: Vix fieri poterit, ut coloniis adæquate sufficiant, sed deficiant potius in opere medio, & ut Tacitus inquit, progrediantur *acribus initiis, fine incurioso.* Tentent id potius opulenti, non vero sustentent se hic indigi. Nam isti ad hoc opus idonei sunt, qui possunt successiones redimere ma-

cras, etiam post mortem usum fructum sperantes, aut tales qui expendere possunt pecuniam, sero eandem recepturi.

Non tamen puto, quod qui opus hoc aggredientur, non habituri sint inter se duces quosdam & servos securitatis ergo; verum in genere loquor de ipsorum statu, voloque ut sint opulenti ac divites.

Jam igitur sponte sequitur de causis impulsivis sermo. Nunc enim apparet quam necessarium sit allicere homines, quandoquidem ad illud qui sunt prompti, minus sunt idonei; qui verò idonei sunt, minus prompti erunt.

Voluptatis in hac regione nihil est; non enim ibi sunt hyemes tepidæ, aut Aurantia poma, aut feræ seu volucres peregrinæ, vel alia tum curiosa, tum delectantia, ut in India, alibique. Vix igitur quicquam aliud circa voluptatem dici potest; quam ipsum Novitatis desiderium atque experimentum apud ingenia summa esse voluptatem. Ideoque reliqua duo ab Honore & Utilitate petita argumenta erunt quibus unice insistendum est.

Circa Honorem Majestati Vestræ proponam; annon prudenter fieret, si ad illustrandum illum Comitatus Ultoniæ adderetur Principis Titulis? Docuit id Eduardus I. Rex, ad coercendos Walliæ incolas ejusmodi artificio usus. Et Hispaniæ Rex videtur eodem fine assumsisse Provinciam in Neapolitano Regno. Aliosque puto idem fecisse: est enim illud

ma-

magnum in ejuſmodi opere ordiendo incitamentum.

Amplis etiam illis territoriis conſideratis fortaſſis placebit Majeſtati Veſtræ nobilium ordinem ibi conſtituere. Quod ſi fieret tantum novorum titulorum aut dignitatis gratia, abſque relatione ad vetera: abſque conjunctione etiam multorum agrorum in una manu; aut tandem abſque oneribus aut legibus multis, non video poſſe oriri inde aliquod periculum; ut econtrario perſonæ illuſtres divitesque allici poſſent ad promovendam Hiberniæ culturam, ſumtusque ſuppeditandos.

Ordo tandem Equeſtris viris collatus plebejis, vel Equeſtris ordo cum aliqua differentia nova aut Præcedentia, plurimos certe movere poterit. Si verò putet aliquis, ea quæ propono, eſſe *aliquid nimis*, ſecundum proportionem operis hujus; palam fateor, Majeſtatem Veſtram, ſi voluerit revera & feliciter effectum aſſequi, non poſſe nimios ſolares radios eo demittere; *Nam Lunæ radiis non matureſcit botrus.* Tantum de Honore. NB.

Utile tribus conſtat partibus. Prima ſit exiguus cenſus, quem Majeſtati Veſtræ ab iſtis colonis exigere placeat.

Secunda Libertas, quam Majeſtati Veſtræ iisdem permittere libeat. Quando autem de libertatibus loquor, non intelligo immunitatem à jurisdictione, ut Comitatus Palatini, aut ſimilia: (circa quod ut videtur erratum eſt in antiquis donationibus & coloniis

iſtius regni) ſed intelligo ſaltem libertatem exempli gratia, exportandi merces in terra noviter culta enatas; importandi hinc omnia ipſis neceſſaria; immunitatem à telonio; licentiam lignorum aliarumque rerum ex Majeſtatis Veſtræ Sylvis & ſimilibus.

Tertia eſt, ſumptuum allevamentum, ne ſcilicet ii à privatis ſolummodo fiant.

Priores duas mitto, quoniam in illa deſignatione, quam diligenter prudenterque conſcriptam exhibuerunt Majeſtati Veſtræ Miniſtri in illa regione conſtituti, mea quidem ſententia optime pertractatæ ſunt.

Circa tertiam verò non dubito, quin Angliæ Parlamentum intelligens, Actionem hanc haud eſſe inane fulgur, verum ſolidum & firmum propoſitum, ſubveniet operi tam ſacro, neceſſario & utili. Diſtributio autem ſumptuum (ſi bene obſervemus) proprie in tria diſpeſcitur membra, quorum unumquodque peculiari ſua gaudet ſcaturigine. Nam ut ex Majeſtatis Veſtræ Liberalitate ac Munificentia agrorum donatio aliarumque rerum manat, una cum privilegiorum indultu; & veluti ſumptus privatorum ædibus extruendis, fundorum proviſioni, commeatui & aliis rebus, ab his impendendi erunt, qui hoc in ſe ſuſcipient opus; ita omne quod publicum eſt, ut ædificatio templorum, civitatum munimenta, publicaque earundem ædificia, pontes, regiæque viæ & ſimil. non adeo à privatis exigenda, quamex ærario hujus regni publico haurienda, utpote cui

pari-

parilem opus hoc afferet gloriam, robur atque commoda.

De designatione ipsa tanto minus dicam, quanto exactius Comitatum Tyronensem consideravit. Ideoque circa illa tantum occupabor, ad quæ vel addam aliquid, vel dissensum meum ostendam; sunt autem quinque. Primo mentionem faciunt commissionis circa colonias has instituendæ. Hæc ante alia est necessaria, tum ad dirigendas, tum ad sedandas controversias & similia.

Huic duo appono. Prius est, quod fortassis & ab ipsis intenditur, non autem exprimitur; quod Commissarii debeant aliquamdiu residere ac manere in civitate quadam Hiberniæ populosa, propinqua tamen locis illis, qui excolendi erunt; ea de causa ut eo citius exequi possint officium suum. Probabile etiam est, quod attrahendo plebem atque opifices ad civitates istas, cultores novæ terræ poterunt ab ipsis accipere tum auxilium, tum alia sibi necessaria. Et denique commodus erit ejusmodi locus, in quo tuto recipi atque asservari poterunt ea, quæ illic exponi deponique colonorum intererit.

Posterius est, ut Majestas Vestra commercium literarium sanciat inter Commissarios illic & Senatum coloniarum hic instituendum. Hoc suadere audeo ad exemplum Præsidis in Senatu de colenda Virginia constituti. Opus mea quidem opinione tantum ab hoc differens, quantum *Amadisius Gallicus à Cæsaris Commentariis* distinguitur. Sed quando de senatu coloniarum loquor, intelligo so-

lum personas quasdam, quarum labor sit, referre, i. e. præparare ac recensere ista negotia Consilio status intimo. Nam licet Majestas Vestra prudentem idoneumque senatum in Hibernia habeat, à quo ut Commissarii adjuventur atque dependeant necesse est, id tamen nondum rei satisfacit, de qua loquor. Nam, quia circa animadversiones tum Commissariorum, tum Senatus in Hibernia multæ se offerent occasiones directionum à Majestate Vestra petendarum, à Consilio autem status intimo, plurimis negotiis occupatissimo, celerrime expedientur & feliciter scribentur directiones seu responsa, si res in antegressum consideratæ fuerint ab his, qui continuam earum gerunt curam. Erit id quoque solatium atque remuneratio quorundam præcipuorum novæ terræ colonorum, si in hunc admittantur senatum.

Secundo clausulam ponunt, qua opus hoc aggressuri, ipsi adiguntur ad illud perficiendum: ab hac dissentire cogor, si firmas esse volo propositiones jamjam recitatas. Verisimile enim non videtur quod homines opulenti, ac multis bonis abundantes ipsi suscipient iter, ejusque incommoda ac pericula subibunt: Sed potius auguror, quod portiones quasdam sibi eligent, providentes liberis suis minoribus natu, aut consanguineis: vel expectantes suavissimum aliquod inde lucrum, cum tandem effectum fuerit opus istud. Ideoque probabile est, quod huic negotio adhibebunt filios, cognatos, servos vel inquilinos, ita tamen ut lucrum ad ipsos redun-

redundet. Fieri quoque poteſt, ut conjungant aliqui opes ſuas & ſumtuum ſocietatem ineant, ita tamen ut ex conſenſu alteruter tantum iter hoc ingrediatur.

Tertio videtur mihi aliquid in deſignatione afferi, quod neque facile quis exequi poterit, nec proficuum erit. Idque eſt, quod ædificia debeant *ſparſim* extrui in unaquaque portione, & Caſtellum ſeu primaria domus debeat prædia, locatasque ædes poſtmodum ſibi jungere tanquam villas: Civitates autem tantum quatuor eſſe debeant, opificibus atque Mercatoribus conceſſæ.

Opinio mea hac de re eſt, ut omnia ædificia ſint in civitatibus æque ad officinam, quam agriculturam conſtituenda. Rationes meæ ſunt:

Prima, Quando homines veniunt in regionem deſertam, ac omnibus ad vitam neceſſariis deſtitutam, ſi in uno aliquo loco conſidebunt, tanto facilius egeſtatem ſuam ſupplere poterunt mutuo. Opifices omnis generis continuo abſque jactura temporis ſuas exercebunt operas; nam deficiente labore hoc in loco, in alio prope adjacenti is ſuppeditari poterit. Mercedes portatoriæ leviores erunt, ſi ad certas ſedes ſeu oppida merces deferentur, quam ſi ad multas diſperſas ſolitariaſque vehendæ erunt ædes. Infinita quoque alia ſubſidia & levamenta, vix cogitatione apprehendenda ſequentur vicinitatem atque ſocietatem populi. Quod ſi vero unuſquiſque (ut deſignatum eſt) ſeorſim ædificabit, neceſſe erit, ut ſuum habeat cor-

nucopiæ, i. e. omnes res necessarias pro se. Quod non potest non multum causare difficultatis atque solicitudinis.

Secunda, Extrahet hoc ex habitatis Hiberniæ partibus commeatum, & non solum ad victum, verum etiam ad alia necessaria, spe divenditionis: cum si disper sa erunt habitacula, unusquisque tantum ea providebit, quæ secum ferre potest, ut apud navigantes in usu est.

Tertia, sumptus in sepimenta circa unumquodque Castellum aut domum erogandi, servari poterunt, si habitationes in oppida coalescent.

Ultima: Erit hoc medium ad conservandam regionem adversus rebelliones atque defectionem. Nam levi munimento, quod nec magnos sumptus requiret, omnes prædonum assultus præveniri possunt. Ejus omissio seu neglectus in Momoniæ cultura effecit, ut operæ multis annis absolutæ, essent aliquot tantum dierum deprædationes. Si verò aliquis putet, hac ratione Colonos nimium, procul à solo excolendo divisum iri; Judicandum est, quod civitates quoque multiplicandæ sint; & ita extruendæ, ut quasi in meditullio terræ colendæ sitæ sint. Nam & in quibusdam Angliæ districtibus, ubi in urbibus junctim non verò sparsim habitant, insolens non est, duobus ab urbe milliaribus exire ad arvum solicitandum aratro. Duo autem milliaria in circuitu sat amplum terræ spatium suppeditabunt.

Quarto, Dissentio à designatione in re

qua-

quadam, magis circa quantitatem & proportionem, quam circa materiam. Conceditur his, qui opus hoc in se suscipient, intra quinquennium præfixum alienare, tertiam partem prædii, & elocare alias ad annos quadraginta. Hoc puto, truncabit portiones, eritque doli occasio, quo ex duabus tantum partibus lucrum capi possit. Contraria autem mea est opinio, quod quo magis primus adstringetur Colonus ad retinendos agros, eo felicius opus hoc sit processurum. Nam primo, Persona huic regno subdita culturam aggrediens, est Colonus immediatus: Secundo, quo magis lucrum ipsius ex annuis succrescentibusque reditibus dependet, eo suavius allicietur ad colendos exercendosque agros; ideoque verisimile est, ipsum eo majorem navaturum operam: Tertio, quandoquidem indigenæ excluduntur, non video, quomodo hinc allici possint homines istius conditionis, sunt enim quasi jacturam facientes, cum domos extruunt. Persuadeo enim mihi, quod homines eo trajicientes erunt nobiles, eorumque servi; operarii etiam & vernæ, non vero gens rustica locuples. Ideoque sumptus ad extruendas domus, quæ elocentur, aut prædia erigenda, aut ædificia splendida, certe ab iis faciendi erunt, qui principes sunt in hoc negotio: compensabuntur autem sumptus isti abunde & cum insigni lucro, si non tarde vel sero terminaturos conficiant locationum codicillos. Hic igitur articulus aliquo modo ut mutetur necesse erit.

Quinto, Dicerem fere neceſſario requiri, ut viri iſtius regni ſtatum habentes cognitum ſpeciales quaſdam rationes colligant ſumtuum, commeatus aliarumque rerum, ad Colonias deducendas requiſitarum: eum in finem, ut provideri queat de omnibus atque ſuppeditari his, qui eo proficiſcentur: decet enim, ut privatæ induſtriæ publica ſollicitudo ac ordinatio ſubveniat.

Sic expoſui Majeſtati Veſtræ rudes iſtas atque infirmas cogitationes, quas mecum ipſe hac de materia alui, circa quas verò etiam humillime Veſtræ Majeſtatis precor veniam atque benignam acceptationem affectus mei probæque intentionis: Regulam enim eſſe exiſtimo, quod Monarchis non ſolum à fidelibus miniſtris ſuis debeantur officii tributa, verum etiam læti cordis oblationes. Sicque Omnipotentem obteſtor, ut ingens hoc opus beet ſollicitudine Majeſtatis Veſtræ, ſollicitudinem autem feliciſſimo ſucceſſu.

LE-

LEGUM ANGLICANARUM COLLECTIO ET EMENDATIO PROPOSITA

Sacræ Regiæ Majeſtati

A

FRANCISCO BACONO EQUITE.

QUandoquidem S. R. M. Veſtræ Gratia in ſanctius me adſcivit conſilium, ut tamen inſimul & in *Atturnati Generalis* perſeverarem officio (quod hocce non contingit ſeculo) non ita interpretor, ac ſi deſinendo cauſas tractare forenſes; ferias nunc agere mihi liceat; Sed quo integrius meum Majeſtatis Veſtræ ſervitiis conſecrare debeam otium, minusque negotiis diſtrahi aliis. Ideoque in largo hoc temporis, quod lucratus ſum, ſpatio, debitum meum eſſe exiſtimo, non ſolum Majeſtatis Veſtræ propere exequi mandata, functioniſque meæ munia; ſed & meditari atque excogitare ſponte, quomodo, vel me miniſtrante, Majeſtatis Veſtræ virtutes in ſubditorum poſſint derivari commodum: ſubditi quoque reddere grates amoriſque incrementum. Poſtquam autem varia expendi, nihil, me judice, inveni magis Majeſtatem Veſtram, tanquam Dominum, neque me, ceu vernam, decens, quam Le-

gum

gum Anglicanarum Collectionem inque ordinem digestionem.

Rex est Majestas Vestra prole beatus, tales autem Reges æternitatis feliciſſime ſtudent operibus. Non enim linquunt ea ſobolis loco, verum transmittunt cum proſapia etiam merita ſua ad generationes futuras. Magnus in juſtitia judicioque artifex eſt Majeſtas Veſtra, dolendumque eſſet, ſi hujus virtutis fructus una cum Majeſtate Veſtra emoreretur. Imperat Majeſtas Veſtra in ætate doctiſſima, vel ſola Regis eruditione, ipſiusque literarum patrocinio clara: & quoniam ea fuit eruditorum operum infelicitas, ut ſecula minus docta prævaluerint in ea; id nunc fiet neutiquam. Ego Legem profiteor, eique debeo plurima. Poteſt eſſe, quod & exigua aliarum ſcientiarum ſubſidia fuerim adeptus: aſt ea ſaltem formam ſuppeditant materiæ. Collocavit me Majeſtas Veſtra in eminentem locum, ubi in opere, quod plurium indiget opera, coadjutores poſſum nanciſci. Ideoque ne detineam Majeſtatem Veſtram præfatione longa circa illud, quod nihil minus, quam vanum ſermonem eſſe judico, rem aggrediar ipſam, quæ tamen ſeipſa flagitat, ut breviter præmittantur quædam ejus dignitatem, ſecuritatem & congruentiam demonſtrantia: & deinde ad opus ipſum accedatur, i. e. doceatur, quomodo ſit perficiendum; quod etiam juxta oſtendet optime, vaſtum non eſſe, nec ſpeculativum opus: ſed reale & tractabile. *Calliſthenes, qui Alexandri ſequebatur* aulam, ejusque incurrerat indignatio-

gnationem, quod non æque tolerare posset Persicam adorationem, in cœna (quæ apud Græcos magna ex parte sermonibus transigebatur) tempore quodam jubebatur, eloquens enim erat, disserere; quod & præstitit, pro themate eligens *Macedonum laudes*. Id, licet ineptum videretur, in faciem laudare homines, tanto cum veritatis emolumento fecit, tantaque adulationis evitatione, tantoque vigore, ut auditores exilientes, rosas ex sertis suis decerperent, inque illum congererent; is enim tum applaudendi mos erat. Alexander verò indignatus dicebat: *Qui dictionis nactus est campum bonum, haud ægre fit isthic eloquens. At ostende* (inquit porro Callistheni) *facultatem tuam vituperandis Macedonibus, quo emendentur auditis delictis suis, nec solum delectentur laudibus.*

Hinc ad retractanda illa priora tanta libertate disseruit, ut Alexander diceret: *Bonum Thema ipsum antehac fecit eloquentem, nunc autem malitia cordis sui ei suggessit talia.*

1. Domine mi. Ad neutrum horum delabar extremum, de legibus locuturus Anglicanis. Optime seipsas commendant iis, qui eas intelligunt, atque Majestatis Vestræ Justitiarius summus laudavit eas non immerito. Revera sunt sapientes, justæ & moderatæ. Dant Deo, Cæsari & subditis, quæ ipsorum sunt. Verum est, mixtas esse, ut linguam nostram, & ex *Britannorum*, *Romanorum*, *Saxonum*, *Danorum*, *Normannorum* consuetudinibus compositas: Verum uti lingua no-

ſtra eo eſt copioſior, ita & leges eo perfectiores: neque dedecori ipſis eſt, quod quidam objiciunt, non eaſdem fuiſſe ſemper omni tempore. Nulla enim arbor ab initio tam eſt bona, quam poſtquam translocata fuerit.

2. Neque ad imitationem alterius extremi, reprehendere leges queo. Loquor tantum de earundem perfectione, quæ facillima eſt in rebus optimis. Ea quæ valde ſunt depravata, ægre emendationem admittunt; quod verò jam habet aliquid, ei plura poſſunt addi. Præterea quæ proponam, non legum materiam, ſed formam indicum, expreſſionum & traditionum reſpiciunt: adeoque potius lux affundetur eis, quam nova conferetur natura. Hoc cum ita ſit, vix invenio dignitati operis hujus quicquam par. Nam firmiter Honorum regiorum gradus, & ſatis rectè, conſtituti ſunt, ut primum occupent Rerumpl. fundatores, ſecundum Legum latores, tum ſoſpitatores, & ex diuturnis calamitatibus Liberatores. Poſtmodum Patriæ ſuæ Patres, qui ſunt juſti prudenteſque principes: & denique Victores; qui tamen honoris gradus cæteris non annumerandus, niſi plurium regnorum additio fiat ad regnum, quod victis eſt melius. Ex his Majeſtati Veſtræ majori cum veritate, quam aſſentatione, prius tribui poteſt, ob Britanniæ unionem, ac in Hiberniam deductas colonias, quæ utraque fundatorem indigitant. Hoc quod jam propono, ſecundi gradus titulum Majeſtati Veſtræ acquirere

poteſt.

poteſt. Legislatores appellati ſunt *Principes perpetui.* Nam uti *Gardnerius Epiſcopus* malo dixit ſenſu, velle ſe & centum poſt mortem annis Epiſcopum eſſe, intuitu præceptorum, quibus inſtruxerat ſuos, ſic Legislatores etiam poſt mortem imperant & regunt per leges ſuas. Verum opus hoc, cum per ſe ſplendeat, accenſa non eget face. Quoad ſecuritatem, congruentiamque ejus neceſſe ſaltem eſt, ad eas reſpondere objectiones, quæ in contrarium afferri poſſunt.

Obj. 1. Eſſe opus minime neceſſarium. Et legem, qualis nunc eſt, bene conſtitutam eſſe, etiam exterorum legibus æquiparari aptam. Neque poſſibile eſſe, ut hominis ingenium fragilitate ſua impeditum, omnibus legis incertitudinibus, evaſionibus, omiſſionibusque providere queat.

Reſpond. Vanum eſt de comparatione cum Legibus exteris loqui; non enim hic unquam conſentient homines. Jurisperiti noſtri pro lege municipali ſententiam ferent: Civilis legis periti, & illi, qui peregrinati ſunt, aliter ſtatuent. Hoc autem verum eſt, leges noſtras, uti nunc habemus eas, variis obnoxias eſſe incertitudinibus, opinionum varietatibus, dilationibus & evaſionibus. Unde enaſcitur 1. multas & diuturnas eſſe lites. 2.) rixoſos armis inſtrui, virum verò integrum defatigari & opprimi. 3.) Judicem magis eſſe abſolutum, qui in caſibus dubiis majori gaudet libertate & potentia. 4.) Fora magis frequentari, quandoquidem remedium ſæpe obſcurum eſt & dubium. 5.) Juriſconſultum

imperitum suam legis ignorantiam contegere dubiis tam frequentibus. 6.) Hominum possessiones esse incertas, quoniam contractuum libelli, testamenta & diplomata sæpe in quæstionem vocari & irrita reddi queunt: Ut alia taceam.

Egregia est regula (nam omnes secundum magis & minus incertæ sunt leges) isthæc: observa, num enata dubia sint tantum in casibus ordinariis, an verò extraordinariis & raris. Si primum, adscribe tantum fragilitati humanæ, quæ legibus suis ad omnes pertingere nequit casus: si vero posterius, persuasus esto, in lege defectum esse. Neque de hoc plura, præterquam istud, (ut unicuique suum tribuam) Nisi Eduardus Cokius recensuisset eam (quæ recensio licet erroribus scateat, iisque gravibus, contineatque resolutiones extrajudiciales, nec authoritate fultas: attamen & complectitur bonas decisiones infinitas, casuumque regulas) Lex hoc tempore esset fere instar navis absque saburra. Casus enim præsentium temporum longe diversi sunt ab iis, qui dijudicabantur olim. Hoc verò opus nullibi magis est necessarium, quam in *statutorum* corpore. Nam primo multæ ibi sunt illaqueantes pœnariæ leges subditis incumbentes, quæ si temporibus iniquis resuscitarentur atque executioni darentur, omnino contererent eosdem. Eruditus quidam JCtus illam Prophetæ maledictionem: *pluet super eos laqueos*: de multitudine pœnalium legum interpretatus est: magis noxia enim est, quam grandinis imber, vel alia

alia tempestas pecudes feriens ; hæc enim in homines cadit. Sunt quidem aliquæ ex legibus istis retinendæ, ast pœnam infligunt nimiam : & semper observatum est, pœnas nimias (præter acerbitatem suam) infringere legis executionem.

Deinde & inconveniens est, quod sint leges pœnales obsoletæ ; hoc enim inducit Gangrænam, neglectum & inobedientiæ speciem adversus leges sanas ; continua praxi & executione dignas. Adeoque leges nostræ *Mezentii* experiuntur supplicium : *Vivi in mortuorum pereunt amplexibus.*

Denique tantus est statutorum cumulus circa materiam eandem, eaque tam perversa & intricata, ut legis certitudo vel in solo perdatur acervo. Ut & ipsa Majestas Vestra est experta nuper, cum quæreretur : an novissori incendiarius debeat sui cleri gaudere beneficio?

Obj. 2. Magnam esse innovationem, omnes autem innovationes esse, ultra quam prævideri possit, periculosas. *Resp.* Purgationes omnes & medicationes sive in naturali, sive in Civili fiant corpore, sunt innovationes. Adeoque argumentum hoc locus est topicus adversus reformationes præclaras omnes. Verum in eo versatur negotium, non debere opus hoc appellari haberique pro innovatione malo sensu : nam innovationes evitandæ respiciunt conscientias, bona & fortunam privatorum. Hæc vero generalis cum sit constitutionis nullum lædit privatum, sed procedit *sine strepitu.* Præterea melio-

ris fortis est, allevat non premit: Et denique est potius ordo & explanatio, quam immutatio. Neque est sine exemplo in Rebuspubl. antiquis.

Obj. 3. Hac legis statutorumque purgatione, multa etiam auferentur bona.

Resp. Potest fieri, quod in omni purgatione aliquantum humoris boni decedat: veruntamen hic defectus large compensatur eo, quod corpus à malis multis liberatur.

Obj. 4. Satius esset, si lex Angliæ communis fieret textualis, uti sunt statuta: & utraque certa methodo sub certis consignaretur titulis.

Resp. Nimis longum foret decidere, utrum *Lex scripta aut non scripta*, i. e. Textus Legis vel consuetudines in ordinem digestæ, cum receptis & approbatis fundamentis seu axiomatibus, actis etiam & definitionibus de seculo in seculum fideliter recensitis, melior sit modus ad declarandas confirmandasque leges. Erat Lycurgi institutum, ne aliqua ejus lex scriberetur: Consuetudines sunt leges vivis inscriptæ tabulis. Neque Ecclesia traditiones omnes rejicit. In omnibus scientiis prudentissimi sunt, qui specialibus presse adhærent. Certusque sum plura enasci dubia ex statutis nostris, quæ sunt lex scripta, quam ex lege communi, quæ scripta non est. Sed utcunque hæc decidatur quæstio, suadere non audeo, ut lex in novam redigatur formam. Opus quod intendo, est ut lex putetur & inseratur, non vero sulcetur planteturque de novo: hoc enim revera perniciosa esset innovatio.

Obj.

Obj. 5. Judices, Jurisconsultos & Jurisstudiosos in scholam reducet, jubebitque inquirere denuo, quod manu teneat, ac pro lege recipiant: novamque denique causidicis imponet necessitatem, alios coëmendi libros.

Resp. Novus requireretur labor, si lex fieret scripta: nam hic incipere oporteret eruditos. Ideoque & hæc est ratio, ob quam scribi dissuadeo. Sed illa ratione, quam nunc proponam, integrum corpus & systema legis permanebit; rejectis saltem otiosis, inutilibus aut noxiis materiis: illustrabiturque ordine, aliisque ad melius intelligendum, & dijudicandum subsidiis. Quod verò novos obtendant sumtus, quos facere oporteat, vix loquela dignum est in re tam ardua: potuisset idem adversus novam Bibliorum interpretationem objici, & opera similia. Libri sequantur scientias, non scientiæ libros.

Opus ipsum & Modus colligendi ac dirigendi Leges Anglicanas.

Opus hoc (ut paucis expediam; non enim facta multis egent verbis) ista perficiendum ratione, duabus constat partibus: Digestione seu collectione Legis Communis & statutorum. In illa tria sunt præstanda; 1.) Fiat liber de *Antiquitatibus juris*; 2.) reducatur seu perficiatur *legis Communis systema*; 3.) conscribantur *introductiones* & alia Legum studiis ministrantia.

Quoad primum necesse est, ut omnia monumenta antiqua in arce Regia vel alibi, quæ continent Parlamenti acta, Diplomata illustria,

ſtria, Commiſſiones & judicia &c. conquirantur, perlegantur & examinentur. Ex his ſeligantur, quæ maximæ ſunt dignitatis & ponderis: & quidem ratione temporis, non titulorum (ut eo melius Annalibus reſpondeant) collocentur, raro *iisdem verbis*, ſed cum judicio excerpta, ne ulla pars prægnans omittatur. Et iſta adhibeantur, tanquam exempla veneratione digna, non verò ut authoritates conſtringentes.

Quoad ſecundum, quod eſt primarium, fiat legis deſcriptio, ſecundum temporis ſeriem (annales vocamus) inde ab Eduardo I. ad hunc uſque diem: hic autem obſerventur ſequentia.

Primo caſus omnes, qui hodie legem manifeſte non conſtituunt, ſed perpetuo contrariantur, eidem omittantur. Implent tantum volumina, atque ſtudioſorum acuunt ingenium contra legem. Caſus autem omnes dudum ſolenniterque deciſi, & de quibus jam quæſtio movetur nulla, ponantur ceu res judicatæ & definitæ abſque argumentis, quæ nunc ſolum pro frivolis habentur. In gratiam tamen legisperitorum profunde doctorum, ut videant, quomodo lex immutata fuerit, indeque in commodum ſuum eliciant quædam, ſuadeo, ut quam primum caſibus obſoletis apponatur memorandum, legem hanc hucuſque viguiſſe, ſic fuiſſe acceptam, &c.

Secundo, *Homonymiæ* (ut Juſtinianus appellat eas) h. e. caſus mere iidem removeantur, iique retineantur tantum, qui optime

ſunt

ſunt enarrati atque muniti argumentis. Sententiæ autem judiciales ſingulæ juxta temporum ſeriem apponantur, allegatis tantum locis, ubi fuſius pertractatæ reperiuntur. Si verò in caſu occurrat tum repetitio, tum materia nova, omittatur illa:

Tertio, Antinomias ut hi tollant Commiſſarii, majus eſt, quam quod eorum poſſit committi ingenio, niſi adſit ſententiarum in contrarium hac ætate copia: Ideoque leges contrarias obſoletis annumero: de quibus ante hac. Hæ tamen contradictiones diligenter annotentur, colliganturque: eum in finem, ut dubia illa hactenus controverſa vel in congregatione omnium Ærarii Advocatorum vel Parlamento definiantur. Nam ut in quæſtionem veniant ſub nominibus fictis minime probandum. *Nil habeat forum ex Scena.*

Quarto, Quæſtiones otioſæ, quæ ſunt dubiorum ſemina omittantur: niſi dubium quoddam magni momenti exhibeant, bene expenſum, non tamen ob difficultates ſuas deciſum: dubia enim, etiam in argumentis explicationis ergo reperienda, ſatius eſt emori, quam in libris conſervari.

Ultimo, Caſus referantur breviſſimis &c. i. e. evitentur tautologiæ & obſcuritas. Quod verò attinet negligentem & minus intelligibilem relationem, quæ ſæpenumero ſtudioſos confundit: ea corrigetur obiter: primario autem ſi in relatione quicquam ſit, quod documentis minime continetur, diligenter emendandum erit. Methodo ergo

hac recepta, in Majestatis Vestræ solum erit voluntate positum seligere quosdam eruditos prudentesque Jureconsultos, eosque honesto instruere stipendio, ut sint relatores temporibus futuris; & sic in omne id sancitum erit ævum.

Libri Legum studiosis subservientes sunt tres: *Institutiones*, tractatus *de regulis Juris*; & denique de *verborum significationibus*. Institutionum libros jamdum extare, eosque egregios, sat bene novi, præsertim *Littletoni* & *Fizherberti*, *Naturam brevium*; Verum nullatenus sunt ex *Institutionum* genere, quarum officium est, ut sint quasi claves & generalis præparatio ad Juris studium: duo enim præprimis debent habere propria: *primo* sint perspicua & clara quoad ordinem seu methodum: deinde late se extendant ad universa comprehendantque, ut studiosi uniuscujusque rei prægustum habeant: Sintque ceu delineatio domus extruendæ. Tractatum *de regulis Juris* præ aliis maxime momentosum esse statuo, inque eo legum versari salutem. Est revera quasi saburra in navi, ut omnia conserventur erecta atque firma. Verum pauca hoc in genere vidi, quæ mihi vel in nostra, vel in aliarum legibus satisfaciant. Regula sola seu maxima per se nihil efficit. Necesse est ut ad usum transferatur distinctionibus sanis, ampliationibus & limitationibus authoritate bona fultis: quod tamen non fiat allegationes multiplicando, verum discursu & deductione in tractatu ipso. In hoc ipse tentavi quicquam,

sed

sed ab initio cursim, deinde majori cum diligentia, & pergam, si Deus Majestasque Vestra permiserint. Assevero etiam Majestati Vestræ, me sperare, quod si Eduardi Coki Relationes, meæque regulæ & decisiones ad posteritatem devenient, tum (quidcunque nunc statuant eruditi) quæstionem fore, quis major fuerit legis peritus. Liber de *verborum significatione* extat misellus; opto autem ut habeamus diligenter collectum, qui non solum legis terminos exponat, sed & verba omnium antiquorum documentorum exemplorumque.

Deinde etiam opto, ut nemo compendiis utatur, nisi qui legis systema perlegerit. Sint ea eruditorum repertoria, non verò subito Juris-Consultum forment. Sed quoniam id fieri nequit, opto, ut bonum fiat compendium ex duobus illis quæ extant, meliorique instruatur ordine: Et de lege communi tantum.

Lex statutorum ut emendetur, requiruntur quatuor: 1.) abrogentur statuta obsoleta, qualia sunt de Judæis Lombardicis, Galliæ semidenario &c. 2.) abrogentur etiam illa, quæ licet non sint in usu, attamen illaqueant, aliaque in eorum surrogentur locum. 3.) plurium statutorum pœna mitigetur, lex tamen stet firma. 4.) reducantur statuta sibi vicina ad legem uniformem & unicam: quem in finem tum Majestatis Vestræ jussu, tum suasu meo operam collocarunt egregiam *Dn. Hobertus, Finchii, Noye, Hakvellus & ego ipse*, quorum opera, quoniam

ſunt vaſta, haud decet Majeſtatem Veſtram iis nunc morari. Hoc ſolum ex iis obſervare libet, vel hinc elucere, jam telam eſſe cœptam. Quoniam autem hoc opus ut Parlamenti fiat authoritate neceſſe eſt, Parlamento autem ſolum methodus placebit, quam præſcribet ipſum, & perſonæ, quas ſeliget; repetantur anno 27. Henr. VIII. & 4. Eduar. VI. ſancita, Commiſſariiſque circa Canonicum jus demandata, Commiſſariis item circa unionem duorum regnorum anno 1. Majeſtatis Veſtræ, nominenturque Commiſſarii ab utraque domo, non tamen cum authoritate concludendi ſeu definiendi, ſed tantum præparandi, ac Parlamento *proponendi.* Hæc puto optima erit via ad perficiendum opus illud illuſtre, cujus gloria ad Majeſtatis Veſtræ pertinebit ævum, commodum autem ad ſecula futura.

Eadem Regi proponuntur.

Inter gradus ſeu actiones Imperatorii vel potius Heroici honoris, primus aut ſecundus Legislatoris perſonæ & meritis concedendus. Principes bene imperantes ſunt Patriæ Patres. Aſt ſi pater bene educaverit filium ſuum, beneque provideat ei, dum eſt in vivis, nihil verò moriturus relinquat, quo neque ipſe, neque liberi ejus, filiorumque filii poſſint ſuſtentari; næ imperfecta eſt cura pietasque paterna. Ita Reges unam ſeculi partem felicem reddentes bono regimine ſuo, niſi Teſtamento caveant (uti Deus omnipotens fecit) ut bonum ſit perpetuum, mortales tantum ſunt & tranſitorii benefactores. *Domi-*

tianus paucis ante obitum diebus per somnium vidit *aureum cervici suæ caput impositum* : idque denotavit ætatem auream per quinque ipsius successores continuatam. Reges subditis suis sanas leges dictantes, possunt (si volunt) ipsi ejusmodi caput aureum cervici suæ inserere etiam post suam mortem. Imo possunt Nebucadnezaris imaginem, monarchias referentem, facere auream à capite usque ad talos. Etsi qui ex politicorum vulgo, pejora tantum cernere apti, existiment, leges saltem aranearum esse telas; bonos Principes absque iis posse recte agere, malos autem iisdem non coërceri; neque bene neque prudenter, loquuntur. Nam certum est leges bonas malorum Principum esse frœnum & regiminis munimentum. Et licet Tyranni aliquando transgrediantur eas, attamen ipsam emolliunt tyrannidem, ut *Solonis* leges *Pisistrati* sævitiam: & eluctantur omnino ævo meliore succedente. Alia, ad conservandam Principum memoriam meritaque, media hoc sunt inferiora. Ædificationes templorum, tumbarum, Palatiorum, theatrorum &c. honore dignæ sunt & apud posteros supersunt. Verum Constantinus Magn. recte insignivit opera ista, Trajanum multa ædificantem *Parietarium* appellans (nomen enim ejus parietibus innumeris erat inscriptum.) Adriani genius erat præstantior. Ejus enim mens erat decertare cum tempore: totumque Romanum imperium pervagatus, ubicunque offendit pontes, vias regias, rivorum alveos, & canales, muros, ripas defe-

cisse, illico reparari jussit. Innumera etiam privilegia & libertates concessit in solatia civitatum societatumque attritarum: adeo ut liberalitas ejus cum temporum contenderit ruina. Verum & hæc licet præclara esset intentio, attamen non nisi ad casas putaminaque Rerumpubl. devenit; nihil hæc ad virtutem & vitium. Improbus æque ac pius frui potuit beneficio & commoditate viæ pontisque reparati: mali etiam cives acquirere privilegia potuerunt bona. Certe meliora Æternitatis apud Principes opera sunt ea, quæ *interiora poculi purgant.* Et sunt fundatio Collegiorum & Lectionum, formandæ erudiendæque juventutis causa. Fundationes pariter & institutiones ordinum atque fraternitatum; Nobilitatis, honestorum ausuum, obedientiæ & aliorum causa. Verum & ista sunt quasi hortorum plantationes in paucis hinc inde locis. Non universum excolunt regnum aut fertile reddunt, ut bonarum legum constitutionumque confirmatio, quæ integram gentem facit esse instar collegii bene gubernati.

Hujus generis opus in temporum monumentis sat rarum est, eoque ipso ejus demonstratur excellentia. Veruntamen neque adeo rarum, ut & suspectum reddatur de impossibilitate, inconvenientia & periculis. Moses qui Hebræis præscripsit leges, (erat enim ipsius Dei amanuensis) meretur potius in honorem aliorum nominari legislatorum, quam annumerari iis, vel eorum ordini adscribi. *Minos, Lycurgus & Solon* thematum scholastico-

ſticorum ſunt exempla; nam homines ſenes & characteres veteres hodie repuerascunt; Quanquam illud *Pindari* verum ſit: *res optima aqua*: nam res communes multoties ſunt optimæ; & magis faſtu contemnuntur, quoniam vulgares ſunt, quam utilitatis intuitu. Verum eſt horum trium Legislatorum leges prærogativa inſigni dotatas fuiſſe. Primo *Fama*, erant enim exemplar apud Græcos; Secundo *Duratione*, diutiſſime enim abſque immutatione permanſerunt: Tertio *Spiritu* reſuſcitationis, ſæpe enim oppreſſæ ſæpeque reſtitutæ ſunt.

Inter ſeptem Romanorum Reges quatuor fuerunt Legumlatores. Nam verum eſt, quod inſignis quidam affirmat Politicus: *Non aliam Rempubl. in infantia ſua melioribus involutam fuiſſe faſciis, quam Romanam, ob virtutem Regum primorum.* Atque hæc fuit cauſa admirabilis iſtius Reip. incrementi dein ſubſecuti.

Decemviri Leges accumularunt legibus, non autem finxerunt novas: inſeruerunt Græcorum leges Romanorum legibus & conſuetudinibus. Succeſſus autem talis fuit, ut duodecim tabulæ, ab ipſis conſcriptæ, eſſent legum primarium ſyſtema, quo vaſtum iſtius Reipubl. formaretur gubernareturque corpus. Diu etiam in uſu fuerunt, cum ſupplemento quodam *Pretorianisque edictis in Albo*: quæ reſpectu legum erant ceu pugillares reſpectu Ænearum tabularum; illi enim expungi, deque novo inſcribi poſſunt, iſtæ verò permanent. *Lucius Cornelius Sylla* Le-

ges Romanas emendavit. Tribus enim præ aliis fuit insignis Tyrannus iste: erat legislator: ab Equitum stabat partibus: privatam denique eligebat vitam, non metu sed confidentia.

Cæsar longo post intervallo quoad primum eum imitari dignabatur; neque enim alias illum est imitatus: nam & quoad ipsam Potestatis depositionem recte inquit Seneca. *Cæsar gladium cito condidit, nunquam posuit.* Ipseque Cæsar Syllæ resignationem despicere non verebatur, dicebat enim: *Sylla nescivit literas, dictare non potuit.* Legislator tamen esse voluit vel Cicerone teste: *Cæsar si ab eo quæreretur, quid egisset in toga; leges se, respondisset, multas & præclaras tulisse.* Nepos ipsius *Augustus* iisdem institit vestigiis, pressitque profundius, nam diu regnavit tranquille. Hinc illud Poëtæ:

Pace data terris animum ad civilia vertit
Jura suum, legesque tulit justissimus Author.

Ab illo tempore tanta impensa ingenii authoritatisque vis Commentariis decisionibusque Juris-Consultorum & Imperatorum edictis, ut fere & leges & Juris-Consulti deficerent, defatigarenturque. Hinc Justinianus in unum aliquod systema congessit leges tales, quæ observare deceret, easque non majori cum gloria quam virtute *ædificium seu structuram Sacri Justitiæ templi* appellavit: conditum revera ex veterum librorum ruinis, tanquam materia, & novellis quibusdam ipsiusmet Justiniani Constitutionibus.

Athenis

Athenis (ut Æſchines refert) ſex viri erant, perpetui Commiſſarii, attendentes quæ leges illi minus congruerent tempori, & quæ leges novæ adverſarentur priſtinis: atque ſic *ex officio* proponebant, quæ abrogandæ eſſent.

Edgarus Saxonum Rex hujus regni leges in unum collegit faſciculum, cum antehac diſperſæ jacerent. Idque majori ipſi ceſſit gloriæ, quam quod potenti cum claſſe hanc circumnavigavit Inſulam: erat enim hoc ipſum (ut Scriptura loquitur) *via navis in mari*; i. e. evanuit: illud autem perdurat. *Alphonſus IX.* cognomento ſapiens Caſtellæ Rex collegit Hiſpaniæ leges titulo *Siete Partidas*: inſigne opus ſeptennioque abſolutum. Nam obſervante Tacito, uti Capitolium, licet in Romæ initiis conditum, ſuffecit ingenti illi Monarchiæ poſt ſubſecutæ; Ita hæc legum ſtrues ſufficit magno Hiſpanorum imperio inde ſubſecuto.

Ludovicus XI. intendit (licet non perfecit) unam conficere Franciæ legem, ex Romanorum Lege Civili, Provinciarum conſuetudinibus, quæ ſunt variæ, & Regum edictis, quæ apud Gallos ſunt ſtatuta. Næ inſigne quid præſtitiſſet, ſi, uti Coronam Franciæ (ſic ipſe dixit) liberavit à Pediſſequi officio: ita & populum ſuum à curſoris munere: ne teneretur amplius hinc inde diſcurrere, atque in lege Civili, conſtitutionibus, conſuetudinibus, curiarum deciſionibus & Philoſophorum denique diſputationibus legem quærere ſuam; ut hodienum ſolet.

Henrico VIII. anno 27. à Parlamento permissum est 32. nominare Commissarios, partim Ecclesiasticos, partim seculares, qui expurgarent Jus Canonicum, Legique divinæ & regni hujus facerent conformem: Verum effectu caruit. Hujus enim Regis actionibus ut plurimum plus inerat famæ atque voluntatis, quam solidæ virtutis & efficaciæ. Verum existimo, errare me tot producendo exempla. Nam uti ad Cæsarem Cicero; sic ad Majestatem Vestram ego dicere queo. *Nil vulgare Te dignum videri possit.* Neque enim hoc vulgare. Nam plurimorum regnorum statuumque Leges sunt quasi ædificia, ex partibus multis de die in diem coagmentata, prout tulit occasio, absque forma modoque omni.

Jam de legibus Anglicanis ut libere loquar, dico bonas esse eas, quoad materiam, non vero formam, & hanc iis inducere, nec non perficere, puto fore, maximam, qua hoc regnum donari possit, dotem. Sicuti autem opus hoc ratione Excellentiæ suæ Majestatis Vestræ decet actiones atque seculum, ita propriæ quædam circumstantiæ illud ipsum Majestatis Vestræ Personæ exigunt. Prole beavit Majestatem Vestram Deus. Reges vero, qui sobole gaudent, cura futurorum decet temporum, quo æque progenies regia ac subditi eorum participes fiant actionum præclararum. Majestas Vestra magnus in jure dicendo est artifex, deflendumque foret, si hic virtutis regiæ fructus ad posteros non pertingeret. Me quod attinet, legem

pro-

profiteor, eique debeo plurima. Nunc autem (Dei caſtigatione benigna, ſpecialique providentia) otium ſum nactus, per quod talentum meum vel ſemitalentum, vel quicquid tandem eſt, tradere menſariis ejuſmodi licet, unde fortaſſis majus ſperari queat lucrum, quam ex activa vita. Ideoque ſicuti in calamitatis meæ principio Majeſtati Veſtræ obtuli operam Anglicanæ Hiſtoriæ impendendam, legumque digeſtioni & Methodicæ collectioni: Ita perfeci primum (mea enim ſola hic ſufficiebat opera) quadantenus. Nunc humillima ſubmiſſione poſterius (quod aliorum exigit opem & auxilia) iterum Majeſtati Veſtræ offero, ſi eidem viſum fuerit hio meo uti miniſterio.

NOTÆ
IN
CONTROVERSIAS ECCLESIÆ ANGLICANÆ.

IGnorantiæ eſt mirari, quod Religio, tempore præſertim pacis exerceatur fatigeturque controverſiis. Etenim ut Eccleſiam militantem decet ſemper probari; ita ceſſante igneo examine, i. e. perſecutionibus, ſuccedit aliud, quod quaſi contrariis Doctrinæ flabris hominum cribrat atque agitat fidem: probatque num rectè Deum cognoſcant;

æque ac illud afflictionum examen retegit, num vehementius ipsum diligant, quam mundum. Christus id ipsum prædixit; ait enim fore, ut in *ultimis diebus dicturi sint; Ecce hic est Christus, aut illic*: non enim intelligendum est, Christi ipsius Personam fore exhibendam aut repræsentandam, sed autoritatem ipsius aut eminentiam, (quæ ipsa debet esse veritas) prætextum atque obtensum iri. Sic legimus impletumque vidimus illud: *Ecce in deserto, ecce in penetralibus*; quandoquidem alii quæsiverunt veritatem in Conventiculis conciliabulisve hæreticorum & sectariorum; alii in externa facie atque forma Ecclesiæ; suntque seducti omnes. Sint ergo Controversiæ in Anglicana Ecclesia dividentes unitatem Spiritus, nec solum dissolventes vincula ejus, (vincula Pacis.) Nulla tamen occasio præbebitur ei, qui se Catholicum esse jactat, nos judicandi; neque profano homini, nos despiciendi: vel si daretur, eveniret nobis omne id, quod in usu est, i. e. *Obstinatio* ipsis, nobis autem Divinæ voluntati *submissio*. Jam vero contentiones nostræ ejusmodi sunt, ut necesse non sit generalem istum canonem, Christique sententiam proferre adversus hæreticos: *Erratis nescientes Scripturas & potestatem Dei*; sed tantum monitum S. Jacobi: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram*: nullatenus enim lethale vulnus est, nisi quatenus remediis nostris venenum ei affundimus. Habent autem priores illi exiguam causam musicum

sibi

ſibi concentum ex diſcordia noſtra formandi. Ego potius ſpero firmiter, nemini noſtrum adverſum fore, quodcunque ſincerè ac modeſtè proponetur ad ſedanda diſſidia illa. Nam ſi aliquem offenderet vox iſta: *Vos eſtis fratres, quare rixamini?* næ ille præſumendus eſſet, eſſe ex illa parte, *qua injuriam facit fratribus ſuis.*

Controverſias autem ipſas non aggrediar, utpote exiſtimans morbum hunc quietem potius, quam alia requirere remedia. Tantum apud omnes in confeſſo eſt, non verſari ipſas circa ſumma Doctrinæ capita. Non concernunt myſteria fidei, quales olim exercuerunt Eccleſiam, multis poſt primam ejus pacem annis, cum hæretici ſubtiles invenirent quæſtiones, & juxta peregrinam anatomiam diſſecarent naturas perſonamque Chriſti: atque Orthodoxi Patres cogerentur ſequi ipſos cum exactiſſimis deciſionum, definitionumque argutiis, ad occludenda omnia ipſorum effugia, inque labyrinthis ſuis ipſos captivandos: adeò ut verè dictum ſit: *Illis temporibus ingenioſa res fuit, eſſe Chriſtianum.* Neque concernunt primarias partes cultus Divini, de quo verum illud: *non ſervatur unitas in credendo, niſi eadem ſit in colendo:* ut fuerunt illæ Orientis Occidentiſque de imaginibus lites; illæ etiam, quæ inter nos & Romanam Eccleſiam controvertuntur: e. g. de adoratione Sacramenti, & ſimilia. Verum diſputamus de ceremoniis rebuſque indifferentibus; de externa Politia, ſeu Eccleſiaſtico Regimine. In quibus, ſi modo

recordaremur, antiquos & veros Unitatis terminos esse *Unam fidem unumque baptisma*, non verò unam ceremoniam, neque unum regimen, si modo observaremus fœdus illud Christianorum à Christo descriptum: *Qui non est contra nos, est pro nobis.* Si modo comprehendere possimus dictum illud, *differentiæ rituum commendant unitatem doctrinæ*, & illud: *Habet religio, quæ sunt æternitatis, habet quæ sunt temporis.* Et si tantum calleremus virtutem silendi, loquendique tarditatem à S. Jacobo præceptam; Controversiæ nostræ se ipsis finirentur aut coalescerent lites. Sed in specie, si arrogantes turbulentosque hujus ævi Spiritus desereremus, & resuscitaremus beatam illam Apostolorum, primitivæque Ecclesiæ Patrum procedendi methodum, qua in paribus, majoris etiam momenti causis, non assertiones positionesve dictabant, sed consilia tantum suppeditabant suadebantque, non certè alio indigeremus remedio; *Si eadem consulis (frater) quæ affirmas, consulenti debetur reverentia, cum non debeatur fides affirmanti.* Sufficiebat Paulum ita loqui. *Ego, non Dominus & secundum consilium meum.* Nunc verò facilè dicunt homines, *non ego sed Dominus*, imò cum gravi denunciatione judicii ipsius injungunt, terrendo simplices, qui non plene illud Salomonis capiunt: *Maledictio immerita non adventum est.*

Quoniam igitur illa tantum, quæ his accidunt, perniciosa sunt, non autem res ipsæ natura sua; dignum est, ut remedia applicen-

centur manifestando, quæ ſint ex utraque parte vulneri noxia, contrarietatem augentia, atque mentes hominum reddentia inidoneas ad unionem, vel in iis, circa quæ nulla exiſtit criminatio. Verum exiſtimo pacem optimè ſuperſtrui injuriarum repetitioni, & quod e. g. ſapientiſſimi de *Concordia Ordinum* loquentes, non abſtinuerint in ſermonibus ſuis à revocandis in memoriam extremis utriuſque partis. Ita ut verum ſit dictum illud; *Qui pacem tractat neque repetit conditionibus diſſidia, is magis animos hominum dulcedine pacis fallit; quam æquitate componit.*

Et primo quidem magis quam tempus eſt, ut finis imponatur immodico illi deformique ſcribendi modo, nuper exercito, utpote quo Religionis cauſa ſtylo theatrico pertractata eſt. Amara quidem & ſevera ſcripta non properè damnanda: non poſſunt frigidè & abſque affectibus homines contendere circa res charas atque pretioſas. Homo Politicus ex cerebro ſuo quid ſcribere poteſt abſque omni ſenſu cordis ſui, tanquam ſpeculationes ſe non tangentes. Chriſtianus vero ſincerus verbis ſuis characterem Zeli amoriſque imprimit. Poſteriorem hanc rationem, ut vellem omnes eam amplecti, ceu his temporibus propriam, ita & prior illâ authoritate magniſque exemplis eſt confirmata.

Sed relinquere omnem devotam religioſamque erga mala compaſſionem, ſeu indignationem verſus errores: Convertere religionem in comœdiam, vel Satyram, inqui-

rere

rere atque rescindere vulnera cum cachinno, miscere Scripturæ dicta atque scurrilia in unam sententiam: ab omni Christiana reverentia alienissimum est, & vix honestatem sobrii viri decet: non est major confusio quam serii & joci. Majestas Religionis & contemtus atque deformitas rerum ridicularum ut maximè distant. Duæ principes Atheismi Causæ, quas semper cognovi, sunt injuriosæ controversiæ, atque prophanæ derisiones; Jam vero hæc duo conjuncta in una aliqua Secta, non exiguum facient progressum. Verum hic suspicio sapientiam atque pietatem Episcopi illius, qui primo famoso hujus generis libello respondens, *consideravit respondendum esse stulto, non tamen ita ut ei similis fiat*, materiamque solam respexit, de qua egit, non vero personam, cum qua egit.

Jobus Majestatem atque gravitatem judicis describens, ait de seipso: *Si quando videbam ad eos, non credebant*, ac si dixisset: si quando divertere atque subridere, læta cogitans viderer, mentes tamen hominum tanta erga materiam, quæ præ manibus erat, reverentia tenebantur, ut nequiverint id sibi persuadere. Multo minus id fieri debet ab Episcopis Theologisque circa res sacras disputantibus. Ideoque vehementer mihi displicet opinio illius, qui tanquam in egregia arte sibi complacuit, dicens, adversus homines istos propriis eorum armis depugnandum, atque ex eodem poculo, quo nobis propinant, vices esse reddendas. Æque ingenio-

ſum hoc ipſi viſum eſt conſilium, ac illud Cardinalis Sanſovini, Julio II. ſuadenti, ut Concilium Piſanum per Lateranenſe concilium refutet. Vel æque juſtam provocationem ac illam Juelli, qua jactabundos Catholicos ex Patribus refellere annifus eſt. Iſta vero imitatio excuſari nequit alterius malitia. Contrarium in nobis eſſet illius, quod Cæſar dixit: *Nil malo, quam eos ſimiles eſſe ſui, & me mei.* Jam vero, *dum de bonis contendimus, de malis conſentimus.*

Certè ſi quæſtio inſtitueretur, quinam horum magis reprehendi debeant, illud regererem proverbium: ſecundus colaphus bellum incipit: & dictum illud obſcuri cujuſdam homuncionis; *qui replicat, multiplicat.* Verum hac determinabo quæſtionem ſententia: *Alter principium malo dedit, alter modum abſtulit.*

Verum ut miror illos Prædicantes, qui Reformationem cupiunt (tantum tamen abſum ab afficiendo ipſos calumnia, quantum abſtineo ab adjungendo eos deriſoribus iſtis) non edere in publicum Declarationem aliquam, qua oſtendant orbi, diſplicere ſibi, quod cauſa ipſorum tam ſolicitè tractetur; ita confido clericorum principes nullatenus favere ejuſmodi libellorum famoſorum ſcriptoribus, ſed penitus improbare talem famæ ſuæ defenſionem. Quanquam enim in aliquo eorum multas obſervo gloſſas, quibus Autor ipſorum favorem demereri voluit, attamen ſcio ex more id fieri, adulatoreſque plurimos malè de illuſtrium virorum affectu ominari,

nari,

nari, & sæpissimè *veneri immolari suem*; Grati ipsis esse volunt ea cum re, quam adversantur maximè; Variis enim argumentis fretus talia mihi persuadeo de Dominis meis Episcopis, ut vel ex illo venerabili unius ex ipsis scripto, cujus supra memini, colligi potest. Verum libet hic observare non indifferentem manum circa hos famosos libellos versari, nec immerito; Aliqui enim in tenebris volitant; alii palam circumferuntur. Quare adversam partem monere licet, ex ingenioso scriptore, quod *punitis ingeniis, gliscit Autoritas.*

Et revera semper videmus accidere, quod prohibita scripta existimentur esse infallibiles veritatis scintillæ, in faciem resilientes illorum, qui suffocare atque extinguere eas nituntur. Libri vero autoritate publica editi putantur esse, *Temporis solum voces.* Ut vero dicam quod sentio, æque libellos istos atque hæc scripta supprimendos esse censeo.

Primo, quoniam ut illi regimen Ecclesiæ in Episcoporum Prælatorumque personis lacerant atque conspurcant: ita hæc in contemtum religiosorum exercitiorum in personis variorum Prædicantium abducunt: adeoque excellentius quid destruunt, in personis licet inferioribus.

Deinde video indistinctas periculosasque amplificationes, ac si Respublica hæc ipsa, seu civile hoc regimen, pariter enervaretur, atque convulsioni constitueretur proxima, utpote factionibus confusioneque refertissima; quod uti injustè assumitur, ita minus

sin-

ſincerè affirmatur. Scio opinionem eorum eſſe, inferre indignam violentamque regiminis Epiſcopalis impugnationem, eſſe prodromum magis ampli contemtus. Largior etiam, eſſe Sympathiam intra duos ſtatus iſtos; non tamen tale quid in civili regimine reperitur, quod ejuſmodi infamem cenſuram mereatur.

Tandem ut optandum fuiſſet, ne unquam talia ſcripta lucem conſpexiſſent, ſed periiſſent ab ortu; ita proximum eſt, ut jam luci expoſita, ab omnibus (qui intellectu atque conſcientia pollent) habeantur pro immoderatis exceſſibus levium aliquot perſonarum. Et porro ut attendant ſibi homines (niſi velint omni ſe religionis ſenſu orbare, atque cor ſuum inſtar viæ regiæ ſternere) ſciantque quomodo hic verſari debeant, ne ſcil. hic delectentur, ſed potius riſum ſuum in pudorem convertant, atque quaſi de brevi inſania erubeſcere diſcant; quoniam in religionis negotio luſum atque facetias quæſiverunt. Verum hoc fortaſſis eſt ex illis erroribus, qui agnoſcentur omnium primo; non obſtante, quod ſciam, aliquot nihilominus id dealbare atque excuſare velle.

Verum ut exhibeam conſpectum eorum quæ his controverſiis accidunt, & quæ utriuſque partis reprehenſionem merentur, ſeu accuſationem, reperio homines res Eccleſiaſticas tractantes, in his, ſive aliquot, ſive ſingulis, offendere.

Primo præbent occaſionem controverſiis, & pariter captant inconſideratè, at-

que sine sufficienti litigandi fundamento.

Deinde extendunt atque multiplicant controversias, oppositiones etiam & contradictiones latius se diffundunt, quam ab initio, cum mentes hominum à partium studio adhuc alieni essent, videbatur.

Tertio, modi procedendi sunt affectibus pleni, & à fraterna charitate alienissimi, idque apud utramque partem, erga se invicem, ad diffamandum atque supprimendum se mutuo.

Quarto. Methodus illa, qua eos qui suæ sunt partis, firmius sibi unire nituntur, nihil aliud est, quam ulterior integri corporis divisio.

Tandem indigna est & incongrua controversiarum propositio, publicatio, definitio: atque de istis, ceu vitiis maximè manifestis, jam aliquid dictum est; eorum enim mira indoles recentissimusque abusus efficiunt, ut quam primum se hominum offerant animis.

Jam quod controversiarum attinet *occasionem*, negari nequit, quod imperfectiones in conversatione atque regimine illorum, qui primum in Ecclesia occupant locum, semper principes fuerint causæ Schismatum atque Divisionum. Quamdiu enim Episcopi & qui Ecclesiam regunt scientia atque bonis operibus abundant; quamdiu verè pascunt gregem; quamdiu cum Laicis agunt liberè atque audacter secundum Majestatem vocationis suæ, pretiosamque animarum curam ipsis injunctam; tamdiu Ecclesia quasi in montanis sita est, nemo in dubium eam vocat,

cat, aut ſecedit ab ipſa. Quando vero virtutes iſtæ in Patribus & Ducibus Eccleſiæ diſparent, ipſique terreni fiunt, ſe ipſos amantes, atque hominibus placentes, tum homines quaſi in tenebris palpant, eccleſiam quærentes: dubitant num iſti ſint Apoſtolorum aut Phariſæorum ſucceſſores: quanquam enim in Moſis ſedent Cathedra, nunquam tamen loqui audent *tanquam Autoritatem habentes*, quoniam perdiderunt exiſtimationem ſuam in conſcientiis hominum, declinando pedes ſuos à via, quam aliis calcandam præcipiunt. Veluti igitur neceſſe eſſet, ut vox hæc: *Nolite exire*, continuo in hominum reſonaret auribus, ita parati ſunt ab Eccleſia recedere, ſi aliam quamcunque audiant vocem. Ideoque ſapienter obſervavit, qui, ut homo politicus ſcribens, dixit: *Humilitatem monachorum multis temporibus ſuſtinuiſſe Epiſcoporum Prælatorumque impietatem.*

Iſta enim duplex eſt Spiritualis inimici aſtutia, ut vel vitæ ſanctimonia ficta errores confirmet atque perſuadeat; vel corruptis moribus ipſam veritatem, reſque legitimas, in dubium vocet. Hoc Dominos meos Epiſcopos attinet, quos me venerari, prout debeo, conſcientia mea mihi teſtis eſt. Nulla contradictio abſtulit à me reverentiam quam ipſorum debeo vocationi: neque ulla calumnia opinionem meam, de ipſorum perſonis, iniquiorem fecit: Novi quoſdam, quorum exiſtimatio maximè ejuſmodi accuſationibus læditur, eſſe magnarum virtutum viros; quan-

quanquam temporum malitia atque commercii defectus, multis modis sufficiant, ad reddendum irritos optimos eorum conatus, in ædificationem Ecclesiæ intentos. Reliquos autem in genere quod attinet, nullum damnare queo. Non sum judex eorum qui ad tam excelsum pertinent Dominum: neque duos habeo testes. Prætereaque novi, vere dictum esse de Fama: *Pariter facta atque infecta canebat.*

Non ab uno littore ipsorum censuræ procedunt; multos variosque habent inimicos; promptos ad inveniendas calumnias, promptiores ad exaggerandas, & promptissimos ad credendas eas. *Et magnes mendacii credulitas est:* Verum si aliquis sit, adversus quem summus Episcopus habeat non pauca quædam, sed multa; Si quis charitatem suam primam reliquerit, si neque sit frigidus, neque calidus; Si quis nimia præsumptione offenderit ad limen, & hinc bene sedere nequeat, qui malè intravit; tempus est ut redeat, unde excidit, & confirmet quod reliquum est.

Ingens reatus est delicti illius; *Et eorum causa abhorrebant à Sacrificio Domini.* Ut ut verò sit, sine culpa non sunt, qui ipsos diffamare atque contemnere studuerunt.

Salomon præcepit: *Regenti ne detrahas*; imo ne quidem intra cogitationes nostras; benigna potius interpretatione actiones ipsorum explicandæ sunt. Sanctus Angelus non est ausus ferre judicium blasphemiæ in calumniatorem, sed dixit: *Increpet te Dominus.*

nus. Quanquam S. Paulus justè denunciasset judicium divinum ei, qui sacram justitiam tyrannica violentia polluerat, dicens; *Percutiet te Dominus;* attamen putavit se appellando ipsum *Parietem dealbatum*, excessisse limites, ideoque retractavit: hinc eruditus quidam Pater inquit: *Ipsum, quamvis inane nomen & umbram Sacerdotis, expavit.*

Antiqua Concilia Synodique (ut in Ecclesiastica observare licet Historia) deponentes Episcopum, nunquam meminerunt criminis, sed perpetuò involverunt silentio. Cham sola revelatione pudendorum Patris sui maledictionem meruit. Et majus adhuc peccatum est, à personis ipsorum ad ipsorum adscendere vocationem, eamque in quæstionem vocare. Multi egregii patres rigorosè atque severè de indignitate Episcoporum locuti sunt, ac si mox perderent, cessaretque officium suum. Unus eorum ait: *Sacerdotes nominamur & non sumus;* alius: *nisi bonum opus amplectaris, Episcopus esse non potes:* attamen nihil minus quam Vocationem eorum atque Ordinationem in dubium vocarunt.

Alia Controversiarum occasio est, aliquot hominum indoles: Nunquam in Ecclesia deficiunt, qui Rabbi seu Magister dici amant, non externi honoris causa, sed internæ opinionis intuitu, qua autoritate sua hominum mentes captivare intendunt, ut ex sententia sua dependeant, atque in labiis suis scientiam quærant. Isti genuini sunt *Diotrephis* successores, illius scil. *qui primatum amavit:* non

autem

autem *sunt Episcopi.* Ejusmodi Spiritus aliud hominum genus possident, his adhærens, *quorum gloria in obsequio*, rigidi imitatores, & vehementer zelosi in gratiam illorum, quos sibi in magistros elegerunt. Sunt autem hi ut plurimum, viri juvenes & mediocris intelligentiæ, autoritate personarum facilè transversim acti, aut bonorum nominum prætextuumque illecebris capti: *Pauci res ipsas sequuntur, plures nomina rerum, plurimi nomina magistrorum.*

Generalibus his affectibus immiscentur etiam accidentales privatæque æmulationes, atque invidia, erumpentes tandem in contentiones ejusmodi, quæ aut veritatem, aut sobrietatem aut Pacem violant. Isthæc generalia semet ipsa applicant. Academiæ sunt sedes seu continens istius morbi, ex his derivatur in reliquas regni partes. Ibi homines nolunt amplius esse *e numero*: ibi alii separant se, antequam dignoverint dextram suam à finistra. Ita verum est, quod dicunt: *Transeunt ab ignorantia ad præjudicium.* Neque unquam sano judicio litant: Sed ut sapienter observarunt: *Inter juvenile judicium & senile præjudicium omnis veritas corrumpitur.* Ob ætatis defectum, quando homines non sunt indifferentes, sed parti alicui addicti, judicium eorum est debile atque immaturum.

Quo tempore autem maturescit atque robur suum acquirit, jam præoccupatum est tam innumeris præjudiciis, ut plane inutile sit: adeoque inter hæc duo omnis veritas corrumpitur. Interea venerabilia Sinceritatis,

Refor-

Reformationis, atque Disciplinæ nomina frontem rugant seu occupant; adeo ut rixæ & perversus zelus attingi non possint, nisi cum opinione, quod etiam *hæc Sancta* lædantur. Quanquam igitur inferant, hoc industrium Pacis ecclesiasticæ studium ex carnali sensu minimè procedere, concludo tamen cum *Paulo Apostolo: Cum sit inter vos zelus & contentio, nonne carnales estis?* Et quanquam existiment controversiarum compositionem, humanam sapientiam politicasque artes minimè sapere; & putent, duci se sapientia superna: dico tamen cum *S. Jacobo: Non est ista sapientia de sursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Ubi enim zelus & contentio, ibi inconstantia & omne opus pravum.* De hac inconstantia eruditus quidam Pater dixit: *Procedere volunt, non ad perfectionem, sed ad permutationem.*

Tertiam controversiarum occasionem esse observo vehementem & immensam alicujus antiquæ hæreseos detestationem, seu corruptelam Ecclesiæ agnitam atque condemnatam. Hæc erat causa efficiens hæreseos *Arrianæ*, in specie innixæ abominationi gentilismi; ne scilicet viderentur Christiani asserendo Christum, ceu DEUM, esse Patri æqualem, plures quam unum agnoscere Deos. Detestatio Arrianismi genuit *Sabellii* hæresin: qui execratus opinionem *Arrii*, qua inæqualitatem introduxit in Trinitatem, tam procul ab ea discessit,

ut in alterum delaberetur extremum, atque distinctionem personarum negaret, diceretque esse tantum nomina diversorum officiorum atque œconomiarum. Imo plurimæ hæreses atque schismata ex hac pullularunt radice; hominibus sibi persuadentibus scalam, qua perfectissimæ confessionis terminos metiri deceat, esse longissimam distantiam ab errore nuperrimè damnato. Hi sunt *posthumi hæresium filii*, ex illarum enim cineribus surgunt, quæ jamdudum extinctæ fuerunt.

Opiniones hæ quadantenus multos hoc tempore occuparunt. Putant Lydium lapidem esse probare, quid malum bonumve sit, mensurando, num plus aut minus opponatur Ritibus Ecclesiæ Romanæ, sive id Ceremonias sive Regimen attineat; imo licet & alia sint majoris momenti. Perfectissimum illud esse debet, quod longissime remotum ab illa Ecclesiâ, illud autem semper pollutum atque reprehensibile, quod aliqua tantum verisimilitudine illa cum participat. Certè subtilis atque exitiosa hæc est opinio; apta nata ad imponendum ipsis, magis vero apta ad illudendum populo, aptissima vero ad calumniis afficiendos adversarios. Hæc certè opinio, (nisi manifesta ejus condemnatio ante oculos nostros versata fuisset) jamdudum eo nos deflexisset, ut denuo baptizassemus infantes, olim in Ecclesia Catholica, vulgo sic dicta, baptizatos. Video enim opus huic simile vehementer defendi, videlicet iteratam Sacer-

cerdotum Ordinationem. Certe æquum est, ut caveant sibi homines ab opinione hac, intelligantque altioris esse sapientiæ atque sobrietatis considerare, annon potius in generali abditione Ecclesiæ Romanæ rituum, cum malo etiam aliquid boni, (ut imperfectæ sunt hominum actiones) destruatur; quam purgetur Ecclesia, secundum mentem eorum, id enim est intestina vulnerare, uti jam cœptum est.

Quarta eaque ultima Controversiarum occasio est partialis affectatio & imitatio Ecclesiarum exterarum (id quod & olim turbas in Ecclesia excitavit.) Nam multi nostrum persecutionis tempore & deinceps, apud exteras Ecclesias commorantes, amplectentesque formam regiminis ibi institutam, omni conatu eandem in Ecclesiam nostram inferre studuerunt. Verum his ajo: *Consociamus in eo quod convenit, non in eo, quod receptum est.* Et quanquam Ecclesiæ illæ in meliori forma constitutæ essent, attamen multoties *non quod optimum; sed e bonis quid proximum amplectendum est.* Ecclesia nostra nunc non plantanda est; sed jam dum constituta atque confirmata est. Potest fieri, ut in Civili Statu Respublica melior sit, quam regnum; prohibeat autem DEUS, ut regna legitimè constituta ad innovationem atque mutationem adigantur. *Qui mala introducit, voluntatem DEI oppugnat, revelatam in verbo; qui nova introducit, voluntatem DEI oppugnat, revelatam in rebus. Consule providentiam DEI cum*

verbo Dei. Veruntamen nondum largior, ipsorum regiminis formam, quanquam possibile sit, meliorem nostra esse, si quosdam abusus demas. Paritas æqualitasque ministrorum admirandæ confusionis res est; talis quoque est ordinarium regimen per Synodos, necessario enim unum sequitur alterum. In omnibus casibus, maximè autem in Religionis negotio, periculosum est, si numerentur vota, non ponderentur. Equidem (Sapiens dicit pater) *ut verè quod res est, scribam, prorsus decrevi fugere omnem conventum Episcoporum; nullius enim Concilii bonum exitum unquam vidi; Concilia enim non minuunt mala, sed augent potius.* Id vero intelligendum est non de Conciliis generalibus, sed Synodis ex more regiminis Ecclesiastici congregatis, ad deponendos Episcopos & similia. Hoc vero damnum suasit constitutionem Archi-Episcoporum, Patriarcharum & Primatum; & istorum iterum abusus in causa fuit, ut jam displiceant hominibus.

Verum dicet fortassis aliquis; Aspice Fructus Ecclesiarum exterarum & nostræ. Huic respondeo; precari me Dominum, ut benedictionem gratiamque suam super istas Ecclesias in centuplum adaugeat. Veruntamen bonum haud est, quod numeremus eam. Potest esse, quod Pax nostra nos luxuriantes reddiderit. Potest etiam esse (quanquam illibenter honori istarum Ecclesiarum derogo, nisi id ad removenda scandala inserviret,) quod fructus earum sint,

quasi

quasi faces in tenebris, quæ è longinquo videntur esse maximæ. Scio habere ipsas severas quasdam constitutiones ad reprimenda crimina varia. Sed quando aliquot hominum censuras considero æque homines in individuo atque Ecclesias stringentes, non possum non illud Platonici in mentem revocare, dicentis: *Certe vitia irascibilis partis animæ sunt gradu praviora, quam concupiscibilis, tametsi occultiora.* Id quod in priscis Episcoporum rixis affatim observare licuit: Largiatur DEUS, ut possimus cum aliis Ecclesiis contendere instar vitis cum olea; quis nostrum optimum ferat fructum, non vero ut sentis cum carduo, quis nostrum minus inutilis sit. Atque tantum de *Controversiarum Occasionibus.*

Jam vero, ut breviter exponam incrementum atque processum controversiarum; observandum est, hic verum esse illud Salomonis: *In principio infringendum esse contentionis cursum, qui enim est caput contentionis, laxat aquas, difficulter postmodum revocandas.*

Considerandum est, illi parti, quæ reformationem urget, primo displicuisse ceremonias quasdam, tanquam superstitione infectas, querelas eam edidisse de stultis Presbyteris opulenta beneficia possidentibus, & denique invectam fuisse otiosam, atque monasticam eorum commorationem in Academiis, qui in aliis locis, ubi residere debuissent, habuerunt beneficia sua, & sic in alios abusus. Inde progressa est pars illa, damnavitque Episcopale regimen, tanquam Hierarchiam ex corru-

ptelis Ecclesiæ Romanæ residuam, nec assentiri voluit ritibus aliquot Ecclesiasticis, quasi à superiorum temporum pollutionibus non satis purgati fuissent.

Et tandem eò processerunt, ut definirent unicam aliquam perpetuamque Politiæ Ecclesiasticæ formam, quam non considerato utrum possibilis esset, neque præviso, quanta pericula atque turbæ Ecclesiæ & Reipubl. inde imminerent, necessario volunt à Magistratu amplectendam esse & confirmandam. Hic subsistunt. Alii non valentes in tanto præcipitio subsistere, ulterius pergunt, dicentes: assumendam eam esse atque à populo acceptandam suo cum periculo; non expenso, quod Magistratus eam autoritate sua *stabilire* debeat. Et sic interea temporis recusant communionem nobiscum, existimantes Ecclesiam nos non habere. Iste fuit processus illius partis. Paulo autem in genere; Scio enim aliquos, qui extremitates, non solum amant, verum etiam ad ea absque gradibus desiliunt, ad summa contendisse, vel statim ab initio.

Altera pars, quæ regimen Ecclesiæ modernum defendit; nec eadem semper via incessit. Primo Ceremonias illas, quæ dicebantur depravatæ, defendebant tanquam indifferentes, opponebantque temporis tranquilli exempla, cum provocarentur ob earum abusum in nuperis superstitionibus. Deinde sufficiebat ipsis agnoscere varias imperfectiones in Ecclesia, tanquam Zizania inter triticum succrescentia; quæ (juxta Salvatoris nostri

ſtri conſilium) non cum vehementia eradicanda forent, ne triticum evelleretur una, ſed ſimul creſcere deberent ad meſſem uſque. Porro ad ampliorem defenſionem omnium in Eccleſia ordinum progreſſi ſunt, atque firmiter aſſeruerunt, nihil eſſe innovandum, tum quia non neceſſe eſſet, tum quia labefactaret reliqua. Inde (accenſi contentionibus) delapſi ſunt ad directam adverſæ partis condemnationem, tanquam Sectæ cujuſdam. Imo etiam aliquot rudes auſi ſunt in publicis concionibus irreverenter atque ſiniſtre de exteris Eccleſiis loqui & indicare. Idque in tantum, ut quidam noſtrum (ut audivi) apud exteros ordinati, pro illegitimis Miniſtris habiti fuerint. Ita vidimus initia eſſe modeſta, extrema vero vehementia. Unde nunc eadem fere diſtantia eſt unius partis à ſe ipſa, quæ fuit in principio unius partis ab altera. Et vere quanquam (ut dixi) ſcopus meus non ſit ipſas aggredi controverſias, attamen moneo defenſores Solipſius Diſciplinæ, ut ſerio conſiderent, quam prope ab his abſint, cum quibus, quantum quidem ſcio, communicare nolunt. Difficulter affirmatur, Diſciplinam, qua nos carere autumant, eſſe eſſentialem cultûs divini partem: nedum ipſum populum ſub Diſcrimine Salutis teneri ad eam accedere, quicquid ſit de magiſtratu. Quæro, ſi aliqua Reſpubl. prædicationem verbi reciperet atque baptiſmum; interdiceret vero ſeu excluderet Sacramentum cœnæ: nonne homines tenerentur ſub periculo animarum ſua-

 rum

rum iis se adjungere cœtibus, ubi huic communicare possint mysterio? neque contentos esse illis cultus divini partibus, quos Magistratus civilis publica permisit authoritate? Hoc verò loquor, non ut alios vituperent, verum ut penitius semetipsos considerent. *Fortasse non redeunt, qui suum progressum non intelligunt.*

Porro Dominis meis Episcopis dico; difficulter ipsos reprehensiones effugere, (vel apud hominem æquissimum) quandoquidem adeò præcise defendunt, nihil omnino mutandum esse. *Leges, novis Legibus non recreatæ, acescunt. Qui mala non permutat, in bonis non perseverat.* Auferre abusus varios non tollit bonum ordinem, sed confirmat eundem. *Morosa moris retentio, res turbulenta est, æque ac novitas.* Bonus Paterfamilias semper in vinea sua putat, aut in agro, non certe intempestivè, aut imprudenter, sed quia facile semper invenit, quod agat. Nunquam vidimus Episcoporum in Parlamento libellos supplices; qui sine dubio ab iis profecti, ad quos ista pertinent, ab omnibus accepti fuissent. Propriæ ipsorum constitutiones atque leges parum ipsos reformarunt. Vel nihil male actum? Num aliquis defendere potest usum levis vilisve Excommunicationis in forma processus ad exigenda debita atque pensa? Certè est istud unum ex illis, quæ novissimum præcedunt diem.

Vel nulla est ratio educandi Ministerio aptos? (Nam licet Academias largiamur, in vanum id est, quamvis optimè sint ordinatæ)

tæ) educandi, inquam, non ut concionari possint, (nam id unusquisque facere audet, sed ut sane concionentur, Scripturasque sapienter atque cum judicio tractent? Novi Prophetiam magnis abusibus contaminatam fuisse, & magis adhuc nunc contaminaretur, fervor enim contentionis increscit: Verum dico, unica abusuum ratio erat, quoniam plebeja admissa fuit panegyris, nec intra cancellos Presbyterialis conferentiæ mansit. Alia plura dici possunt. Precor autem DEUM, ut Episcopis indat ardentem plebis amorem atque curam, ne urgeant adeo res controversas, quam extra controversiam positas, quæ omnium judicio sunt bonæ atque gratæ. Et tantum de secundo.

Tertium succedit, minus fraterna procedendi ratio ex utraque parte. Directè intentioni meæ adversatur amplificare injurias: Sufficit annotasse easdem atque numerasse: quod eo fine facio, ut ad compassionem atque compunctionem moveam offendentes, non vero ut animos addam provocantibus, & querelas apud alteram augeam partem. Hos autem (ut ratio dictat) primario illos ferit, qui plurimum valent. *Injuriæ potentiorum sunt.*

Injuriæ ab illis, qui regimen Ecclesiæ tenent, factæ iis, qui sunt ex altera parte, ægrè dissimulari aut excusari queunt. Accusarunt ipsos tanquam negantes tributum Cæsari, obedientiamque magistratui Civili, quam tamen semper præstiterunt atque

docuerunt. Eodem gradu posuerunt, atque conjunxerunt cum *Familia Amoris*, cujus hæresin & destruere & confutare studuere. Faciles fuerunt ad recipiendas accusationes contra eos ab illis, qui cum ipsis litigaverunt, tantum ob peccata & vitia reprehensi. Accusationes eorum & inquisitiones in eos fuerunt severissimæ, jurantibus quibusdam in Chartas blancas & generalia; non ad certas materias determinatas: quod parti juranti videri potuisset res captiosa atque rigida. Adigere eos ad subscriptionem articulorum suorum, est tantum *lacessere & irritare morbos Ecclesiæ; qui ipsorum requirunt industriam. Non concessum quærit, sed dissidium, qui quod factis præstatur, in verbis exigit.* Et verum est aliquos (ut puto) non facile offendere non confirmando, attamen hæsitare cum subscribere debent. Sciunt hanc notam inconstantiæ atque defectionis ab eo, quod hactenus statuerunt, incapaces ipsos reddere ad perficiendum bonum illud, quod alias operari potuissent: tanta enim quorundam est infirmitas, ut Ministerium eorum maculam inde contrahat. Silentium vero ipsis imponere velle in tanta Presbyterorum paucitate, esset plebem, non ipsos plectere. Nonne deceret (Episcopos intelligo) uno oculo attendere ad bonum, quod isti perficiunt; non vero utrumque defigere in malum, quod existimant ab ipsis provenire? Certe prohibeat DEUS, ne permittatur iis licentia concionandi, qui sunt immoderati, at-

que incorrigibiles; Sed debetne omne verbum inconsideratum, aliquando callide observatum, & ut plurimum violenter extorsum, esse exitiosum voci eorum atque prædicandi donis? Quod deinde particulares vexationes varias attinet, recitare dedignor. Anne ministro molestia creanda, quia in Baptismo dicit: *vosne creditis?* loco illius, *Tune credis?* Num alius in jus vocandus, quoniam pro Rege orans, id sine titulorum additione vel cumulo facit; cum ipsa precum formula in libro publicarum precum *Elizabetham DEI Servam* appellet, nec amplius quid addat. Num denique tertius accusandus erit, ista de Controversiis proferens verba: *Tollatur Lex & fiat certamen*: intelligendo legis præjudicia, atque ut iis remotis utriusque partis rationes inter se conferantur (ac si ad seditionem evocasset populum, dixissetque: *Tollatur Lex*, & fiat virium certamen. Si hæc & alia his similia vera sunt, ex rumore enim accepi, nec firmiter affirmare possum, deplorandum est, ipsos laborare inter nos tam exiguo cum solatio. Scio equidem severum regimen melius esse remisso; eique assentior, qui dixit, *melius ibi vivitur, ubi nihil licet, quam ubi omnia licent.* Non placet mihi, si leges cessent, aut immorigeri dimittantur impuniti. Verum Leges etiam uvis similes sunt, quæ nimium compressæ acerbum ingratumque præbent vinum. Et de his omnibus dicere cogor: *Ira viri non operatur justitiam.*

Alterius partis injuriæ sunt ictus inermes;

 servi-

fervidæ atque impotentes invectivæ; & (in aliquibus stupidis hominibus) inurbani, atque indigni erga superiores gestus. Et postremum eorum inventum, quo risus istos exponunt atque per libellos oggganniunt, non totius (ut confido) partis culpa est: nec alterum illud, magis odiosum atque à pessimis peractum, toti parti adscribendum, quod est, in subsidium mercenariam cohortem advocare, quæ impugnando Episcopos ipsorumque dignitates ecclesiasticas, sortiatur deinde prædam ex beneficiis eorum atque bonis. De his enim nimium severe loqui nequeo. Est communio pactumque inter incendiarios & prædones, isti ut incendant, hi ut expilent.

Quartum illos penitus concernit, qui præsens Ecclesiasticum Regimen impugnant, & licet ab Ecclesiæ communione nondum recesserint, certa tamen affectant insignia atque discrimina, quibus inter se solummodo consentiant, ab aliis dissentiant. Et verè dictum est: *Tam sunt mores quidam schismatici, quam dogmata schismatica.* Primò, assumpserunt sibi nomina *zelotarum*, *sincerorum*, *reformatorum*; ac si cœteri omnes essent *frigidi*, *sacra miscentes*, *prophani atque abusus amantes.* Imo sit aliquis egregiis virtutibus præditus, nec in bonis operibus sterilis, istis autem non accedens, appellant ipsum, derogantes pietati ejus, civiliter atque moraliter pium, cum Socrate aliove gentilium Philosopho eum conferentes; Cum sapientia Scripturarum nos aliud doceat, nimirum judicare

re

re atque denominare homines religiosos seu pios juxta opera eorum secundæ tabulæ: quoniam primæ tabulæ opera sæpe ficta sunt atque hypocritica. Sic S. Johannes ait: *In vanum gloriatur aliquis de amore DEI, quem non videt, si non diligit fratrem suum, quem videt*: S. Jacobus etiam inquit: *Religio munda est visitare pupillos & viduas*. Adeoque quod ipsis est philosophicum quiddam & morale, Apostolorum Phrasi appellatur Religio vera atque Christianismus, & sicuti secundum affectus suos dictas zeli virtutes aliasque permutant, ita secundum notitiam suam tribuunt sibi lumen atque perfectionem. Dicunt Ecclesiam Anglicanam tempore *Eduardi* Regis, atque sub initium *Elisabethæ Reginæ* fuisse tantum in cunis; Episcoposque istis diebus præstitisse quædam tanquam in crepusculo: maturitatem vero hanc & luminis plenitudinem ab ipsis procedere. Sic *Sabinius Heracleensis Episcopus, qui & Macedonianus fuit hæreticus*, dixit; Nicœnos Patres fuisse tantum infantes atque indoctos, neque Ecclesiam ad tantos perfectionis gradus pervenisse, ut majorem respueret maturitatem atque notitiam, quam temporum successus revelaverat. Et sicut virtutum nomina pro civilibus atque moralibus tantum habent actionibus, sic viros verè ac piè eruditos, (qui vanitatem affectuum suorum probe introspiciunt) habent pro merè politicè prudentibus, affirmando, sapientiam eorum esse tantum carnalem, atque humana redolentem. Sic etiam Presbyterum solicitè atque præmeditatè

concionantem, (non autem loquor de vana scholasticorum concionandi methodo; sed sana illa, qua ordine digeritur materies pertractanda, ad succurrendum memoriæ, deducuntur porismata ad formandos mores, & confirmantur argumentis solidis seu autoritate) censent, uti forma loquendi non decente simplicitatem Evangelii, & referunt ad reprehensiones S. Pauli, loquentis *de sublimitate sermonum atque humana sapientia.*

Jam vero quæ est ipsorum prædicandi methodus? certè bellè exhortantur, mentisque compunctionem procurant; eo etiam adigunt homines, ut quærant; *Viri fratres quid faciemus?* Verum istud non sufficit, nisi etiam resolvant quæstionem. Materias controversas leviter & obiter pertractant, & quasi coram populo, qui quodcunque acceptat. In morum doctrina præter generalia & repetitiones ferè exiguum restat. Verbum (panem vitæ) susque deque jactant, non verò frangunt: nulla porismata deducunt ad casus usque conscientiæ, quo homo possit circa omnes actiones suas edoceri, num licitæ sint vel illicitæ, neque revera multi eorum idonei sunt ad id præstandum, tum ob defectum eruditionis solidæ, tum diligentiæ & otii. Compendiosa & levis res est, urgere Sabbati observationem, vel adversus illicita declamare lucra: Sed quæ opera licita sint in Sabbato, quæ illicita; & qui lucrandi modi justi sint, qui injusti? explicare & probatis distinctionibus decisionibusque exponere, res est magnæ notitiæ atque laboris, sedulam

lam quoque meditationem & diligentem Scripturarum lectionem, aliaque requirit subsidia, quæ DEUS ad eruditionem nostram providit atque conservavit.

Porro non æque sedulo informant populum de legitima libertate sua, atque de restrictionibus prohibitionibusque, putant enim non posse quempiam nimium exaggerare illud, quod vel speciem præcepti habet.

Obliviscuntur esse peccata æque ad dextram ac ad sinistram, & verbum esse gladium ancipitem ex utroque latere scindentem, æque prophanas transgressiones atque superstitiosas observantias. Quis dubitat æque illicitum esse claudere, ubi DEUS aperit, ac aperire, ubi DEUS claudit. Ligare quæ Deus solvit, ac solvere quæ ligavit. Apud homines communiter æque vitiosum est respuere gratiam, ac transgredi præcepta. In hoc fervore (exempli gratia) omne mendacium docuerunt, absque differentia esse illicitum, non obstante, quod obstetrices directè dicantur reportasse benedictionem propter excusationem suam. Rahab etiam dicitur fide exploratores celasse. Et Salomonis illustre judicium simulatione nitebatur. Salvator denique noster, quo tanto melius corda duorum discipulorum feriret, sancta delusione simulavit, se velle prætergredi Emauntem. Deinde audivi quosdam sermones de mortificatione, quos, ut puto, bona intentione ex propria experientia & exercitio formaverunt. Res si in privatis traderetur consiliis non rejicienda, verum in

con-

concione vix toleranda: est enim prædicantis tantum attentata sanctitas, aut quid minus, & magis apta est ad ingenerandas infirmas hominibus opiniones, facitque perplexos, imo ad desperationem magis adigit, quam ad filialem veramque ducit pœnitentiam, quæ scopus est præfixus.

Aliud etiam magnæ inconvenientiæ & periculi est, populo omnes controversias & omnis generis doctrinam proponere. Dicunt enim, nullam Consilii Divini partem esse supprimendam, seu plebem eâ privandam. Tollunt igitur distinctionem Apostoli inter lac & solidum cibum; ipsiusque præceptum, quo infirmos à quæstionibus & controversiis arcet, negligunt.

Sed præ reliquis suspecta est, tanquam semen plurium inconvenientiarum, methodus tractandi Scripturas. Nam quoniam in res singulas expressa Scripturæ verba quærunt; & quoniam aliquatenus semet ipsos Ecclesiamque privarunt insigni subsidio, cum Patrum rejecerunt autoritatem, delabuntur ad nuda exempla, fictas illationes, & coactas allusiones, quæ omnem in religione certitudinem subruunt.

Aliud extremum est nimia exaltatio illius, quod quidem per se est excellentis atque sanctissimæ originis, veruntamen suos quoque habet limites, ut alia omnia. Videmus, quod ubicunque in Scripturis invenerint aliqua dici de *Verbo*, ea ipsos exponere de *prædicatione*. Constituerunt fere essentiam Sacræ Cœnæ in eo, ut concio præcedat. Annihila-

hilaverunt quadantenus Liturgiam, atque Divini cultus formulas; quanquam domus DEI denominetur ex præcipua parte, *Domus orationis*, non vero Domus concionis inspectemus vitam proborum Monachorum, Eremitarumque in primitiva Ecclesia, scio, quod damnabunt illum, tanquam ex media parte Pontificium, qui defendet eos, ideo solùm, quia conciones audiverunt nullas. Interea temporis, quod sit concionari, & quis possit dici prædicans, non disquirunt: Sed (quantum ego quidem video) omnis homo, qui audet ex Cathedra loqui, est prædicans. Verum certus sum, non paucos illorum, qui Prædicans ministerium cupiunt mereri, ut omnium primo expellantur. Omnes errores suos atque perversos præcedendi modos firmant atque muniunt, ea qua opiniones suas colunt, reverentiâ, & impatientiâ, qua contradictiones argumentave audire recusant: Imo novi quosdam, qui putabunt esse tentationem Dei, legere vel audire, quod possit contra ipsos proferri, ac si posset esse præceptum illud, *quod bonum est, tenete*; sine illo, *omnia probate.*

Et hæc sufficere possunt ad movendos eos, ut ipsi secum cogitent considerentque num in rebus istis benefaciant, an male? & ut corrigant nec non evellant partium è suis asseclis studium. Nam si aliquis hinc contemnere velit eorum ministerium, esset tantum propria cordis induratio. Scio enim ingens exhortationis opus apud istos primario residere viros, & habere zelum atque odium

odium adversus peccatum. Sed iterum caveant sibi, ne verum sit, quod aliquis ex eorum adversariis dixit: *Ipsis deesse tantum duo exigua; Scientiam atque charitatem.* Et sic etiam hoc membrum finio.

Ultimum, quod est justa publicatio atque decisio istarum Controversiarum, longo sermone non eget. Mirus iste libellorum abusus jam dum excussus est. Sic etiam repeto, quod dixi: quod istas Decisiones magis deceat Amor, quam Zelus: Omnes enim argutiæ, quibus sive directè sive indirectè personæ perstringuntur, semper in ejusmodi causis fuerunt improbatæ.

Tandem quodcunque obtenditur, plebs congruus arbiter esse nequit; sed potius quieti, modesti & privati Eruditorum conventus, atque colloquia. *Qui apud incapacem loquitur, non disceptat, sed calumniatur.* Typographia atque Pulpitum liberarentur à contentionibus istis:neque promotio ex una parte, neque gloria & fervor ex altera, deberent fovere provocationes istas, neque ut ludibrio exponant se invicem, permittere. Sed potius omnes concionatores, speciatim ejusmodi qui modesti sunt, habentque sapientiam cum conscientia conjunctam, deberent inculcare pacem, silentium atque cessationem. Neque metuant sibi à *Solonis* lege, quæ præcepit, ut in Factionibus unusquisque ex alterutra se collocet parte: nec insipidam neutralitatis calumniam exhorrescant. Sciant enim verum esse, quod sapiens quidam dixit; *quod illi, qui neutri sunt in conten-*

tentione, vel meliores vel pejores sint, quam alterutra pars.

Hæc in integritate mea atque simplicitate proposui circa controversias, quæ nunc turbant Ecclesiam in Anglia: & quidem absque omni arte atque illecebris, ideoque fortassis ingrata utrique parti. Nihilominus tamen confido, id quod dictum est, illis placiturum, qui parti addicti sunt nulli & qui magis amant totum quam partem. Quare non despero de bono quopiam effectu; ad minimum, non pœnitebit me meditationum harum.

CONSIDERATIONES

quædam, expendentes meliorem

ECCLESIÆ ANGLICANÆ

Pacificationem atque Ædificationem.

Dicatæ S. R. MAJESTATI.

UNio Ecclesiæ Majestatis Vestræ, Celsissime Princeps, res est non minus pretiosa quam regnorum unio. Utraque enim opus est, in quo Majestatis Vestræ Felicitas cum Dignitate contendit. Postquam igitur ausus fui, nec sine gratiosa Majestatis Vestræ acceptatione, aliquantulum de hac dicere; incitor quoque ne de ista sileam: idque ea de causa eò promptius suscipio, quoniam

niam in hoc argumento jam antehac verſatus ſum. Verùm *Salomon* laudat *verbum opportunum*, & Salvator noſter de diſcernenda temporum opportunitate, inquit: *Quum videtis nubem orientem ab occaſu, ſtatim dicitis, nimbus venit.* Sic Majeſtatis Veſtræ ortus ad hanc Monarchiam in occiduis mundi partibus, promittit ſuavem fœcundumque imbrem multarum benedictionum ſuper Eccleſiam hanc atque Rempublicam. Imber tanti influxus, ut primæ ejus guttæ jamdum ſedaverint tempeſtates atque procellas orbis Chriſtiani, Univerſam Europæ faciem ad pacem amoremque componentes. Sed ad rem.

Verum quidem eſt, materias iſtas Eccleſiaſticas non pertinere ad profeſſionem meam; neque tàm fui temerarius, quin illud mihi objecerim; ſed quoniam multoties homo procul ab area ſeu planitie quadam diſtans, melius contuetur eam ac illi, qui ſtant in ipſa; impoſſibile mihi viſum non eſt, poſſe me tanquam è longinquo intuentem, convertere oculos meos in aliqua, quæ ipſis actoribus (præſertim cùm quorundam hic intereſſe verſetur, alii ducantur atque addicti ſint, alii jam in arenam deſcenderint) non eſſent obvia. Conſcius etiam mihimet ſum (Deo teſtimonium præbente conſcientiæ meæ) ea quæ locuturus ſum, non procedere ex venatione plebejæ laudis, oſtentatione, novitatis pruritu vel partium addictione. Præ reliquis autem illud me incitavit, quod viderem has opiniones meas

(quas

(quas dudum tenui, atque amplexus sum, ut apparet ex eo, quod pluribus abhinc annis hisce de rebus, quanquam secundum proportionem infirmitatis meæ, scripsi) consentire cum eo, quod Majestas Vestra in publicum edidit, pro Christianissimo, sapientissimo atque moderatissimo sensu suo, hac in causa: & hinc orbi innotuit, pectori Majestatis Vestræ sacratissimo sublime illud axioma regiminisque fundamentum à Deo infusum esse: *quod Totum semper plus amet, quàm aliquam partem.*

Quis enim non videt multos ejus esse opinionis, talemque sententiam ferre, ac si nollent removere malum à bono, sed defendere malum per bonum? Alii loquuntur, ac si scopus eorum unicus esset, exponere quid sit bonum, non verò quid sit possibile; quod quidem optandum, non verò proponendum esset. Alii ita procedunt, ac si mallent resecare, quam reformare. Sed quanquam ex utraque parte viri excellentes etiam ad extrema delabantur, Majestas tamen Vestra, ut sapiens, æquus & Christianus arbiter, idonea est ad inveniendam auream mediocritatem, & confirmandum id, quod salutiferum est; ad reparandum etiam quod corruptum est aut decrescens. Regio igitur Majestatis Vestræ judicio omni humilitate submitto, quodcunque proponam: idemque tanquam obolum offero Thesauro Majestatis Vestræ sapientiæ adjiciendum. Nam ut Astronomi benè observant, quod tria superiora lumina, quando in conjunctione

exi-

existunt, miros quosdam effectus producant; Sic in Majestate Vestra junctis lumini Naturæ, lumine Eruditionis, & quod supra reliqua eminet S. Dei Spiritus lumine; fieri aliter nequit, quam ut regimen Vestrum sit, quasi fortunata quædam constellatio super regna ista. Neque deest Majestati Vestræ quartum lumen, quod quamvis sit mutuatum, est tamen etiam insignis efficaciæ, magnique momenti, cœteris junctum: estque lumen sapientissimi beneque constituti Consilii; cujus venerabili & maturæ Sapientiæ pariter submitto, quodcunque proferam: ea spe, haud necesse fore, declarare mentem, opinionemque meam esse, quod donec Majestas Vestra aliter determinet, atque præcipiat, omnis actualis plenaque obedientia Ecclesiasticæ jurisdictioni, qualis nunc viget, reddenda sit; & quando Majestas Vestra determinavit atque præcepit, omnis probus subditus debeat acquiescere, obedientiamque suam præstare Majestatis Vestræ Legibus, constitutionibus, mandatisque regiis. Neque placere mihi omnem immodicam acerbitatem, peremptoriam præsumptionem, vulgarem tractationem, aliasque methodos rumori potius atque factioni inservientes, quàm bonum aliquem effectum, cum observatione officiorum, promittentes.

Verùm antequam aggrediar ea, de quibus controvertitur, videtur mihi (si possibile est) removendas esse opiniones duas, quæ directè reformationi opponuntur. Una

earum

earum eam reducit in nihilum, altera ad impossibile. Prima est; *Esse contra artes politicas aliquid in rebus ecclesiasticis innovare*: Secunda; *Omnem reformationem debere fieri juxta unicum exemplar seu formam.*

De prima præclarè dictum est à Propheta: *State super vias antiquas & videte, quænam sit via recta, & vera, & ambulate in ea*: Non enim dicit: *State super vias antiquas, & ambulate in eis.* Nam in confesso est apud omnes sapientes atque moderatos viros, consuetudinem in tanta esse existimatione, ut sola sufficiat ad eos movendos, quo subsistant, inquirant & circumspiciant: non autem ut ab ipsa instar ducis agi atque duci se patiantur. Fundamentum præbet deliberationi, non verò directioni. Sed ex altera parte quis ignorat, tempus verè comparari cum fluvio, qui omnem puram dulcemque aquam ad salsum illud corruptionis mare defert, quod omnes humanas actiones circumscribit? Ideoque nisi homo industria, virtute atque prudentia sua adversus flumen illud inclinationemque temporis navigaret, omnia statuta atque leges quanquam maximè puræ corrumperentur, atque degenerarent. Verùm ne more topico materiam istam pertractem, quæro saltem, cur status politicus integer conservatur atque restauratur bonis sanisque legibus singulis trienniis vel quadrienniis in Parlamenti consessu sancitis; & æque cito remedia quærantur, ac damna tempus gignit, status verò Ecclesiasticus è contrario perpetuò remanere debet in fecibus

tem-

temporum, neque ullam admittere renovationem in his quadraginta quinque annis & pluribus? Si objiceret aliquis, quod si Respublica tamdiu quoque neglecta fuisset, non futurum fuisse ingens crimen. Certè aliud testatur experientia in proximis tribus ad minimum seculis. Si autem dicatur discrimen esse inter causas ecclesiasticas atque politicas, æque possunt mihi regerere, templa & sacella non egere reparatione, castella autem & domus egere; nam communiter, si vera dicere fas est, cæmentatio interna atque spiritualis ædificatio Ecclesiæ Dei omni tempore æque necessaria est, atque externa & fabrilis. Certus sum quod ipsum Servatoris nostri Verbum & stylus reformationis: *ab initio non fuit sic*; ad res ecclesiasticas pertineat: illamque sublimem moralem legem concernat.

Verum enim vero ingratus & insipiens esset, qui negare vellet Ecclesiam Anglicanam imperante *Elisabetha Regina*, gloriosæ memoriæ, floruisse. Si conferre eam cum exteris Ecclesiis deberem, mallem ut collatio ista virtutes potiùs, quàm ut quidam faciunt, defectus concerneret. *Potius* dico; ut inter vitem & oleam, quænam sit magis fœcunda, quàm inter spinas & carduum quænam sit magis inutilis. Ea reverentia debetur Ecclesiæ, qua pii Noæ filii usi sunt erga nudum parentem suum; i. e. ut retrorsum quasi accedemus ad succurrendum defectibus istis, ita tamen ut insimul dissimulentur. Agnosci etiam debet, vix ullam Ecclesiam,

ſiam, inde à primitiva, huic noſtræ annis & territorii latitudine æqualem, plures dediſſe inſignes concionatores, ſcriptores illuſtres & pios rectores. Verùm uti quoad diſciplinam & ſtatum Eccleſiæ multa & quidem primaria ſancta ſunt atque bona; ita ſi *S. Johannes* Eccleſiæ Anglicanæ epiſtolam inſcribere deberet, ut illis Aſiaticis, certè clauſulam quoque eam adderet; *Habeo adverſus te pauca.* Nec plura de hac re, prætérquam quod appendicis loco libet obviam ire objectioni illi, quæ de tempore non verò de materia formata, prætexit: reformationem, ſi neceſſaria foret, nunc non eſſe opportunam, ſub primum Majeſtatis Veſtræ ingreſſum: Sed Hippocrates ait: *Si quid moves, à principio move*: Et experientia plurimis exemplis docet, quod prudentiſſimi Principes, ut parciſſimi fuerunt in removendis, ſeu mutandis ſervis & miniſtris, ſub introitum ſuum; ita ſeduli fuerint removendo abuſus & enormitates, reformando leges atque reipublicæ ſuæ ſtatum, ut illuſtrarent, atque commendarent initia ſua; Scientes primam impreſſionem apud populum diu vigere; & hominum mentes optimè formari, cùm ſunt in expectatione atque in ſuſpenſo tenentur. Ideoque ſicuti mihi videtur, initium Naturæ (ver intelligo) commodiſſimum tempus eſſe, ad purgandum corpus noſtrum, medicamentisque reficiendum; ita Regni initium maximè commodum tempus eſt, ad purgandum reſtaurandumque corpus politicum.

Restat adhuc objectio ex suspicione potius, quam ratione profecta, veruntamen talis; quæ ut puto vehementer movet etiam vere sapientes beneque cupientes, & est hæc: *Si aperietur via mutationi, quanquam ea instituatur ad abusus tollendos, ita tamen assuefaciet hominum mentes mutationum dulcedini, ut subruat etiam stabilitatem eorum, quæ bona sunt atque sana.* Hoc certe bonum atque verum axioma fuit in priscis contentionibus atque divisionibus inter Populum Senatumque Romanum: cum res agerentur secundum beneplacitum multitudinis, quæ limites moderationis nunquam observare potest. Sed quoniam talia apud nos ordinariè aguntur moderante Rege, qui regia potentia instructus est, atque ingenio pollet, & æque mensuras rerum ac earum naturas habet cognitas; supervacaneus certè metus est. Dubitare enim non debent, quod Majestas Vestra Senatusque sanctior dignoscet, quæ tanquam Zizania tritico immixta sunt; & radices adeò implexas tenent, ut unum absque alterius noxa eradicari nequeat: Et quæ tanquam paleæ cum tritico mixta sunt, ac cribro tantum ad separationem indigent. Tantum igitur de primo membro; Reformationem penitus nullam esse admittendam.

Alterum membrum, unicam tantùm debere esse Disciplinæ formam in Ecclesiis omnibus; & quidem necessario impositam juxta præceptum verbi divini: Res est, de qua jam magna extant volumina, ideoque brevem redargutionem recipere nequit. Me

quod

quod attinet, fateor, quod cùm legerim Scripturam S. nihil ejusmodi invenerim, verum quod Deus eandem Ecclesiastico regimini concesserit libertatem, quàm Politico; mutari posse pro ratione temporum, locorum & aliorum accidentium, quæ nihilominus suprema ipsius atque Divina Providentia ordinat ac disponit. Omne politicum regimen alligatur à Deo generali Justitiæ morumque fundamento; sed forma relinquitur libera; adeò ut Monarchiæ & Regna; Senatus & Aristocratiæ; Democratiæ & Respublicæ sint licita: & ubi recepta sunt, inviolabiliter conservari debeant.

Sic in rebus Ecclesiasticis substantia doctrinæ immutabilis est, ut etiam generales circa regimen regulæ; Verùm ritus & ceremoniæ, speciales item hierarchiæ, status atque disciplinæ ecclesiarum, libera ipsis relicta sunt. Ideoque bene foret, si ad antiquos Unionis terminos reverteremur, qui erant, *Una fides, unum baptisma*, non verò *una hierarchia, una eademque disciplina*: sique observaremus Christianorum fœdus, à Salvatore nostro scriptum, quoad doctrinæ substantiam: *Qui non est nobiscum, est contra nos*: quoad res verò indifferentes & circumstantias fœdus nostrum sit: *Qui non contra nos, est nobiscum*. In his igitur generales tantum observentur regulæ; ut grex Christi pascatur; Ut sit successio Episcoporum & ministrorum, qui sunt Novi Testamenti Prophetæ, ut rectè & reverenter clavium potestas exerceatur; ut illi qui prædicant

Euangelium, ex Euangelio vivant; ut omnia ad ædificationem tendant; ut omnia fiant ordine & decenter: Reliqua committuntur sanctæ prudentiæ spiritualique discretioni tum superiorum tum inferiorum in Ecclesia Christi ædificantium; ceu elegans allusio Patris illius habet, qui observavit, *Tunicam Christi inconsutilem fuisse, Ecclesiæ autem vestem versicolorem*, ideoque regulam inde formavit: *In veste varietas sit, scissura non sit.*

In hac varietate tamen tuta prudensque methodus est, sequi bonorum exempla. Deinde in imitatione ejusmodi consideretur non tantum quid sit optimum, verùm etiam quid sit probabilissimum; ut nominatim regimen Ecclesiæ in purissimo ævo primorum bonorum Imperatorum, qui fidem sunt amplexi. Nam tempora persecutionum, antequam Principes mundi fidem reciperent, uti excelluerunt quoad Doctrinam & mores, ita inepta sunt ad præbendum externi regiminis seu politiæ exemplar. Et tantum de hoc membro. Jam ad specialia Controversiarum, seu potius reformationis membra.

CIRCUMSTANTIÆ REGIMINIS EPISCOPALIS.

REgimen Episcopale, ego, non præjudicans presbyteris aliarum Ecclesiarum Reformatarum, statuo esse in verbo Divino fundatum, atque praxi Ecclesiæ primitivæ in seculis melioribus: item magis congruere

Re-

Regnis, quam ministrorum paritatem & regimen per Synodos. Verùm porro hic considerandum est, Ecclesiam nunc non esse plantandam aut constituendam, sed purgandam & à corruptione præservandam, reparandam item atque à defectibus quibusdam reficiendam.

Observari meretur, quod Scriptura dicat: *Translato Sacerdotio, necesse est, ut & Legis fiat translatio.* Fieri nequit ob magnam arctamque sympathiam intra Rempublicam & Ecclesiam, quin mutatio tam grandis in Ecclesia discriminis plenum habeat in regnum influxum. Ideoque dignum est ut controversia hæc quiescat & sopiatur.

Sed duæ sunt circumstantiæ administrationis episcopalis, circa quas, ut, quod sentio, fatear, nunquam mihi satisfacere potui: *Una est solitarium Authoritatis suæ exercitium*; altera *Authoritatis suæ delegatio*.

Quoad primam; Episcopus solus ordinat; solus excommunicat; solus judicat. Hoc ferè videtur esse res sine exemplo in bene constituto regimine; ideoque verisimile irrepsisse ævo degenere atque corrupto. Cernimus Reges maximos & Monarchas habere Senatum suum: Nulla in Anglia datur curia secularis superior, ubi unius acquiescitur Authoritate. Bancus Regius, Judicia communia, & Ærarium, judicia sunt ex certo Judicum numero constituta. Angliæ Cancellario duodecim in Cancellaria viri assistunt. Magister Tribuum habet collegas ex aula; Sic Ducatuum Cancellarius. In ærarii

camera junguntur Domino Thesaurario Cancellarius & Barones. A supplicibus libellis semper plures sunt quam unus. Circulares Justiciarii sunt bini. Domini Præsides in Septentrione & Wallia suos habent assessores. Camera stellata est Consessus Consiliariorum Regis intimorum ex spiritualibus atque secularibus: Ut itaque in Curiis primaria persona semper habeat collegas vel assessores.

Idem & in aliis Respublicis bene constitutis reperitur, licet & jurisdictio magis adhuc sit dispersa, ut in cur'a Parlamenti Gallici, & alibi. Nemo negabit causas ad Episcopalem jurisdictionem pertinentes tanti esse momenti, ac illæ quæ civilem curiam spectant. Magis pretiosæ sunt hominum animæ, quam corpora ipsorum, vel bona; sic etiam bona existimatio seu fama. Episcopi suas quoque habent infirmitates, neque excipiuntur à generali ista maledictione erga omnem hominem vivum prolata; *Væ soli, nam si ceciderit &c.* Imo videmus primam in spiritualibus admonitionem directam ad plures esse: *Dic Ecclesiæ*; quod non ita se habet in temporalibus. Videmus etiam in generalibus causis circa regimen ecclesiasticum æque totius cleri fieri conventum, ac singulorum statuum in Parlamento. Unde ergo hoc jurisdictionis solitarium exercitium descendit? Certe suspicor, nec, ut puto, sine fundamento, quod *ab initio non fuerit sic*, & quod Decani atque Capitula fuerint consiliarii in sede Episcopali seu Cathedrali olim assistentes, seu quasi Presbyterium vel Consistorium,

rium, occupati non ſolum circa diſpoſitionem redituum, atque dotationum, ſed multo magis circa jurisdictionem Eccleſiaſticam. Sed veriſimile eſt Decanos atque Capitula firmiter adhæſiſſe in rebus lucrum ſuum atque mundum ſpectantibus, neque deſerere voluiſſe ſtationem ſuam, verum in rebus ad Jurisdictionem ſpectantibus (quod laborioſum eſſe atque miniſterium arbitrabantur) permiſiſſe Epiſcopis agere & ad ſe trahere quicquid libuit, hinc factum quod illud duret adhuc, hoc autem ſit deperditum. Videmus etiam quod Epiſcopus Romanus (fas enim & ab hoſte doceri, neque dubium, prima hujus Eccleſiæ inſtituta egregia fuiſſe) omnem Jurisdictionem eccleſiaſticam tanquam in Conſiſtorio exerceat.

Et ex quibus conſtituitur Conſiſtorium hoc? nonne ex Presbyteris Romanis, qui ſe *Cardinales* appellant; à Cardinibus mundi; quoniam Epiſcopus vult eſſe totius mundi. Et hujus quoque reliquias videmus non paucas ſuperſtites: quales ſunt, quod Decanus cum Capitulo Epiſcopum eligat, quod ſummum jurisdictionis eſt exercitium; quod Epiſcopus ſacris ordinibus initians, Presbyteros, ſi forte fortuna quidam præſentes ſint, advocet, & ſecum imponere manus jubeat &c. Igitur videtur rationi, religionique congruere primævæque inſtitutioni, ut Epiſcopus in magni momenti cauſis, & illis quæ ſpiritualem diſcretionem requirunt; nominatim in ordinatione, ſuſpenſione, depoſitione Presbyterorum;

in excommunicatione (ad primum suum usum, ut in posterum dicetur, reducta) in sententiis ferendis de validitate conjugiorum, legitimationibus; in judicandis criminibus, ut Simonia, incestu, blasphemia, &c. non solus procedat, neque sine assistentia. Potest autem hoc reformationis membrum, (quantum intelligo) sine omni strepitu perfici; eritque res quæ robur addet Episcopis, reverentiam inferioribus Prælatis vel ministris conciliabit, & meliorem denique successum causis parabit tractandis.

Idcirco, veluti precor, ut robur hinc accedat Episcopis, ita indignum non est Majestatis Vestræ consideratione, annon congruum sit, ut generali etiam Conventui Clericorum (Domui scilicet Convocationis) robur pariter addatur: imminuebatur enim, cum Clerici in regno suspecti essent, ob homagium Pontifici Romano præstitum: nunc autem Clerici isti nulli cedent fidelitate atque erga Majestatem Vestram cultu.

NB. Quoad secundam, quæ est Authoritatis propriæ delegatio, non video, certo illam inniti fundamento; utpote alienam ab exemplis regulisque in regimine observandis. Episcopus exercet jurisdictionem suam per Cancellarium suum, Commissarium, Officialem &c. non videmus aliquas in Orbe Leges permittere, ut officia magnæ fidei atque prudentiæ, per delegatos administrentur; nisi id in ipso diplomate expressum fuerit; & hoc in casu permissum imo necessarium

cessarium est. Ut exempli gratia nunquam in Anglia constitutus est Cancellarii Delegatus; neque in aliquo judicio judicis Delegatus. Episcopus Judex est, & quidem excelsus; unde autem, quod demandare alteri possit officium suum? nonne omnis fides atque fidei commissio (ut dixi) personalis est atque inhærens; neque potest, neque debet in alium transferri? Certè hic iterum ingeminandum: *Ab initio non fuit sic*: Verum probabile est, Episcopos nimium sectantes mundi gloriam, & in Magnates transformatos, in Senatum etiam Principum adscitos, deseruisse jurisdictionem propriam tanquam se minus dignam, atque magnitudine sua multo inferiorem; & deinde ad imitationem Regum Palatinorumque Comitum voluisse suos habere Cancellarios atque Judices. Exempla verò ista Regum & Principum defendere eos nequeunt. Rationes enim, quare Reges qui supremi sunt Judices, per alios Judicium exerceant, binæ sunt. Una est, quoniam Regia dignitas plerumque est hæreditaria: & regula est apud omnes, officia hæreditaria respicere potius commodum, quam fidem; quandoquidem etiam ad fœminas, infantes, lunaticos, idiotas aliosque ad judicium exercendum incapaces, devenire possunt. Ideoque officia ejusmodi semper per deputatos exerceri administrarive potuerunt. Altera est amplitudo eorum Jurisdictionis; quæ tanta est, quantum ipsorum jus nativitatis ab antecessoribus suis acceptum, & jus

gladii à DEO ipsis concessum. Igitur si Moses, cum regeret populum non magnum, eumque in castris præsentem, nec in provinciis dispersum, seu oppidis, essetque spiritu extraordinarie præditus, haud sufficeret ei judicando, sed juxta consilium Jethronis, à Deo approbatum, substitueret sibi seniores ac judices, quanto magis aliis id licebit Regibus Principibusque.

Dari etiam potest ratio tertia, quanquam non multum huc faciens. Eaque est, quod Reges vel respectu Reipublicæ, vel ob amplitudinem patrimonii sui, plerumque sint altera pars in causis forensibus; & tunc judices eorum, quasi indifferentes existunt, inter ipsos, ipsorumque Subditos. *In hac* vero de Episcopis materia, nulla harum quicquam valet. Nam primo officium eorum ex electione pendet, & quoad vitam conceditur, nec hæreditarium est. *Officium*, quod solam fidem scientiam & aptitudinem respicit. Quoad secundam rationem, verum quidem est, amplam esse Jurisdictionem eorum; & tempus eorum dividendum esse secundum labores, ut tam verbo atque doctrinæ, quam gubernationi & jurisdictioni vacare possint. Verum nihilominus existimo (supponendo Episcopi curiam esse incorruptam, nec aliqua perversa methodo multiplicare lites, ad augendas sportulas) posse Episcopum ipsum satis commode res magni momenti audire & decernere. Videmus enim unum Angliæ Cancellarium totius Regni lites secundum æquita-

tem decidere; quod non adscribendum excellentiæ viri illius, qui nunc eo fungitur officio; nam semper sic fuit, quanquam minus magisque tædiosum Actori id fuerit juxta capacitatem Cancellarii: Et si, quod superius dictum est, assumere libet, Episcopi laborem in verbo debere primariam temporis ipsius partem sibi vindicare; sic iterum dicere possum, negotia status ut plurimum semper occupasse Cancellarii otium; fuerunt enim maxima ex parte personæ ejusmodi, à quibus Reges nostri consilia desiderarunt. Nullum igitur est dubium, quin Episcopus, cujus districtus tam amplus non est, neque causæ natura sua tam ad multiplicandum aptæ, ope relationum & certificatoriarum literarum ad personas idoneas & ab eis, ut tanto melius maturescant lites in ordinario suo processu, & ejusmodi aliis subsidiis Jurisdictioni competentibus, sat benè sufficere possit officio suo. Attamen & illud superest adminiculum. Nam materiæ coram ipso ventilatæ sunt istæ: *Decimæ*, *Legata*, *administratio variique Testamentorum casus*; *causæ matrimoniales*, *Presbyterorum accusatio*, *tendens vel ad eorum suspensionem*, *vel privationem seu degradationem*; *Simonia*; *incontinentia*, *hæresis*, *blasphemia*, *Sabbathi violatio*, *aliique scandalorum casus*. Ex his duæ priores meo judicio à reliquis differunt, i. e. Decimæ & Testamenta. Sunt res lucri, adeoque seculares; quanquam favore & conniventia judiciorum civilium ecclesiasticis judiciis permissæ: altera in gratiam Cleri,

ut ejus causam ex quo sustentatur, coram suæ partis judice agere queat: posterior respectu pietatis & religionis, quæ voluntati mortuorum perficiendæ videbatur debita. Et certè ab his Episcopi se, juxta opinionem meam, liberare possint, si ea ordinario Judici permittant. Puto etiam controversias, quæ circa eadem aguntur esse plurimas. Reliqua autem, quæ spiritualem requirunt scientiam atque discretionem, respectu naturæ suæ vel scandali, rationi, ut mihi videtur, consentaneum foret, si nemo præter Episcopum audiret, assistentibus ipsi quibusdam, ut supra dictum. Necesse etiam esset, ut adesset ipsi Cancellarius, aliique officiales Leges civiles edocti, ad informandum ipsum in formalitatibus, & judiciorum processu. Hoc si fieret, minus necesse esset officialis forum erigere, de quo tantæ nunc sunt querelæ. Item causis ab Episcopo ipso examinatis multæ frivolæ levesque reprimerentur lites, atque gravis incorruptusque processus illis acquireretur causis, quas hoc decet forum.

Est & tertium, quod reformationem meretur, scilicet non jurisdictio ipsa, verum processus formæ; idque vel ideo, quoniam adversatur legibus & consuetudinibus regni hujus, quæ licet non dirigant istos procedendi modos, consuli tamen possunt ad melius ipsos instituendos. Estque *Juramentum ex officio*, quo adiguntur homines, ut seipsos accusent; & quod majus est, quod jurent in chartas blancas, non verò ad accu-

sationes

ſationes palam prolatas. Anglicanæ leges neminem obligant, ut ſeipſum accuſet. In maximis proditionis criminibus tormenta adhibentur, ad detegendum, non verò ad evidentiam. In delictis capitalibus à delinquente non requiritur jurata reſponſio; imo nec permittitur. In criminibus, quæ capitalia non ſunt, in Camera ſtellata dijudicatis, & in Caſibus Conſcientiæ in Cancellaria examinatis, ut plurimum fidei atque ſilentio innixis, requiritur juramentum à litigante. Sed quomodo? Ubi eſt accuſatio & accuſator, & quem vocamus, libellus accuſatorius (à quo accuſator recedere nequit, & extra cujus contenta accuſatus examinari nequit) fuerit judici oblatus, atque more ſolito accuſato traditus. Sed examinare hominem eumque ob famam ad juramentum adigere, vel ad accuſationes ſecretas necdum manifeſtas; quanquam videri poſſit congruere Legi civili, adeo tamen è Diametro ſenſui ac methodo Legi communi contrarium eſt, ut limitationem quandam certò mereatur.

DE LITURGIA, CEREMONIIS ET SUBSCRIPTIONE.

Liturgiæ magnus reſpectus eſt habendus atque cura, ne contra *Mutum* Miniſterium declamando, debita ipſi auferatur reverentia. Quanquam enim donum prædicandi majus eſt quam legendi, attamen liturgiæ Actus æque ſanctus atque excellens

est ac sermonum recitatio. Dictum est, *Domus mea, Domus Orationis vocabitur*, non prædicationis: & quandoquidem Apostolus inquit: *quomodo invocabunt in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei quem non audiverunt? quomodo autem audient sine prædicante?* apparet, quod prædicatio sit causa efficiens, oratio vero finis, uti differunt semen à fructu; nam observatio Legis Divinæ est fructus legis prædicatæ; Et oratio, seu invocatio, seu cultus Dei, seu liturgia; (nam ista tantum nomine tenus differunt) est immediata Nominis Divini sanctificatio & primarium primæ tabulæ opus, & magni illius præcepti Amorem Dei præcipientis. Verum est *Prædicationem* Verbi Divini esse *quasi seminis* in terram projectionem: quasi serpentis ænei erectionem; fidei ministerium, & ordinarium salutis medium. Verum observatione dignum est, etiam optimas cultus *divini* actiones excessivè & superstitiosè quandoque extolli. Sic nimius Sacramenti cultus superstitiosum Missæ sacrificium enixus est. Nimius Liturgiæ precumque usus superstitiosos Monachorum ordines atque rosaria. Sic quoque extra dubium est, posse etiam Verbi prædicationem superstitiosè extolli atque magnifieri: ac si totum divini cultus systema in aurem solum convertendum esset. Nullus, credo, sani judicii homo derogabit Liturgiæ, si forma ipsius ex omni parte sit conformis Verbo Dei, primitivæ Ecclesiæ exemplo, & sanctæ illi decentiæ, à Paulo præceptæ. Ideoque primò sit forma

precum ſtata, non autem extemporaria, neque arbitraria; Secundò contemplatur æque Laudes, Hymnos & gratiarum actiones, atque petitiones, deprecationes atque ſupplicationes. Tertio earum forma vivida reddatur atque jucunda precum hymnorumque brevitate & varietate, alternante ſubinde plebe & presbytero. Quartò admittatur temporum diſtinctio fiantque commemorationes præcipuorum beneficiorum Dei, tùm generalium tùm ſpecialium. Quintò preces pariter reſpiciant diverſos caſus & ſtatus Eccleſiæ. Sexto ſit etiam ſtata verborum forma & Liturgiæ in adminiſtratione Cœnæ Sacræ, & denunciatione Cenſurarum Eccleſiaſticarum, aliarumque ſanctarum actionum & ſolennitatum. Iſta, uti puto, non magnam movebunt controverſiam.

Quod vero particulares adverſus Liturgiam, qualis nunc exiſtit, attinet exceptiones, puto multos concedentes eſſe eas juſtas, prægnantes tamen eſſe, pernegare: ſic diverſum ab iis ſentientes, qui nihil in religione & pietate leve volunt eſſe, ipſis paganis quoque agnoſcentibus, *quod etiam vultu ſæpe læditur pietas.* Sacerdotis vocabulum haud amplius uſurpandum eſſet, quoniam Miniſtri vox jam familiaris facta eſt. Sacra in translationibus regula eſt, nunquam eas in interpretatione confundi debere voces, quæ præcisè diſtinguuntur in Textu originali ad evitandas æquivocationes, & cavilla. Ideoque quoniam πρεσβύτερος & ἱερεὺς ſemper diſtinguuntur in Originali Textu, altera-

teraque sacrificantem indicat, ministrum verò vox altera; sacerdotis vocabulum, utrique commune factum (quacunque tandem derivatione instituta) confundit cum Sacerdote ministrum. Proindeque perplacet mihi accurata & exacta Rhemensis Translatio vel ea de causa, quod in Originali textu verbum *ἀγάπη* reperiens, non vero *ἔρως*, semper exposuerit per charitatem, non vero amorem; ob indifferentem vocis usum & æquivocationem, quæ etiam impurum indigitat affectum.

De *Absolutione* considerandum est, annon possit, incongrua atque non necessaria videri: Nam duæ tantum sunt Absolutionis species obligationem præcedaneam supponentes. Una sequitur excommunicationem, estque religiosa & primitiva. Alia sequitur confessionem & pœnitentiam, estque superstitiosa, vel ad minimum positiva: Utraque autem est particularis non generalis. Idcirco quandoquidem illa sublata est, hæc autem proprium suum casum habet, quid prodest generalis absolutio, ubi non præcessit pœnitentia vel excommunicatio? Ecclesia enim nunquam solvit, nisi ubi ligavit. Et certè arbitror hoc olim fuisse concessum aliquatenus cum spirituali discretione; quoniam videbat Ecclesia, non posse tam subito populum ab hac consuetudinaria absolutione abstrahi, quoniam tam diu fuerit in usu.

De Confirmatione videtur mihi, esse controversiæ statum, annon erretur in materia

& tem-

& temporis immutatione, & annon illud judicetur nunc esse Baptismi subsequens, quod ante fuit ad communionem introductio: Nam cum in primitiva Ecclesia juvenes examinarentur, antequam admitterentur ad communionem, videri possit, temporis successu id immutatum fuisse, ac si scilicet recepissent confirmationem post baptismum suum.

Privatum Baptismum, à fœminis Laicisque administratum optimi penitus condemnant Theologi, neque audio in genere eum defendi. Et sæpe miratus fui, Librum, qui in præfatione ad publicum baptismum, agnoscit baptismum secundum praxin primitivæ Ecclesiæ fuisse anniversarium, certisque tantum temporibus adhibitum; quod docet, Primitivam Ecclesiam non tanti æstimasse ceremoniam, ut voluerit ejus causa externam generalemque legem transgredi: nihilominus postea privatum concedere baptismum; ac si ceremonia esset tantæ necessitatis, ut institutionis lex, quæ baptismum ministris solis commisit, transgredienda foret ob imaginariam necessitatem illam. Hanc igitur quæstionem puto, præ aliis omnibus fuisse *concessam ob duritiem cordis*.

In formulis circa sponsorum benedictionem, vel vulgi opinione annulus non videtur sat gravis ceremonia; præsertim (ut verba indicant) si essentialis contrahendi matrimonii pars constituatur? Ut omittam alia verba minus decora & huc apta.

Quoad

Quoad Musicam nemo negat, Psalmos spiritualesque hymnos esse cantandos: sed quæstio est *de modo*? Hic autem, si quis attente considerare velit ordinem & observationem ejus, facile discernere poterit inter sapientiam institutionis, & horum temporum exercitium. Nam primo, non canit Chorus hymnos, seu versus, qui nondum innotuerunt Laicis per continuum usum, ut memoria eosdem teneant absque libris: Quare sonus intellectui non officit: illi autem qui legere nequeunt, sensum tamen capiunt & assequi possunt mente sua. Deinde, concinnum visum est, ut post Verbi Divini lectionem fieret pausa, sacræ meditationis gratia, antequam ad reliqua divini *cultus* pergunt officia. Hæc autem pausa replebatur potiùs gravi sono, quàm muto silentio; indeque enata est ratio pulsandorum organorum post scripturas lectas. Et hæc omnia decenter fiebant ad ædificationem. Sed quæ solertes ambitiosique invexerunt musici, nullam habent cum *rationali Dei cultu* affinitatem, sed addita fuerunt iis temporibus, cùm pompæ studerent Christiani.

Caputium & Superpellicium, quoniam sunt res natura sua indifferentes, ab aliis verò ut superstitiosæ rejiciuntur, & ideo quæstio versatur inter scientiam & conscientiam, videntur subesse regulæ Apostolicæ; *Ut fortior descendat cedatque infirmiori.* Differentia tantum est, quod dicetur, regulam spectare tantum privatum & privatum; non vero conscientiam privati respectu totius Eccle-

siæ.

siæ. Verùm quoniam permittitur quæstio, non connivendo, quod inobedientiam gignere posset, sed lege, quæ libertatem concedit; bene foret si consideretur, annon æquitas regulæ nunc allegatæ id requireret, idque eo magis, quoniam silentium ministris hac occasione imperatum, in hac prædicantium paucitate pœna est, æque plebem, quàm partem plectens litigantem. Subscriptio videtur mihi in natura sua esse confessio; ideoque magis propriè ligare ad unitatem fidei; & urgendam potiùs circa Doctrinæ articulos, quàm ritus, ceremonias, & externi regiminis formam. Nam utut Politicæ considerationes & ratio status uniformitatem requirere possint, attamen Christiana Divinaque argumenta primario unionem spectant.

DE MINISTERIO PRÆDICANTE.

DE Ministerio erudito locuturus, fateor Pastorum & Ministrorum dignitatem præ aliis religionis partibus esse maximè prægnantem: non quidem dico maximam esse simpliciter, sed maxime efficacem respectu aliarum. Quando autem, meo judicio, Zelo fervidi hoc volunt accelerare, non advertunt, æque magnum, si non majus impendere sibi impedimentum, quàm illud, quod removere student. Nam quando increpant Ministerium mutum, facile & promiscue illos admittunt, quos prædicatores bonos esse existimant; non respicientes eorum erudi-

eruditionem & scientiam in illis artibus, quæ Theologiæ ancillantur: Neque satis ætatem considerantes præterquam in casu donorum extraordinariorum; neque satis expendentes ipsa dona, quæ sæpissimè plane nulla sunt. Nam avertat Deus, ut putemus unumquemque, qui per integram horam in templo super Textum aliquem fari audet, pro ministro admittendum esse, quamvis intentio ejus sit quam optima. Scio magnam in donis esse latitudinem, & in audientium cœtibus congregationibusve varietatem: ita tamen, ut & illic sit *aliquid infimum*, infra quod descendere non decet. Nam potius permittendum est ut arca vacillet, si ita Deo visum fuerit; quam ut ei admoveamus impuras manus ad eam sustentandam: & quando in Dei templo sumus, jubemur *manus* potius *nostro imponere ori*, *quàm offerre stultorum sacrificium.* Et certe non immerito existimare possumus inter multas Atheismi causas, quæ hac ætate miserandum in modum accumulantur, ut schismata, controversiæ, profanæ rerum sacrarum irrisiones & alia, non postremam esse, quod multi Dei verbum indignè tractent. Hic autem nolo quenquam opinari, evehere me curiosam & affectatam concionandi methodum, quæ ex altera parte æque rejicienda est; pariterque atheismum & scandala gignit. (Quis enim non offendatur videns ascendentem in pulpitum, quasi in theatrum, suas tuiturum partes, aut lucri causa perorantem:) Neque etiam animum demittere quenquam volo, qui donis non con-

contemnendis prædictus est.

Hinc tria resultant. *Primo* annon sit necessarium renovare probum illud exercitium, quod plusculis abhinc annis in Ecclesia hac fuit in usu; postmodum verò ab ipsa quidem Ecclesia abolitum, ob abusum quendam, illis temporibus indignum; verùm contra sententiam & votum maximi gravissimique hujus regionis Prælati. *Prophetia* communiter appellabatur, & erat ejusmodi: Ministri in districtu quodam conveniebant die nefasto certo in urbe primaria, ubi erat venerandus aliquis minister in præsidem electus: auditores, qui admittebantur, erant nobiles aliique quibus suppetebat otium. Tum unusquisque ministrorum, incipiente illo, qui junior esset, unum eundemque Scripturæ locum pertractavit, aliquibus horæ quadrantem, aliis integram, & in universum duas horas insumentes. Sic exercitium cum precibus cœptum, iis cum finitum est; & præside textum in proximo conventu explicandum proponente, discessum. Et hoc, ut puto, duarum septimanarum exercitium fuit, optimaque mea opinione ratio, ad formandos Concionatores, ut Verbum Dei tractent prout decet. Videmus enim habere Oratores suas declamationes; Jurisconsultos causas suas umbraticas; Dialecticos sophismata sua. Imo omnis scientia practica habet exercitia, & initiationes, antequam ad perfectionem veniant discentes. Ars sola concionatoria, quæ dignissima est, & cujus defectus maxima ferunt incommoda, destituitur

tuitur exercitiis ejusmodi introductoriis, estque audaculis exposita, qui præcipites feruntur in eam primis statim initiis. Ad hoc vero Prophetiæ exercitium duo ut addantur vellem: Primum est ut post exercitium hoc, quod est publicum, illico privatim conveniant iidem ministri, & fraterne alterum alter moneat; & in specie senior juniorem de illo, quod indecorum fuisset vel in doctrina vel moribus; & verbo, ut mutua ejusmodi consilia, instructiones, consolationes & incitamenta suppeditent, qualia requirit occasio; publicæ enim reprehensiones abesse debent. Alterum est, ut idem exercitium in Academiis frequentetur Theologiæ studiosorum causa, antequam præsumunt concionari publicè. Nam in collegiis suis habent exercitium quoddam, quod appellant Locum communem, at nullatenus tam proficuum esse potest; cum sit tantum unius hominis sermo eo ipso tempore. Si autem metuendum esset, ne occasio hinc præberetur acuendis hominum sermonibus ad controversias, facile huic malo remedium afferri potest severa interdictione, ne controversæ materiæ quacunque tandem ratione ad violandam turbandamque Ecclesiæ pacem inibi tractentur: nec opinandum est, interdictionem hanc irritam fore, Moderator enim seu Præses gravis esse persona supponitur.

Secundo considerandum, annon necessarium foret, ut accuratior ministrorum examinatio inchoetur; scilicet ne Episcopi ordinent soli, sed aliis adstipulantibus: Et tum anti-

antiqua illa ordinum sacrorum conferendorum ratio reduci posset; qua Episcopi certis tantum quatuor anni temporibus ordinaverunt, quæ inde *Quatuor tempora* appellata sunt, nunc *Cinerum dies*: dignum enim visum fuit, ut tam excellentem actionem generale comitaretur jejunium, preces Conciones aliæque actiones religiosæ. Nomina etiam ordinandorum publicabantur aliquot ante ordinationem diebus; eum in finem ut exceptiones contra ipsos fieri possent, si justa subesset causa.

Tertiò considerandum est, quod si numerentur Ecclesiæ Parochiales (concessa unione illarum, quæ exiguæ sunt aut propè adjacentes) personæ item ministerio dignæ, acciderctque ut plures sint Ecclesiæ quam Pastores, necessario alterum horum remediorum admittendum esset: Vel enim beneficiorum pluralitas concedenda foret, (speciatim si permutatione beneficia possint magis compatibilia reddi) vel Concionatores magis amplam curam suscipere deberent, & alternatim parochias, concionatore destitutas, curare. Nam ut Ecclesiæ aliæ Pastore idoneo gaudeant, aliæ verò careant, videtur mihi esse contra Communionem sanctorum & Christianorum, itemque contra Primitivæ Ecclesiæ praxin.

ABUSUS EXCOMMUNICATIONIS.

EXcommunicatio maximum in terris est judicium; in cœlo enim ratihabetur, præceditque

ceditque magnum illud Christi judicium in fine mundi habendum. Igitur irreverenter illud tractare, atque in ordinarium permutare processum ad sportulas augendas, fieri nequit sine honoris Divini imminutione, atque Potestatis Clavium contemptu. Satis quidem ejus defensionem novi, sed est sine robore: dicunt; Excommunicantur non ob rem ipsam, sed propter contumaciam. Neutiquam nego esse judicium hoc (ut supra dixi) ejusdem cum Dei judicio naturæ, ejusque typum. Nam uti Divinum judicium etiam minimum impœnitentis peccatum corripit; maximum verò pœnitentis peccatum dimittit: ita excommunicatio potest aliquando exseri circa minimam offensam, & non exseri circa maximam. Verùm estne hæc contumacia, & talis quidem, quæ excommunicationem meretur? Contumacia enim debet esse ejusmodi, qua homo (quantum oculus & sapientia Ecclesiæ discernere potest) in damnationis & reprobationis statum conjicitur; ut ille qui pro hic & nunc finaliter impœnitens esse creditur. His observatis duo superstruo: unum est, ut censura hæc in primævam suam dignitatem & usum restituatur, qui est, ne adhibeatur nisi in causis prægrandibus & ne decretum excommunicationis feratur per deputatum aut substitutum Episcopi, sed Episcopum ipsum, neque ab ipso solo, sed assistentibus aliis.

Posterius est, ut foro Ecclesiastico ejus loco, ordinarius præscribatur processus,

cum

cum tanto vigore & coactione prout decet. Ut dignitate tam sublimis sententiæ servata, & defectu vilioris processus suppleto, Ecclesia revera pristinum suum vigorem & splendorem recuperet. Eum in finem, tum etiam aliis de piis sanctisque causis, Statutum Parlamenti conditum est anno vigesimo tertio Reginæ beatè defunctæ, (quo tempore splendidissimum, quod unquam novi, celebratum est Parlamentum) à gravissimis etiam status consiliariis laudatum est inibi; Verum speciali Reginæ mandato, rebus in natura sua consideratis, inhibitum.

DE NON-RESIDENTIIS & PLURALITATIBUS.

NOn-Residentia, excepto in casu necessariæ absentiæ, est abusus ex avaritia & pigritia ortus. Nam quod homo vivere debeat ex grege illo, quem non pascit; & ex altari illo, ad quod non ministrat; vix defendi potest: Et Pastoris officium circa verbum & doctrinam versans exercere per delegatos, res est sine authoritate, ut supra dixi. Quæstiones autem hic movendæ, versantur circa casus exceptionis & excusationis, quæ scilicet sint rationabiles & sufficientes, & quæ non. De Sacellanis loquar cum S. R. Majestatis venia, atque reverentia erga Magnates, aliosque in Authoritate constitutos, quorum Sacellani statutis sunt privilegiati. Existimo autem Sacellanorum, qui in Majestatis Vestræ aula sunt, in domibus

etiam & Familiis Dominorum suorum, justiorem posse esse causam, quare beneficium nullum habere debeant; quam quare duo possideant. Nam uti requiritur vi Christianæ Politiæ, ut ejusmodi ministerium nullatenus negligatur, ob ingens bonum, quod inde accrescere Ecclesiæ Dei potest, longe excedens labores illos, quos in quocunque alio, licet amplissimo cœtu, impendunt: ita rationi consentaneum foret, ut sustentatio eorum honesta & liberalis inde procedat, ubi operam navant. Neque desunt in Ecclesia dignitates & beneficia, cum animarum cura non conjuncta, quorum spe ejusmodi concionatores aulici ordinarii (qui debent esse, ut quoque maxima ex parte *sunt*, optimis donis præditi) possunt remunerari atque incitari ulterius. Ii verò qui extraordinarie in aulis ministrant, satis commode suis possunt frui beneficiis, & vacare officiis temporibus statis absque non residentiæ culpa in pastorali sua functione. Jam quod attinet Academica studia, facile responderi potest: studia hæc tendere saltem ad praxin, ideoque deserere illud, cujus gratia aliquid fit, & est maximè principale; ei verò incumbere, quod est illi subserviens minusque principale, videtur esse contra rationem. Neque video male illos progredi, qui studiis suis praxin conjungunt; nec ab initio totos se studiis, postmodum autem pariter totos se praxi dedunt, & addicunt; sat bene enim beneficiis suis fruentes etiam studiis vacare possunt. Denique in casu extra-

ordinariæ

ordinariæ functionis Ecclesiasticæ, quales sunt missio ad Generale Concilium, vel Synodum hic celebrandam, in casu etiam necessitatis, ut in specie si ægrotet quispiam, & similibus, nemo contradicet, posse tum alium ad tempus substitui. Sed generalis necessitatis casus est causa Pluralitatis, Pastorum paucitate, & sustentationis penuria introductæ. Posito ergo, quod ejusmodi minister fideliter & indesinenter labores suos inter utramque parochiam dividat, necessitas hæc in quæstionem venit; atque de ea loquar.

Si casus ita statueretur, ut Concionatores idonei suppeterent, beneficiaque singula ad alendum pastorem sufficerent; Pluralitas nullatenus toleranda esset. Cavendum autem ne contraria desideremus. Sed desiderare ut unaquæque parochia suum habeat concionatorem, & insimul vel ut tollatur Pluralitas, est velle contraria. Quoniam impræsentiarum non reperiuntur idonei Concionatores pro unaquaque parochia, neque unaquæque parochia sufficientem victum pastori suo præbere poterit. Unde mera hinc enascitur impossibilitas. Remedia in rerum natura sunt tantum tria, *Unio, permutatio, & supplementum*. *Unio* ejusmodi beneficiorum, in quibus observationes non sint curtæ nimis, neque parochiam nimis magnam constituant, sed prope sibi adjaceant. *Permutatio* fiat beneficiorum ejusmodi, ut etiam illud quod magis opulentum est, dimittatur pro eo, quod propius est.

Supplementum fiat per concionatores ſtipendiarios; qui alicunde larga ſtipendia nacti, illos curent cœtus, qui paſtore idoneo deſtituuntur. Ut *Elizabetha* Regina inter alia Liberalitatis ſuæ opera, conſtituit ſtipendia quædam in Lancaſtria. Puto etiam Miniſtros Rectores, ſi opulenta poſſideant beneficia, adigi poſſe, ut aliquantum hunc in finem contribuant.

Quomodo ſufficiens victus in Eccleſia parari poſſit.

CIrca Eccleſiaſticam ſuſtentationem bene conſiderandum eſt, quid ſit jure divino & poſitivo. Eſt legis Divinæ conſtitutio, cui humanæ leges derogare nequeant, quod gregem paſcentes ex grege vivere debeant. Et hujus conſtitutionis appendix eſt, ne iſta ſuſtentatio ſit tenuis & parca, ſed ſufficiens & liberalis. Igitur ut omnia Eccleſiæ officia ita ſint dotata, quo ſinguli, ſecundum ſuos diverſos gradus, honeſte vivere queant, eſt Conſtitutio permanens & perpetua. Sed in ſpecie, an beneficium debeat conſiſtere ex Decimis, vel agris, vel penſionibus, vel mixtim; quæſtio erit de congruo, non vero de neceſſitate præciſè. Deinde quod Eccleſiæ ſtatus talis ſit, ut patrimonium ejus ſit exiguum; in confeſſo eſt. Nam primaria ejus officia, ut Epiſcopatus, non ſufficienter ſunt dotata in quibuſdam ſpecialibus: ideoque per tolerantiam ſupplentur ex Commendis, quæ ex ſe ipſis ſemper male audi-

audiverunt. De Pastorum beneficiis pariter manifestum est, esse eorum multa tenuia. Ex altera autem parte, fuisse tempus, quo Ecclesia opibus potiùs fuerit onusta, quàm egestate pressa, pariter notum est: Sed hoc fuit olim. Unde culpa est aliorum, & defectus in nos redundat. Iterum, optandum esse, ut impropriationes illæ Ecclesiæ restituantur, seu ipsius propriæ & genuinæ dotationes, omnes ferè consentient. Verùm impossibile esse, ad ipsarum restitutionem aut redemptionem nunc procedere, itidem manifestum. Nam qui eas nunc possident, acquisiverunt firmissima, quæ in Regno est, confirmatione, i. e. Parlamenti Decreto: Valor autem earum est, longe supra subsidia decem. Restitutio verò necessario ab iis decerni debet, in quorum nunc manibus sunt, vel quoad possessionem, vel quoad usumfructum.

Verum inferamus ex istis, quæ manifesta sunt, conclusiones quasdam. Primo, mea opinione & sententia (non sine reverentia tamen debita id loquor) omnia Parlamenta inde à vigesimo septimo, & trigesimo primo Henrici VIII. anno (qui passus est bona Ecclesiastica possideri à Laicis) videntur mihi in Conscientia erga Deum teneri, ut aliquid Ecclesiæ largiantur, ejusque patrimonium in id, quod competit, restituant. Nam quoniam Christi sponsam insigni dotis suæ parte privaverunt, dignum est, ut ipsi aliunde satisfaciant. Deinde asserere bona ecclesiastica Laicis concessa, in quæstionem tan-

tum vocanda esse, neque possibile, neque rationi congruum. Non possibile ob rationes superius indicatas; non congruum rationi, quia error est existimare ex aliorum accusatione nasciturum replicam imo duplicam, quoniam Decimas pendunt. Prætereundum enim non est, quod uti regnum concessit Ecclesiæ decimas, ita idem regnum ab Ecclesia abalienaverit decimas Regique addixerit; ita ut nunc octavum vel nonum pendant manipulum. Ideoque prior donatio irrita facta, non potest excusare homines, aut solvere perpetuum illud vinculum, quo Dei Ministros alere tenentur. Videmus ergo multos pios & divites, nulla ecclesiastica bona possidentes, augere suorum Concionatorum reditus; quod licet in lege sit tantum benevolentiæ opus, coram Deo tamen est conscientiæ oblatio. Porro negari nequit, bonorum Ecclesiasticorum Secularizationem aliquanto vehementius, quam alias obventiones, examinandam esse: tum respectu juris antiqui, quod Ecclesia in ea habet, intentionisque primorum fundatorum: tum quoniam eorum æstimatio inter virum & virum peracta est, atque minori pretio, quam jus illud Ecclesiæ in Conscientia coram Deo requirebat. Sed de hac materia, scilicet Ecclesiasticis obventionibus, nunc specialius nihil dicam, reservabo verò in tempus magis commodum.

Sic in omni submissione atque cordis sinceritate, secundum capacitatem intellectus mei Majestati Vestræ, Studiorum & Medi-

tationum

tationum mearum tributum in hoc negotio ſacro obtuli, tam apertè in Dei gloriam, Majeſtatis Veſtræ honorem, pacem etiam & commodum Reipubl. Veſtræ tendente, ut confidam, quod ipſi Pontificii opus habituri non eſſent legum ſeveritate, ſi ſpiritualis gladius magis acutus redderetur, firmando authoritatem & ſupprimendo abuſus in Eccleſia.

Concludo igitur, iterum humillime ſapientiæ Majeſtatis Veſtræ Celciſſimæ ſubmittendo omnia ea, quæcunque dixi; veniam quoque precando erroribus hic admiſſis, quos eadem judicii infirmitas, per quam erravi, detegere non permiſit. Finio autem devote & ardenter Deum invocans; Quod uti Majeſtatem Veſtram fecit eſſe angularem lapidem in uniendis Regnis duobus, ita quoque eandem faciat angularem lapidem ad conglutinandas in Eccleſia Dei Diviſiones. Et hujus cœleſti Gratiæ, & nunquam erroneæ Directioni committo Majeſtatis Veſtræ Perſonam ſacratiſſimam, omneſque ejuſdem actiones.

CONSILIUM REGI OBLATUM circa Domini Suttoni Legatum.

Placeat Majeſtati Veſtræ.

VIdeo poſitivum antiquæ legis præceptum eſſe; *Absque ſale ſacrificium ne offeratur*. Morale ejus (ceremoniale

omitto) esse potest: haud placere Deo *bonæ intentionis cadaver*, nisi *spirituali* sit conditum *sapientia atque judicio*, ne subita pereat corruptione, l. immutetur. Sal enim in Scriptura sapientiam atque perpetuitatem denotat. Hoc in mentem meam venit occasione ejus, quod Dn. Sutton constituit. Videtur mihi esse absque sale sacrificium. Est ibi materia intentionis bonæ, non verò asperguntur ejusmodi sanctiones & statuta, quæ illam à corruptione præservare possint; vel minimum, ne fiat insipida exiguique usus. Licet optimorum fidei committatur, attamen nec ipsi semper poterunt esse superstites; & ipsa operis natura, intuitu *vastæ ineptæque* proportionis, malam gignet administrationem. Non ipsorum diligentia (nisi forte recedant à forma præscripta) ab adsuetis retrahet viis, in quibus corruptæ fuerunt donationes huic similes. Nam velle ut ædes magnificè extructæ, atque Principis habitatione dignæ, fiant nosocomium; idem est ac si splendidam pretiosamque vestem porrigerem mendico. Et revera, tanquam quæ oculis cernuntur, manifestum est, ejusmodi ædificium cum sexies mille librarum obventionibus, si in nosocomium convertatur, brevi fore, commutatumque iri in beneficium illustris cujusdam personæ, quæ sit ipsius Rector, opima inde decerpens, egenis autem insipidas relinquens micas: quemadmodum id accidit variis in hoc regno nosocomiis, quæ nomina saltem retinent, reapse autem fuit opulentæ digni-

tates

tates iis, qui tanquam Rectores præsunt, cum pauperes qui sunt *fines propter quem*, exiguis inde potiantur. Talis etiam sors fuit ingentium apud Romano-Catholicos eleemosynarum, in lautis istis fundationibus: quæ cum cœpissent vana cum gloria & ostentatione, illud sortitæ sunt judicium Divinum, ut corruptione & abusu terminarentur. Isthæc meditatus has ad Majestatem Vestram conscribere lineas audeo; quæ cum nil sint aliud quam vota bona, liberum esto immensæ Majestatis Vestræ sapientiæ, aliquo vel nullo eas habere loco.

Mens autem mea est: quod si Legatum hoc, (ut etiam est) sit perfecte bonum & legibus conforme; improbum esse, suadere Majestati Vestræ quicquam, usuram aut potentiam concernens iniquam. Si verò defectus ei insint ejusmodi, quibus ex æquitatis foro afferri posset medela, opto ut sicuti S. Petri umbra sanavit ægrotos, ita ipsissima bonæ intentionis umbra medeatur hujus generis defectibus: Si vero hæredi jus & quidem innatum adhæreat, nullo æquitatis foro emendandum, Majestati Vestræ tamen submittatur, unde in regia Majestatis Vestræ potestate atque gratia erit positum, quicquid fiet: tunc voveo, ut massa hæc & boni operis chaos potius in solidum meritum atque liberalitatem continuam transformetur, quam ut sit vanæ gloriæ scintilla quæ parumper in hominum crepitabit sermonibus, & extinguetur subito.

Et hoc fieri potest, si observemus species

à Domino Suttono intentas, mutatis ſaltem individuis. Ad triplex, ut apparet, bonum collimavit; *Noſocomium, ſcholam & concionatoris ſuſtentationem*: quæ individua ad iſta tria referuntur genera; Pauperum ſublevationem, Eruditionis augmentum, & religionis propagationem. Jam verò ſi Majeſtati Veſtræ in tribus his generibus oſtendero, quæ maxima ex parte deficiant hoc in Regno, & quis probabiliter maximus ejusmodi munificentiæ poſſit eſſe fructus uſusque efficaciſſimus, atque minimæ corruptioni obnoxius: Non malam putabo fuiſſe laborum meorum metam, quanquam leviter eam fuerim aſſecutus: Nam ſi quæ offeruntur ſint varia, optime tunc ſit electio.

Quoad pauperum ſublevationem exiſtimo, noſocomia plura, reditibus congruis dotata, magis fore utilia, quàm unum immensè magnum. Hoc quidem magis videtur, illud autem ſentietur ſuavius. Nam ſi Majeſtas Veſtra extruat plura, præter regulam generalem; *bonum quo communius, eo melius*, ſeligi poſſunt oppida & loca illa, quæ iis egent maximè: atque ſic remedium applicabitur, ubi morbus eſt. Porro ingens eleemoſynarum ſumma, uno in loco accumulata, invitabit potius turbam mendicorum nimiam, quam recreabit pauperes indigenas: inſtar pharmaci male præparati, quod plus attrahit maligni humoris, quam evacuat. Sed innitar tantum rationi ſuperius adductæ: quod in tanto Noſocomio obventiones trahent uſum, non verò uſus trahet

obven-

obventiones, atque opum massam subito male immutatum iri. Si verò quis objiciat, duo grandia Londini nosocomia, minime male administrata: respondeo, Rectores ibi esse annuos & superiorum subesse curæ, eaque arte regi, quo ipsa Londinum: & præprimis reditus non esse certos, sed fortuitos & donationes liberrimas; quæ inhiberentur illico, si aliquando male cernerentur dispensari. Unde perpetuo ad æquam administrationem coguntur timore. Hic verò nihil illorum.

Deinde consideretur, annon hoc nosocomium intentum, ut anteit reditibus alia, ita etiam illis, qui inter pauperes sunt meliores, sit concedendum: videlicet mancis militibus, mercatoribus infortunatis, Patribus familias decrepitis, clericis emeritis, & similibus. Quorum conditio ut melior fuit antehac, meretur etiam, ut magis liberale nanciscantur ipsi stipendium, nec vilissimæ inserantur turbæ. Hæc consideratio autem licet speciosa, meo tamen judicio non præfinitum hisce temporibus nostris consequetur finem. Nam revera quicunque in aliqua ante hac constituti fuerunt dignitate, ejusque retinent memoriam, vix unquam eo descendent, ut ex eleemosynis victitare velint, atque clarorum mendicorum societatem inire; sed eligent potius vitæ obscurum genus, atque apud amicos privatum. Erit ideoque hujus instituti finis, quod eriget receptaculum iniquissimorum, otio & lascivia torpentium, hominum cujuscunque

generis: fietque habitatio luforum, fugitivorum atque helluonum, majori cum Reip. fcandalo, quam fructu. Iftius rei exemplum, quod fcio unicum, præbent Equites Winforiæ, eleemofynam captantes, imitatione minime digni.

Optimus igitur nofocomiorum effectus effet, fi Anglia inde eo frui poffet privilegio; *ne poftmodum fuperfit mendicus in Ifraele.* Iftud enim hominum genus eft onus reipubl. feftuca in oculo, fcandalum, femen exitii & tumultus: optandum igitur effet, ut non folum Beneficentia ejusmodi infignis folis provideat mendicis, fed etiam viris honeftis, iftorum colluvie hactenus obrutis. Certe omnibus gratum foret, fi publica manus eleemofynam diftribuens, privatam à cenfibus liberet manum. Præ aliis igitur mihi placent ædificia, tum eleemofynas, tum correctionem, præbentia: hic enim effari fuftentantur, & præfracti ad laborem adiguntur mendici: neque tamen ifti traduntur otio (hoc enim vel ebrietati vacat vel immunditiei) fed ejusmodi adftringuntur operibus, quibus fufficiunt: placent & illa in quibus nulla datur perfonarum diftinctio, in fenes atque decrepitos, infantes & vagabundos, fed promifcue recipiuntur. Hic enim licet fufcipere quascunque & quales ubicunque terrarum reperiuntur. Atque fic pauperes omnes fua hic invenient alimenta, alii autem cenfuum levamentum. Jam verò fi objiciatur, neque ergafteria ubique præfixum attigiffe fcopum, (in plurimis autem

multum

multum profuisse, negari nequit; respondeo: multum differre ea, quæ per intervalla agit Pacis Justitiarius, nec non ea, quæ ordinarie fiunt atque statis lustrantur visitationibus; qualiter hic fieri potest. Præterea communiter defectus illi ex materiarum, quibus labor impendendus est, inopia orti sunt; hic verò suppeditari ea poterunt abunde.

Quoad scientiarum augmentum subscribo opinioni prudentissimi atque excellentissimi in hoc Regno viri. Trivia sat sunt multa, prudenter igitur non additur, ubi est abundantia. Ingens scholarum numerus & egestatem & copiam gignit; utraque est incongrua, altera autem & perniciosa. Inde deficiunt servi colonis atque tirones opificibus: ex altera verò parte, plures studiis innutriuntur, quam Respublica possit officiis præficere; activa verò hujus vitæ pars, non debito instructa apparatu, homines gignit aliis rebus ineptos; atque inutiles etiam illi, cui innutriuntur statui. Hinc respubl. egenis, desidiosis & lascivis plena est hominibus, qui tantum sunt *materia novarum rerum*.

Opto igitur ut Domini Suttoni intentio ad altiorem evehatur gradum, & loco illius quod in juvenum legavit pædagogos, id Majestas Vestra in virorum conferat Præceptores. Nam vetus mea fuit opinio & observatio, quod in Regni hujus Academiis (quas ex Europæis optimas esse statuo) nihil magis deficiat, ad florentem scientiarum statum, quam honesta & opulenta salaria Professo-

 ribus,

ribus. Certe Lectores in Cathedra sunt scientiarum Patres, merenturque non inferiores esse liberis suis praxin amplectentibus. Alias enim nemo diutius in Cathedra morabitur, quam donec melius adipiscatur beneficium; sic fiet, quod Virgilius inquit: *Et Patrum invalidi referent jejunia nati.*

Si enim Lectores ob stipendiorum tenuitatem erunt saltem leviter docti, atque quasi in transitu fungentes professorio munere, scientiæ maximè primaria & solida carebunt dimensionis parte, quæ est *profunditas*, & fient egregii compendiosique ad praxin adaptati habitus. In utraque igitur Academia vellem, ut stipendia Professorum in Theologia, Jurisprudentia nec non *Medicina*, ut & Philosophia, Linguis & Mathematica ad centum augerentur Libras. Quanquam enim & hoc minus sit, quam alibi in eruditissimos, etiam ab exteris accersitos, erogatur Professores, potest tamen aliquatenus sufficere erudito & bene merenti viro; si etiam contemplativæ deditus sit vitæ, quæ maximè Lectorem decet. Sic eruditio quodammodo provehi poterit in Majestatis Vestræ regno. Eruditio, inquam, quæ Majestate Vestra imperante, ceu eruditissimo Rege, aliquem elevationis gradum poscere videtur minime inepte.

Quoad Religionis propagationem tria Majestati Vestræ proponam: nulla tamen de meo consilia; nisi quod approbaverim ea semper: duo autem jamdum sermonibus sunt ventilata: tertium verò jam etiam actum. Primum

Primum est Controversiatum Collegium: ubi non amplius soli agemus, sed quasi duplicabimus tela nostra, olim in conflictu ostendenda.

Secundum est receptio (displicet enim mihi *seminariorum* vox, ideo, quod eâ lubrica comprehendantur vota, implicita obedientia, aliaque ad Reipubl. eversionem tendentia) Proselytorum Reformatæ religionis, sive juvenes sint, sive alii. Nullus enim dubito esse in Hispania, Italia & alibi plurimos, qui depravatos ecclesiæ suæ mores videntes, meliorem apud nos esse salutis viam agnoscunt: quod divinæ gratiæ donum sæpe terrena egestatis meditatione suffocatur: ignorant enim istiusmodi homines ad quos confugere debeant atque victum nancisci. Hoc magnum meo judicio esset pietatis opus & commodi, sic prudentes erimus in generatione nostra; nec non docebimus tacitam noctem, at vigilem, æque opportunam esse bono semini serendo ac Zizaniis.

Tertium est imitatio religiosi atque monumentis dignissimi actus, quo Elisabetha Regina videns, aliquam Lancastriæ partem admodum pervicacem esse in religione suscipienda, beneficia autem impropriationibus absorpta, per decretum in Ducatu erexit stipendia quatuor, centum librarum singula, Presbyteris numeranda, qui promoverent messem: unde commodum plurimum enatum iis in partibus, ubi locarunt operam. Neque desunt hoc in regno loca alia simile extraordinarium requirentia subsidiũ.

Ita

Ita breviter Majestati Vestræ meam exposui opinionem de usu charitatis hujus, quæ ista divinarum massa, quæ apud possessorem parum melior fuit quam fimi acervus, super universum dispergi possit regnum, & fruges proferre innumeras, si Majestas Vestra plantaverit, atque rigaverit, Deus autem dederit incrementum.

OBSERVATIONES IN LIBELLUM

Hoc anno 1592. publicatum, qui inscribitur Declaratio, quæ causæ sint Genuinæ Magnorum in Regno motuum; & existimatur esse adversus regnum Angliæ conscriptus.

JUstum esset atque honestum, si bellum gerentes Principes, quantumvis lites suas atque controversias armis, omnibusque hostilitatis artibus prosequantur; Imo licet etiam bella sint ejusmodi, ut totalem ruinam atque perniciem, tum exercituum, tum rerumpublicarum, intendant; ita tamen lenirent affectus suos, ut ista duo sacra & inviolata conservent mutuo, i. e. *Vitam* & *Famam*. Bella enim interneciones non sunt, neque confusiones: sed tribunalia summa; quando Principes & respubl. superiorem in terris non agnoscentes, justitiæ divinæ se committunt, ita ut decidantur controversiæ ipsorum ex successu, quem illa

illa largiri alterutri parti decrevit. Et sicut in processibus privatorum omnia secundum civiles leges agere decet; Sic in bellis non decet agere quicquam contra gentium legem aut honestatis: Leges enim istæ homines illos, quorum alii in Principum necem conspirant; alii ipsorum nomen bonum traducunt, damnaverunt, tanquam communis societatis hostes, & neque apud inimicos fovendos esse sanxerunt. Nam in exemplis temporum adhuc minus corruptorum, reperimus, quod, si quando in acerrimis dissidiis bellisque perniciosissimis obtulerunt se adversariis sicarii, & proditores Principis, non solum rejecti fuerint, verum etiam detecti. Similiter, si quando minus honesta Principis mentio facta fuit coram inimico, ab illis, qui placere ei studuerunt, aversum & alienum se ab eis exhibuit, promptèque honorem adversarii sui vindicavit. Juxta hanc nobilem atque magnanimam procedendi rationem semper egit Regina Celsissima cum Hispaniæ Rege, ex quo sublata ab eis est amicitia. Nunquam Regina ipsa vel ejus ministrorum aliquis intendit, vel consensit in mortem dicti regis. Neque politicum Scriptum seu declaratio, imo neque liber publica Autoritate evulgatus est, in quo honor ejus, si unicam Ambitionis notam excipias, læsus fuit. (Illam enim inserere seu excipere libet, cum ipsa S. Majestatis Regiæ approbatione.) Idcirco nemo dubitare debet; bellum hocce, quoad Reginam inniti justis honestisque causis; quan-
doqui-

doquidem videt, id tam justè & honestè geri. Difficilius enim est, postquam bellum orsi sunt Principes, revereri se mutuo, nec affectibus transversim agi, quam moderata & justa in principio capere consilia.

Jam verò si alteram adspiciamus partem apparebit, quod magis (ut existimo) sollicitatione perfidorum (quæ unicum virus & pestis omnis honesti belli est inter gentes exteras) aut præsumtione ministrorum & delegatorum, quam intentione ipsius Regis, conspirationes initæ & attentatæ, aut minimum promotæ fuerint, erga sacram Reginæ personam. Iis tamen omnibus miraculosè detectis, ostendit divina benignitas, quam arcta preciosaque custodia dignetur Reginæ vitam & salutem. Deinde mirum est, quod tot libelli infames & scripta, multa varietate, arte & versutia contra Reginam ejusque regimen concinnati, per orbem in omnibus linguis volitarint: aliquando ecclesiasticarum historiarum autoritatem & veritatem induentes, ut fidem invenirent; aliquando remonstrationes animadversionesque circa Statum politicum exhibentes, ut attentionem conciliarent: aliquando tragœdiarum induentes scenam, tanquam persecutiones Catholicorum recenserent, ut misericordiam moverent: aliquando ut Satyræ prodeuntes, ut risum cierent: ita ut nulla sit figura, in quam non transfigurarint se socii isti, imo neque affectus seu passio in homine sit, quem tentare ausi non fuerint, hac intentione, ut insinuent propinentque orbi

orbi fraudes suas & fucum. Verùm intendat huc aliquis mentem suam & cognoscet, fuisse hæc tantummodo mendacia, quæ diluerunt solæ temporum locorumque circumstantiæ, contradictiones innatæ & testimonia hominum innumerabilium, qui adhuc vivunt & negotium totum exactius cognoverunt. Affirmant quidem tam avidè, ac si illo mentis laborarent morbo, quem prudens scriptor istis describit verbis; *Fingunt simul creduntque*, vel acsi primarium in seminariis suis esset præceptum statutumque; *Audacter calumniare, semper aliquid hæret*: vel ac si ex prisco illorum genere essent, qui miraculosis mendaciis instruere partem suam sueverunt. Sed quando quis considerat, quod ex regno hoc excedunt multi studiosi impotentes & inquieti, quos tumidus turgidusque genius suus adigit, ut exteros visitent; & quod deinde innutriuntur potius novellarum attentioni & susurris, quam studiis honestis: postmodum autem, quando ipsorum egestas vel ambitio impellunt eos, consilia ineunt, quomodo amorem eorum demereri possint, à quibus sustentantur; unde semper, quando aut malè apud exteros principes audiunt, aut pensiones suas ægre recipiunt, aut ad quoddam beneficium & promotionem adspirant, extemplo ejusmodi prodit libellus ad incitandos animos eorum, qui hoc in regno regimini adversantur (qua in re æque prudentes sunt, ut ille qui ignem suscitare vult in frigidos cineres sufflando) quando, inquam,

hoc

hoc quis considerat fundamentum, hancque copiosam libellorum suppellectilem, mirari desinet; concurrunt enim hic æque seminis natura, & cultura agri, imo temporis opportunitas ad producenda virulenta ista zizania.

Verum & hic impletur Servatoris nostri dictio: *Non est discipulus super magistrum*: nam uti Reginæ calumniati sunt gubernationem, ita non obliti eadem ratione ferire primarios ipsius ministros & consiliarios. Putantes forte, quod sicuti immediatæ in Reginam editæ calumniæ, optime exterorum malitiæ satisfacient; ita eædem in primarios Consiliarios prolatæ, optime arrisuræ sint animis quorundam in regno existentium malevolorum. Opinantes etiam quod hic magis liberisque dissipari possint, minusque exosæ futuræ sint exteris, qui non penitus alteri sunt addicti parti, atque affectibus indulgent, sed vulgo detestantur subditorum in Principem suum proprium diffamatorios cusos libellos.

Inter alia autem hoc 1592. anno prodiit Scriptum malitia & mendaciis nulli secundum, stylo tamen & Scriptionis acumine aliis cedens. Autor Lucianum vult imitari, sed infeliciter & istud præstitit. Titulus libelli est: *Declaratio quæ sint genuinæ magnarum turbarum causæ, & suspiciuntur esse contra Angliæ regnum.* Et videtur dirigi contra actiones veterani illius & dignissimi Reginæ Consiliarii Domini de Burghley, cujus opera & studio 34. pene annis usa est, in his periculosis

losis temporibus & variis prægrandibusque negotiis, tanto etiam cum successu, ut Reginæ adversariis nihil præter ejusmodi chartacea conamina relictum sit: & cujus memoria in hoc regno vigebit, quando horum libellorum deleta erit; juxta scripturam: *Memoria justi cum laudibus; at impiorum nomen putrescet.* Verum etiam plus satis innotescit, autoris malitiam & S. R. Majestatem ipsiusque gubernationem ferire: quod vel inde apparet, quod non accuset eundem Dn. Burghley de actione aliqua privatæ vitæ (tam valida est veritas) licet libelli de aliis Consiliariis compositi id primario egerint; sed ejusmodi objiciant actiones publicas, quæ, cum ipse fungeretur officio, gestæ sunt, & male eos ipsi adscribat effectus, qui secuti sunt. Revera in Reipubl. bonum Reginæque honorem; quanquam enim aliquando sic excitari soleat malitia pervicacium & incorrigibilium subditorum: eorum tamen insimul infringitur potentia & adimuntur quicquam perficiendi media.

Potest autem vir iste omnia ista convitia contemnere, tum propter manifestum mendacium, tum vilem obscurumque autorem. Nihilominus tamen, secundum moderamen, quo in omnibus utitur rebus, nunquam alias Autoritatem suam vendicans; quando tamen quæstio est de satisfaciendo orbi: permisit nunc aliquid, ne omnino res involvatur silentio. Quare ego, speciali ratione ipsi devinctus, inter alios qui eundem venerantur & amant, atque diligenter opera ipsius

considerant, zelo etiam erga veritatem ductus, observationes quasdam, dictum libellum legens, collegi; non quidem in forma plenæ responsionis; Sic enim in illud impingerem, de quo Salomo loquitur: *Ne respondeas stulto juxta stultitiam suam, ne efficiaris ei similis.* Sed ut denudem malitiam ostendamque mendacia, & manifestè convincam.

Sunt autem quæ in lectione hujus libelli observavi sequentia.

1. Autoris Scopus.

2. Præsens hujus Regni status; num verè dici possit prosper vel afflictus. p. 193 – 226.

3. Morem procedendi adversus Catholicos ita dictos, an ille sit violentus vel moderatus. p. 226 – 232.

4. De tranquillitatis, qua status Christiani fruuntur, perturbatione; quibusnam hæc imputanda causis. p. 232 – 252.

5. De Autoris artificio, quo malitiosas suas in Reginam & rempubl. calumnias contegit, sub prætextu quod solum Domini Burghley actiones reprehendat. p. 252 – 254.

6. Certæ generales notæ in Actiones Domini Burghley. p. 254 – 257.

7. De diversis mendaciis specialibus & cavillis per totum librum dispersis. 257 – 265.

8. De summa horum hominum impudentia in publicandis asserendisque mendaciis, recensendo specialia quædam, ut sint instar exemplorum. p. 265 – 268.

1. Scopus Autoris

Bonum est consilium in actionibus cum malitiosis

malitiosis atque versutis hominibus, quorum sermones semper longinqui seu profundi sunt, inquirere, quæ ipsorum sit sententia. *Non quid dixerint, sed quo spectarint, videndum.* Certè peregrina in auribus Anglorum vox est: Calamitates Angliæ præsentes excedere pristinas quascunque. Fortassis illico aliquis quæreret; Creditne istud quod loquitur? vel non credens id ipse, putabitne possibile esse, ut nos credamus? Certè meo judicio neutrum ita se habet: sed scopus ejus sine dubio fuit, vellicare aurem Pontificis Romani & Hispaniarum Regis, narrando fabulam Angliæ incolis. Solent enim istiusmodi libri in alias transferri linguas: neque puto adeo ineptum fuisse autorem ut cogitaret, posse se persuadere Anglis contrarium illius, quod sentiunt atque vident. Verùm existimavit, optime se posse illudere exteris, si sermonem suum dirigeret ad eos, qui evidenter eum convincerent, si falsa scripsisset, juxta id quod Livius inquit: *Ætolos magis coram quibus verba facerent, quam ad quos, pensi habere.* Ita hunc socium non puduit apud Anglos mendacem audire, modo decipere possit Hispanos & Italos. Et observationem meretur, jamdudum communem horum hominum fuisse morem, quod laboraverint exteris persuadere luxatam esse & interitui proximam Anglicanam Rempubl. & quod magna pars promtè se Invasori adjungere vellit: ex altera vero parte etiam pravis Angliæ subditis persuadere, magnas apud exteros fieri ad bellum instaurationes & omnia ad invasionem

vasionem parata esse. Et sic utramque fallunt partem. Hunc igitur puto primarium ejus existere scopum. Deinde etiam modum excedit & incredibile est imaginari, omnia decreta & Actiones Reipubl. quæ Regina Imperante prodierunt seu actæ sunt, uni soli Consiliario adscribi posse; & quidem tali, qui nunquam imperiosus fuit, aut ambitiosus. Dicere autem, quod, licet non ipse gesserit omnia violenter, attamen suadendo perfecerit, vix aliquis admittet: nam quicunque judicio pollet, & præsentia contemplatur tempora, facile dignoscet, prudentes nunc nimium esse callidos, adeo ut nemo invisibiliter inter ipsos versari queat, aut totum orbem instrumenti loco *usurpare*. Quare neque hic locutus est, ut sensit Autor: Vidit saltem calliditatis imputationem gignere suspicionem; magnitudinis vero & Autoritatis encomia, invidiam. Ideoque cognoscens, qui sibi maxime resisteret, & cujus sagacitate experientiaque plurimis conspirationibus suis obex poneretur, scopus ejus ad quem collimavit, fuit, tentare, utrum feriendo Domini Burghley autoritatem, suspectum eum Reginæ reddere posset, vel exosum toti regno: Sat bene sciens non tantum Zelo agi principes, verum etiam revolutiones in ipsorum esse mentibus, adeo ut rara virtus apud optimos sit principes, ad finem usque constantes perseverare in propensionibus suis atq; negotiis. Et juxta sat bene sciens, quod invidia semper magnitudinem sequatur, sit licet quis optime promereat,

reat, & quod Dominus Burghley candide semper & intrepidè egerit, & uti nunquam ostentatione sua vel pompa excitaverit invidiam, ita neque suppresserit eam auræ popularis affectatione vel conversatione plebeja. Hicque sine dubio secundus ipsius fuit scopus. Tertius erat tentamen, utrum posset supplantare aut dejicere (violenta hac diffamandi ratione, omniaque viro huic imputando) animum & constantiam ipsius, & ut postmodum timidius procedat, neque tam integrè atque vehementer contra eos agat; sciens esse hunc virum sagacem atque magno gaudere pignore, quo privari possit.

Tandem ne artes Socii hujus detegendo, sapientiorem ipsum reddam, quam nunc existit: arbitror magnam hujus libri partem affectibus deberi: *Difficile est tacere, cum doleas.* Animus enim horum hominum cum sit infirmus atque impatiens, vehemens atque ferox est, cum spes ipsorum decollavit eos. Et certè liber iste ex omnibus aliis, qui antehac scripti sunt, infimi generis est, ac si ab opifice conscriptus esset: variis enim repletus est turpibus cavillis & frigidis amplificationibus aliisque contemtus indiciis, vacuus autem omni judicio & ornatu.

2. *De præsenti regni hujus Statu, num vere dici possit prosper vel afflictus.*

Beneficia omnipotentis DEI, regno huic ex illo tempore, quo ex speciali providentia quasi manu duxit & constituit Ancillam

ſuam Eliſabetham Reginam noſtram, conceſſa, tanta ſunt, ut mereantur non jactabundè aut arroganter, ſed ob Sancti Ipſius Nominis gloriam conſiderari & deprædicari; imo & in perpetuam memoriam conſignari. Veruntamen animus non eſt panegyrica methodo moderna extollere tempora. Sufficiet homines illos, qui cordis ſui felle & amarulentia guſtum ac judicium perdiderunt, & DEUM ſua gloria, nos vero ſenſibus noſtris orbare volunt, affirmando ſtatum noſtrum eſſe miſerabilem atque plenum indiciis iræ & indignationis Divinæ, reprehendere paululum.

Si igitur verum eſt: *Nemo eſt miſer aut felix niſi comparatus.* Atque (ut intra inſulam noſtram nos contineamus) retroſpicimus ad priſtinum ævum; vel hac ipſa ætate alias in Europa Reſpubl. contemplamur; reperiemus, nos haud coactum iri cedere felicitati vel Anteceſſorum noſtrorum vel vicinorum. Si enim quis omnes Reipubl. partes ponderet, Religionem, Leges, Juſtitiæ adminiſtrationem, Regimen, Mores, Urbanitatem, Eruditionem & liberales Scientias, induſtriam atque opificia, arma & belli apparatum, tum maritimi, tum terreſtris, Theſauros, mercaturam, agriculturam, incolarum frequentiam, honorem & exiſtimationem: apparebit quod his omnibus junctim acceptis, nunquam gens hæc in majori flore conſtituta fuerit.

Facile in memoriam revocari poſſunt Angliæ Reges, olim maxima felicitate fruentes, præter

præter Reginæ Patrem & Avum, qui felicissimo usi imperio, in recenti adhuc permanent memoria. Sunt autem *Henricus I. II. & III. Eduardus I. III. & Henricus V.* Omnes fuerunt principes regiis præditi virtutibus, admodum felices & perennis Famæ. Vere autem affirmari potest, nihil his Regibus dictis derogando, quod quidcunque tandem in libellis istiusmodi narretur, non vero in Chronicis Anglicanis, nunquam Rex, rebus omnibus in unum collectis, tanta cum felicitate regnaverit, quanta Regina imperavit. Nam ex tribus istis *Henricis*, *Primus* nimium cito post insulæ debellationem imperare cœpit, *alter* nimium cito post usurpationem: & *tertius* nimium cito post confœderationem seu bellum Baronum; adeo ut vix potuerint securi & contenti regnare: *Henricus* etiam *Primus* inhonestum gessit bellum cum fratre suo *Roberto*, in quo multi Nobilium cæsi: tædiosa cum *Wallis* gessit bella, neque omnino liber fuit à seditionibus & molestiis ut magnæ Prælatorum disceptationes docent. *Henrici Secundi* felicitas vehementer interrupta est Filii ejus rebellione & aliorum liberorum, postquam illum regni fecisset consortem. *Henricus Tertius* præter continua cum *Wallis* bella post quadraginta quatuor annorum regnum, variis motibus intricatus fuit à Baronibus suis, ut videre est ex vesano illo Parlamento Oxon*iæ* convocato, actisque seu decretis ibi cusis. Filius ejus *Eduardus Primus* magis floruit, quam qui ipsum præcesserunt. Regnum capessivit ætate maturus & magna

 cum

cum existimatione ob expeditionem in Palæstinam: amabatur etiam vehementer & morigeris imperabat subditis; bella magno cum judicio gerebat: *Walliæ* incolas subactos ad certa admisit fœdera, & prope abfuit quin Scotiam uniret. Veruntamen existimo majorem deberi honorem Reginæ, quod tam grandem Scotiæ portionem in manu sua habens, tanta dimiserit justitia, quam Regi isti tribueretur dignissimo, si tam prorupte hanc subegisset gentem. *Eduardi Tertii* imperium multis morbis atque cladibus fuit affectum, ita ut tres ipsius ætate sive clades sive pestes numerentur; prima anno 22. secunda 32. & tertia anno 43. regni ipsius. Et licet alias frequens extiterit victor, vixeritque feliciter, harum una calamitate magis afflictus est, quam aliis prosperitatibus suis exhilaratus fuit.

Præterea difficulter orsus est imperium & deinde juxta versum, *cedebant ultima primis*. Nec tam felix fuit exitus ipsius. *Henrici* autem *Quinti* regnum ut mirè fortunatũ fuit, ita diuturnum non fuit: obiit enim post decimum in regno annum, in primo fortunæ suæ flore.

Jam vero circa Reginam omnium primo considerare libet prosperitatis ejus diuturnitatem, utpote qua caruerunt reges isti. Est autem non solum favor DEI in principem, verum etiam beneficium in subditos. Nam illud Scripturæ dictum: *Misera natio, cum multi sunt principes ejus*: non solum explicatur de divisionibus multis, verum etiam de mutationibus

tationibus in ſucceſſione frequentibus: quoniam mutationes ejusmodi maximæ ſubditorum parti ob expenſas varias acerbæ ſunt, & ingratæ. Apparet igitur, quod in ſerie quadringentorum & octoginta annorum, in quibus viginti duo regnaverunt reges, Regina jam ſedecim ex his 22. DEO ipſius prolongante vitam ſuperaverit: atque cum hujus anni exitu (quem felicem eſſe Deus jubeat) duos pariter æquatura ſit. Interea ipſa regnante quatuor deceſſerunt Imperatores, totidem Galliarum Reges, bis quatuor Romani Epiſcopi, imò unaquæque inter Chriſtianas Respubl. præter Hiſpaniam, ſuas paſſa eſt vices. Rex autem Hiſpaniæ adeo infirmus ſenio factus eſt & ſeceſſit, ut de morte ipſius rumor quovis tempore novellarum ſit materies. Regina v. (gratiæ ſint DEO) nullam ſanitatis aut virium imminutionem paſſa, nunquam magis apta fuit ad ſuſtinendum negotiorum ſuorum pondus; atque, quantum ipſius regiam Majeſtatem decet, continuo videri poteſt, ad ingentem conſolationem animique voluptatem ſubditorum ſuorum.

Secundo incolumitatem conſideremus totius populi, qua ſub illo caruit Rege, qui alias ſecundus inter felices numerandus fuiſſet. Eſt autem ea benedictionum divinarum apud unamquamque gentem, maxima. Tria ſiquidem ſunt flagella DEI: bellum, fames, peſtis: & Tria è regione bona, pax, victûs abundantia & ſanitas. Uti igitur regnum hoc variæ olim afflixerunt peſtes, (ut

 ſudores

ſudores & contagia) ita fatendum quidem, Regina imperante, ab initio exſeruiſſe ſe morbos quosdam peſtiferos intra Junium & Februarium menſes, verum in metropoli tantum, nec ad omnes ſe diffudiſſe regni angulos. Et licet magna appelletur peſtis, non tamen æquat illas, quæ ſæpius diu ſævierunt, ſed gerit tantum nomen hoc reſpectu incolumitatis, qua utimur hactenus, hæcque tam continua fuit (præſertim hiſce diebus) ut inciperemus diſputare, quibusnam cauſis adſcribenda foret; donec DEO placuit docere nos, unicè miſericordiæ ejus aſſerendam eſſe; ſiquidem nos hoc præſenti anno tetigit manu ſua, ſed admodum *leniter*, & jam removit à nobis *eandem*. Sed certum eſt tot annis continuis non obſtante turba in ædibus ſuis decumbente, peregrinorum multitudine & variis in mari navigationibus (quæ ſingula peſtem cauſantur) valetudinem populi in genere nunquam tam firmam fuiſſe.

Tertium bonum, quo omnes felices & prudentes priſtini reges caruerunt, eſt Pax. Non enim aliquis extraneus imperante Regina aut invaſione aut momentanea incurſione pedem in hoc fixit regno. Unica tantum rebellio extitit, & talis quidem, quæ intra ſeptem reprimeretur hebdomadas, neque in tantum vaſtavit regnum, quantum vel unius deſtructio oppidi cauſatur. Bella vero externa ſi annumeremus Leethenſe & novi-Portus, ſecundam in Scotiam expeditionem, cum Hiſpania bellum, quod ab anno 86. aut 87. computo,

computo, (ante quod tempus neque Hispaniæ Rex legatum suum, hic residentem, avocaverat, neque Regina in protectionem suam receperat Belgium fœderatum) & subsidia Gallis missa non insumserunt tertiam temporis, quo Regina regnavit, partem: Neque duabus exceptis aliquam nobilem peremerunt familiam, ex quibus alteram Gallia, Belgium altera absumsit, & pauci præterea vel genere vel fortuna insignes perierunt: Vix incolarum nimietatem sustulerunt. Verum igitur est, Reges supra dictos aliosque Reginæ prædecessores fuisse victores in bellis suis; variasque insignes & memoria dignas expeditiones peregrinationesque fecisse in diversas orbis partes, & Reginam ex adversa parte mox ab initio firmiter sibi proposuisse, se contentam intra dominii sui limites vivere velle, atque pacem cum vicinis colere Principibus; quam sententiam quoque hucusque (non obstantibus opportunitatibus commodissimis, titulis justissimis & prætextibus, magnis quoque & potentibus mediis) manu tenere volupe ipsi fuit. Verum si objiciatur hanc minus honoratam esse fortunam, respondeo, quod semper etiam apud gentiles, qui tanti non æstimarunt sanguinem, quanti Christiani æstimare debent, tam vehementer *Augusti Cæsaris* tranquillum Imperium fuerit deprædicatum, quam *Julii Cæsaris* victoriæ: & quod titulus *Pater Patriæ* æque fuerit insignis ac *Propagator Imperii.* Hocque porro addo, quod durante tot annorum interna pace, in bellis his nunc di-

ctis, qua Regina, vel ad sui defensionem, vel ad justam & honestam opem ferendam gessit, expeditio nunquam talis fuerit, quæ ostenderet, milites hic longo pacis tempore degenerasse; verum quæ omnimodè antiquam Anglorum in bellis gloriam demonstraret.

Quartum bonum est Copia victus seu abundantia. Et primo quidem quoad frumentum, non potest evidentius argumentum proferri quam hoc: Cum Anglia soleret ex aliis regionibus, orientalibus præcipue victitare, nunc sibi & aliis sufficientia alimenta præbet: Sæpius etiam exteris transmittimus, *neque* tamen unquam tantus in regno *fuit populi* numerus, quam nunc, ad ea ipsa hic consumenda. Aliud argumentum esse potest, quod frumenti præstantia, & aliqualis ejusdem concessa venditio, hisce diebus invitarint excitarintque homines ad magis sollicitandam terram, & novam aratro sulcandam, quod antehac nullis pœnis mulctisve poterat impetrari ab agricolis. Tertium argumentum; frumenti alimentorumque pretia nunquam antehac fuisse æquiora. Jam vero quoad divitias quocunque respectu, consideremus sequentia.

Nunquam tantus fuit numerus pulchrarum & magnificarum ædium, quam nunc, incipiente Reginæ regno, exstructæ sunt, penitus novæ: adeo ut in districtu non admodum magno, numerentur triginta tres, omnino integræ nunc ædificatæ, & quarum

minimæ

minimæ plus, quam bis mille, insumptæ sunt libræ.

Nunquam tot amænos vidimus hortos, pomaria, ambulacra, stagna, vivaria, qualia nunc ferè unamquamque nobilem domum exornant.

Nunquam tot fuerunt illustres & pretiosi tumuli ac monumenta in diversis Ecclesiis in perpetuam defunctorum memoriam gloriamque erecti.

Nunquam tantum argenti, gemmarum aliarumque pretiosarum rerum & suppellectilis in regno extitit.

Nunquam tantum terræ incultæ & desertæ agricolæ sollicitaverunt, domarunt & mansuefecerunt.

Nunquam tam diligens exercita fuit agricultura, uti nunc omnis generis fundos sepiendo, stercorando, aliisque frugalis agriculturæ operis.

Nunquam felicius urbes repletæ fuerunt ædificiis & incolis: neque primariæ nundinæ unquam melius frequentatæ.

Nunquam tam commodè & facilè rivi in novum deducti sunt alveum, tum ob Pharos exstructos, tum ob aquam hinc inde ductam.

Nunquam tot artifices clarissimi neque opifices extiterunt, neque tot novæ in regno merces, ut zacharum, papyrus, vitrum, cuprum, sericum varium & similia.

Nunquam tantus equorum numerus, tantus armorum & legum bellicarum apparatus.

Quinta benedictio est, maxima familiarum multitudo durante Reginæ regno admodum auctarum: ut probant Edicta publica circa Londinensium ædificationes: inhibitiones inquilinorum apud civitates diversas: limitatio casarum per Parlamenti decretum: aliaque nimietatis incolarum indicia.

Præter ista regiminis à DEO benedicti effecta, in quibus populi conditio felicior fuit, regnante Regina, quam regnantibus Prædecessoribus ejus, sunt & alia, de quibus non dico, quod iis usi fuerimus ampliori gradu & proportione, quam priscis temporibus (ut in istis accidit nunc recensitis) sed sunt ejusmodi, quæ quoad substantiam ignota fuerunt hactenus. Ex his primo est Religionis puritas, beneficium inæstimabile, illisque superiorum principum, usque ad Reginæ Patris glor. mem. tempora, inauditum. Ex hac religionis puritate hactenus præter primarios veræ notitiæ & cultus divini effectus, hæc alia magni in republica momenti fluxerunt.

Primo ingentium opum intra regnum detentio, quæ olim Romam delatæ fuerunt. *Deinde* dispersio & distributio illorum redituum (tertiam eorum partem constituentium, qui ex universo colliguntur regno) quique optimi ditissimique sunt generis, & inutiliter dilapidati fuerunt in monasteriis, atque in ejusmodi manus traditi sunt, à quibus regnum nunc robur atque ministeria lucratur, multæque magnæ ædes exstructæ sunt

ſunt atque reparatæ. *Denique* reſtitutio atque redintegratio dignitatis Regiæ, liberatio à Superioritate extera. Quæ ſingula cœpta quidem à Reginæ Patre, continuata etiam ab ejusdem Fratre, nihilominus quaſi poſt Eclipſin reſtaurata atque ſtabilita fuerunt in Regina.

Secundò. Monetæ puritas: Nam ſicuti ſecernendo à religione inquinamenta, cœleſtis theſaurus communis fuit Reginæ & Patri & Fratri. Ita removendo monetam vilem, theſaurus terreſtris unice pertinet ad Regnæ tempora. Quare moneta noſtra valori, quem præ ſe fert, reſpondens, unumquemque opum ſuarum certum facit, atque à fraudibus damnisque immunem, quæ aliis in locis ſubditos vexant, nunc augendo, nunc minuendo monetæ pretia.

Tertio. Navalis potentiæ & navigationis incrementum; quæ publicis conſtitutionibus ad promovendam piſcaturam; ut & incitamentis atque adminiculis illorum, qui novas terras detegunt & mercaturam in mari exercent, in tantum excrevit, ut Inſula hæc (prout ſitus ejus meretur) Domina maris facta ſit.

Jam in Comparatione temporum, ad locorum comparationem tranſibimus: invenie- musque apud exteros respubl. quasdam, requirentes miſericordiam noſtram, nullam autem cui invidere, ſeu quam æmulari queamus. Conditio enim noſtra, benignitate divina, nulli eſt inferior.

Galliæ regnum, quod ratione Sedis imperialis

rialis in occidente, reliqua Europæ regna præcessit, ad eas nunc devenit calamitates, ut juxta Prophetæ verba, *in planta pedis usque ad verticem, non sit in eo sanitas.* Divisiones tam multæ sunt & intricatæ Protestantium & Catholicorum, Regiorum & Ligistarum, Bourboniorum & Lovainistarum, Patriotarum & Hispanorum: ut videatur, Deum magna in gentem istam machinari. Imo separata est nobilitas à tertio statu, & Civitates à provinciis; & singulæ calamitates, ut verum loquar, videntur ab Hispania & Hispanorum factione ortum cœpisse.

Belgii Provinciæ, quæ intra juvenis ætatem & ditissimæ & incolis refertissimæ & elegantissimis ædificiis ornatissimæ in Europa fuerunt, in ejusmodi nunc versantur statu, in quo solet regio, quæ triginta annis belli fuit sedes. Et quamvis mari adjacentes provinciæ cito per navigationes ditantur, attamen non nisi lugere nunc possunt, ob præsentem suam à reliquo suo corpore divisionem.

Portugalliæ Regnum, quod hisce temporibus per mercaturam suam atque in India Orientali territoria ad immensas excrevit opes, nunc tandem post infelicem in Africam expeditionem in eum devenit statum, ac si esset regio ab extraneo subacta, & quidem ab ejusmodi extraneo, qui titulum sibi vendicat, tanquam Portugallus natus; & quoniam aliquando in possessione fuit, æmulatio ejus necessariò increscit; per ipsius vero æmulationem etiam regni oppressio, quod apparet ex migratione multarum nobilium familiarum

rum

rum ex natali suo solo, exilium libere ingredientium. Hæ tres sunt Christianismi partes afflictæ: reliquæ vel gaudent prospera vel mediocri conditione.

Regnum Scotiæ, quamvis nunc prudenter imperante rege pace fruatur, attamen inde à pace nostra sensit calamitates non exiguas, & plenum est fervidis turgidisque animis; verisimile tamen est; quod rege dicto senescente, reprimentur.

Regnum Poloniæ nuper demum ex magnis circa electionem bellis convaluit. Et quoniam est electivum, extraneumque potius, quam indigenam eligit, florere raro potest.

Sueciæ Regnum præter externa cum consanguineis suis Moscovitis & Danis bella, multis etiam tumultibus intestinis, mutationibusque, ut Historiæ testantur, fuit obnoxium.

Daniæ Regnum tranquilla vidit tempora, præsertim bene regnante rege nuper defuncto, qui Evangelium amplexus est: in multis tamen cedit Angliæ, ceu climate, opibus, fertilitate, aliisque tum honorem, tum robur concernentibus.

Italiæ Principatus; qui Hispaniæ non parent, tamdiu ac nos pace gavisi sunt; si excipiamus illud, quod cum Turcis ipsis intercessit; inque eorum cessit honorem atque commendationem. Veruntamen adeo frænantur atque terrentur ab Hispano, primaria duo ipsorum membra possidente, & quidem in duabus extremis partibus, ut similes sint illi, qui terræ portionem possidet,

inter potentes vicinos: tranquillitas eorum non solum æmulatione mixta, verum etiam limitatione restricta est.

Status Germaniæ ut plurimum pace usi sunt. Cedunt tamen Angliæ, non tantum ob honorem regiæ dignitatis (ipsi enim inferioris gradus sunt) verum etiam ob alias considerationes tum opum & Politiæ.

Sabaudiæ Ducatus sub priscis Ducibus in prosperitate vivens, deinde non obstante cum Hispania fœdere, cujus intuitu insolenter aliquam Galliæ partem occupare satagit, sed turpiter à Genevensi obsidione repulsus est, sæpè afflictus fuit à privato Delphinatûs Nobile: Et usque in hunc diem Sabaudiæ Dux in Pedemontio ejusdem inimici sentit molestias, qui nuper conclusit se Sabaudiam inter & Pedemontium.

Adeoque manifestum est, nos æque ac alias nationes, devinctos esse misericordiæ Dei: præsertim si consideremus, quod dissensionum & oppressionum flammæ in aliis Christianitatis partibus vice luminum esse possint, quæ nostram nobis ostendant felicitatem: & quod felix aliarum status, de quo ipsis congratulamur, ejusmodi tamen sit, qui non contaminet, neque excedat nostrum, sed potius aliquid relinquat, in quo ordinariam Dei benedictionem agnoscere possimus.

Tandem non invidemus Hispanis magnitudinem & gloriam suam, qui non solum excluserunt religionis puritatem, verum etiam muniverunt se adversus eandem, Inquisi-

quisitione adinventa: hæc enim est propugnaculum veritatem arcens divinam. Acquisiverunt quidem Portugalliam, sed magnam antiqui sui patrimonii partem in Belgio amiserunt: (unde majora ipsis commoda & robur) vel minimum ex parte id possident, ita ut maxima propriarum opum pars illic insumatur: Difficulter nuper leniverunt potius & suppresserunt, quam sanarunt & composuerunt in Arragonia motus. In Gallia seminarunt potius turbas, quam messuerunt fruges certas. Ex Anglia tentatâ, inglorius ipsos manet contemptus. Italiæ Statibus potius sui suspicionem, quam amorem aut timorem ingessit. In Germania & alibi multa quidem audet Hispanus, ast vera non gaudet amicitia: non enim tam claram successionem ostendere potest, ut aliis nationibus incertitudinem ejus objicere possit: & tandem acquisivit famam ambitionis potius quam justitiæ: & in prosequenda ambitione sua plus ostendit temeritatis, quam fortunati successus, inque temeritate sua plura opibus & expensis præstitit, quam fortitudine & robore.

Postquam igitur Lectori Angliam respectu & in comparatione pristinorum temporum, statuumque exterorum exhibui, descendam quoque ad libelli hujus famosi proprias divisiones: & apparebit vel ipso mundo judice, quam facile & pure atramentum hoc, quo faciem conspersit nostram, abluetur.

Prima calamitas, qua dicit Angliam affligi, est magna miraque confusio in Statu, ut ait,

ait, Ecclesiastico: & hæc in duas subdividitur partes; quarum prior est persecutio Catholicorum: posterior, divisiones & lites inter nos ipsos. De illa in specie tractavi, & claram ingenuamque contexui narrationem, reipublicæ procedendi modum adversus hujus generis subditos exhibentem: hic obiter addo, duo in republ. esse circa causas fidei & Religionis extrema, seu permissionem plurium religionum exercendarum: alterum est periculosa earundem tolerantia & indultus: alterum, conscientiarum humanarum coactio & in eas imperium, quando nullum apertum dant scandalum, quod rigorosa & violenta est inquisitio. Assero autem procedendi methodum adversus Catholicos ita dictos, fuisse ejusmodi, quæ intra hæc duo extrema constiterit. Demonstrationem vero asserti ad prædictam & hic subsequentem differo tractationem.

De Ecclesiæ nostræ divisionibus Autor affirmat, Protestantium Calvinismum (sic enim ipsi lubet bona cum gratia nominare religionem legibus apud nos stabilitam) contemptibilem redditum esse atque suspectum Idololatriæ, hæreseos, variorumque superstitiosorum abusuum à purificatis quibusdam professoribus ejusdem Evangelii. Et hanc contentionem adhuc magis intricatam fieri à tertio quodam Evangelicorum genere, quod *Brounistas* appellant: qui magno Spiritus impuri fervore agitati, expressè docent Protestantium in Anglia Ecclesiam non collectam esse in nomine Christi, sed

An-

Antichristi: & populum posse, si Princeps vel Magistratus nolit aut differat ejus reformationem, absque ipsius consensu eandem suscipere. His addit fanatica *Hacketi* gesta. Et hæc est summa accusationis ejus in hoc membro.

Respondeo primo, Ecclesiam DEI omni tempore contentionibus schismatibusque divexatam fuisse. Zizania sparsa non fuerunt, nisi post triticum prius seminatum. Christus Servator noster dicit malum esse indicium externam pacem, ait enim: *Cum fortis armatus custodit atrium suum* (Diabolum intelligit) *in pace sunt ea, quæ possidet*. Ecclesiæ conditio est, frequentia subire examina: quæ duo sunt, persecutionis & scandali seu contentionis: & cessante uno succedit alterum. Imo vix una Epistolarum Paulinarum ad Ecclesias sine reprehensione non necessariarum & Schismaticarum controversiarum, legitur. Sic etiam imperante *Constantino Magno*, postquam pacem Ecclesia nacta fuisset & persecutiones cessassent, illico quæstiones & Controversiæ, non nisi de essentialibus fidei partibus & sublimibus Trinitatis mysteriis, ortæ sunt: Sed ratio docet in ignorantia & fide implicita facilem esse consensum, ita scilicet, ut in tenebris nulla est colorum diversitas. Si regio aliquo in Atheismum propendeat; raræ agitantur quæstiones; fastidio enim homines habent religionem atque vix dignam putant, cujus gratia disceptatio instituatur: adeoque infirma est Theologia, quæ controversias, malum esse

in Ecclesia signum, statuit.

Verum est, homines quosdam inconsiderata omnium ceremoniarum & ordinis, quæ apud Ecclesiam Romanam fuerunt in usu, detestatione commotos, (ac si omnia pariter superstitiosa & polluta essent) atque studiosa imitatione regiminis in Ecclesiis Protestantium exteris, allaborasse & Scriptis & Concionibus indiscretè, aliquando etiam indebitè, ut mutationem in externos Ecclesiæ ritus atque politiam subintroducerent. Neutra tamen pars hujus controversiæ fundamenta circa fidem versari docuit. Neque controversiarum continuatio invaluit generaliter, neque earum tractatio excessit naturam levis contemtus, ita ut procul abfuerint ab hæresi & seditione. Ideoque plus tantum offensionis, quam periculi crearunt Reipubl. vel Ecclesiæ.

Brounistæ vero qui, cum florerent maximè, pauci fuerunt stupidi vilesque homunciones hinc inde dispersi; nunc autem (DEO gratia) bonis remediis extincti sunt, ita ut nequicquam de iis audiatur. Neque unquam fuissent cogniti, nisi *Brounius* ipsorum primipulus libellum scripsisset famosum (à multis lectum) in quo, pro modulo suo magis invectus est in Logicam & Rhetoricam, quam Rempubl. seu Ecclesiam: ac nisi *Barrovius* (nobilis ex illustri familia oriundus, sed Londini inter plebejos vivens, atque inter mensalia colloquia controvertendi artem discens, ideoque tum in civitate, tum extra eam inclarescens) saltum fecisset à varia

diss-

diſſolutaque juventute ad præcipitatem in ſummo gradu; (nam hæc admiranda mutatio effecit, ut multi de ipſo loquerentur) ſecta iſta evanuiſſet dudum. Hic autem integritatem atque modeſtiam Autoris obſervo, vix alibi deprehendendam: Non imputat nobis *Familiſtarum* ſectam. Nam ante annos duodecim irrepſit in regnum hoc grandis quædam hæreſis, apud Germanos orta, & ut dictum eſt, vocitata: Sed benigno DEI favore & Eccleſiæ noſtræ robore eradicata eſt & extincta. Videmus itaque morbos, quos Eccleſia noſtra ſenſit, quodcunque tandem homines iſti garriunt, vel malignos non extitiſſe ſeu exitioſos non fuiſſe: vel ulcera fuiſſe in exigua ignobilique quadam corporis parte, mox ſanata atque ſublata. Talis etiam fuit phreneticus & fantaſticus (nam decidere nolo quæſtionem) *Hacketi* conatus: nam omnino pro exitioſo habendus eſt hæretico, qui plures duobus diſcipulos non acquiſivit, eoſque in ſuo ipſorum cerebro pereuntes: & pro violento rebelle, qui in tam magna frequentique civitate, qualis Londinum eſt, non niſi hos ipſos duos ſibi aſſociare potuit, à plebe magis deriſos, quam quid dicerent aut facerent, obſervatos: Verum itaque fuit, quod pia, aſt pauper dixit fœmina, ex feneſtrâ cernens *Hacketum* ad mortem rapi infamem: *Prædictum eſt, quod in noviſſimis diebus venturi ſint multos decipientes; Tu autem miſer paucos ſeduxiſti.*

Deinde manifeſtæ veritati adverſatur, quod Autor dicit, nullam ſubiiſſe pœnam,

qui aliqua ratione modo dicta, leges transgressi sunt, atque Rempubl. Ecclesiamque turbarunt; gladii vero aciem in Romano-Catholicos solum vibratam fuisse. Exempla enim prostant plurima, in quibus videre est, non neglectam, sed inflictam fuisse pœnam juxta naturam & gradus offensionis.

Et istæ sunt confusiones illæ magnæ, de quibus nostram accusavit Autor Ecclesiam; & quas à partibus alienò sapientique Lectori offero, ut judicet, quam veræ sint. Intentio mea non est, dealbare aut excusare aliquem Ecclesiæ nostræ errorem; neque ex altera parte recensere, quam eleganter floreat in magnis eruditisque Theologis; aut quam laboriosa sit & excellat in Concionatoribus. Suscipiant homines culpam illius, quod malè fit, Deum verò decet gloria ejus, quod bonum est. Et tantum de calamitate prima.

Circa *Calamitatem secundam* grandia loquitur de robore atque multitudine inimicorum regni hujus; declarando, quam malis conditionibus atque amicitiis cum exteris vivamus, & quam destituti simus amicis atque confœderatis: & subdubitans, quomodo hæc sua de calamitatibus nostris præsentibus assertio possit probari, conatur ad minimum demonstrare, quod prosperitas, qua fruimur, amarulenta sit reddita per terrores varios & metus. Hinc descendens ad considerationem securitatis, in qua non ingenio nostro, sed benigna DEI vivimus

pro-

providentia; video ejusmodi esse securitatem, de qua *Iphicrates Atheniensis ad Spartanos*, pacis tractandæ gratia missus, audiensque ex altera parte, multas securitatis conditiones proponi, dixit, ipsos interpellando: *Unicam tantum esse securitatis, cui Athenienses acquiescere possent, rationem: scilicet, si Lacedæmoniorum Legati manifestè declarare possent, quod his & illis omnibus dimissis Lacedæmonii imposterum sibi nocere minimè possent, etsi vellent.* Ita nobiscum res se habet. Sicuti enim nullius odium reipublicæ provocavimus, ita nunc non video, quænam possit nocere nobis, quamvis vellet.

An vero justam belli causam præbuerimus in articulo quarto disquirendum veniet; ubi de veris causis, quæ tranquillitatem inter Christianos interruperunt, differemus; in quantum decet tam excelsæ Principis actiones vindicare occasione tam levi, qualis hoc in libello traditur. Sed jam quod robur & exercitus cujuscunque hostis attinet, reperio Angliam aliquando torvo aspexisse oculo Galliæ cum Scotiæ confœderationes; hac in eodem continente nobiscum sita, atque gignente militem robustum & audacem, haud multum nostro dissimilem: illa valde divite existente, ideoque idonea ad gerenda bella, quamvis admodum sumptuosa; illustres præterea nobiles alente, nobisque vicina. Nihilominus ex fœderibus istis nulla alicujus momenti offensa provenit. Nam Scotia Gallus magis usus est, ut diverteret Anglos se invadentes, quam ut inde commodè

modò Angliam invadere vellet. Largior quoque, Hispaniam in se unitam & Galliam pariter integram, si fœdera pepigissent, potuisse nobis esse terrori. Jam vero evidens est, ejusmodi in Gallia esse Statum, qui talem confœderationem reddat impossibilem. Restat igitur ut Hispania cum Scotia, vel Hispania sola nos bello aggrediatur. Verum Scotia (DEO sit laus) adeo suaviter nobis adhæret, & Principes inter se vivunt, religionis consensu, sanguinis affinitate & continuis amicitiæ officiis connectuntur, ut ipse Hispanus in conspiratione sua putaverit, facilius mutari subvertique præsentem Scotiæ Statum posse, quam ab Angliæ amicitia retrahi. Hispaniam igitur solam timebimus, quæ ob ampla sua dominia possit nobis videri superior. Verum hoc in mentem mihi revocat antiqui Physici similitudinem, qui cupiens persuadere medico, ne dubitet aliquando purgantia propinare ægro, quamvis admodum sit infirmus, distinguit infirmitatem in eam, quæ est animi & corporis: harum posteriorem comparat homini, alias robusto, sed magnam ferenti sarcinam & quidem se duplo majorem, ideoque vel digito in terram sterni apto. Hæc similitudo & distinctio aptè ad Statum applicari potest politicum: nam aliæ respubl. debiles sunt ob mediorum defectum, aliæ vero ob oneris excessum. Huc refero Hispaniam, quæ sui ipsius mensuram excedens, & minus ferax militum regio existens, admodum etiam decrescens, imo incolis orbata, coloniis in

Indiam

Indiam missis, bellisque continuis, & quoad divitias seu thesauros, ære alieno obstricta jam illo tempore, quo in Gallia quicquam ausa est (ideoque multo magis posthac) vix hostis est timenda genti optimè sitæ, numerosæ, instructæ & gubernatæ, qualis est Anglicana.

Neque hoc ex conjectura loquor sed experientia, quæ nupero Hispanorum adversus Angliam ausu sat manifesta est, inque recenti hæret memoria: illo enim tempore omnes illæ optimæ naves, in hac expeditione perditæ, erant adhuc integræ: illo tempore omnes in Belgio exercitus, nunc ad quartam usque partem deleti, erant pleni atque integri: illo tempore non innexi detinebantur Galliæ motibus, sed subsidia potius quam impedimenta inde ab amicis suis expectare poterant, præsertim cum adhuc vigeret fœdus illud, Duce Guisio vivente: & nihilominus magnus hic ad bellum apparatus tanquam somnium evanuit. Invincibilis illa classis 1588.
neque lintrem nobis abstulit neque in terram ascendere ausi sunt milites, sed postquam apprime fuerunt profligati atque fugati in septentrionalem Oceanum exspatiati sunt ingentium suarum navium naufragiis littora varia clara reddentes, & denique revertentes domum majori cum derisione, quam exiverant cum expectatione.

Non igitur opus habebimus confœderationibus multis aut auxiliis (quæ deesse nobis putat ad resistendum invasioni Hispanicæ.) Imò licet Hispanus in Britannia pedem figeret

ret & Gallos supplantaret, atque portus quosdam ibi occuparet (à quo tamen adhuc procul abest) attamen nunquam tam aptus erit ad opportune nobis nocendum, quam si Belgium retinuisset: nos vero ipsum timebimus sub forma litigiosi vicini, qui subinde lædere poterit errantes quasdam nostrorum naviculas, non vero sub forma invasoris. Quod vero attinet confœderationes, largitus est nobis DEUS tum media, tum mentem, aliis ad succurrendum. Fœdera igitur nostra sunt potius honoris quam indigentiæ ex parte nostra. Et tamen Apostatæ Hugonottæque in Gallia ex una parte (ita appellat universos Galliæ nobiles, quorum magna pars ejusdem cum ipso confessionis est, manifestum & irreprehensibile legitimi Regis sui jus contra seditiosam plebem defendens) & *Zytopæji cum †cophinariis in Hollandia & Zelandia (ut ipsi appellare eos lubet) ex altera parte, omnes fere inter se deleverunt Ducis Parmensis exercitus. Existimo etiam quod in Indiam expeditiones desinent, aut certe alterum deficiet, recuperato alio.

Porro nec meliores desideramus confœderationes & pacta quam ipsi Hispani nobis præpararunt. *Non enim verbis fœdera confirmantur, sed iisdem utilitatibus.* Novimus quam multis regnis exosus atque suspectus sit Hispaniarum Rex: nos vero nullius iram, illud injuria afficiendo, in nos concitavimus, neque invidiam ambitione nostra: quod juxta Politicæ regulas, firmissimos constituit contractus.

* Zythopæg v. zythopepta. een Bierbrouwer. Et
zythg v. zythum. potg ex fruge, iby.
ophin9. sporta, corbis.

Et hæc sufficiant responsioni ad objectionem, de multis inimicis exteris, ubi tamen mens mea non est felicitatem nostram prudentiæ nostræ politicæ asserere, vel tumidam in nobis alere securitatem. Sed spero nos juxta in DEUM fiduciam, vigiles fore: & tum apparebit, quem finem fictitii tumultus isti sortientur.

In tertio de Angliæ calamitatibus membro, Prophetam agit, uti in reliquis poëtam egit, & magno conatu vult prædicere ingentes turbas, in quas Regnum hoc post Reginæ obitum ruet. Ac si is qui insigni mentiendi dono, quoad præsentia & præterita, præditus est, nihilominus extraordinario dono annunciandæ veritatis circa futura instructus sit: vel ac si Pontificalium maledictionum in Anglos effectus, mutato in melius consilio ad illos dilatus sit dies. Verum quidem est, ingentem fore miseriam (quandocunque id tandem fiet) ejusmodi orbari Regina: sed hoc in casu acquiescere nos decet, benignæ DEI voluntati. Est igitur iniqua Autoris accusatio, cum id quod Reipublicæ accidit, vitium in regimine esse dicit.

Placet DEO, vel ea de causa, ut homines ex se pendeant, aliquando eo magis celare ipsos claram futurorum cognitionem, atque sinere ut persuadeant sibi admodum incerta esse, quæ tamen certa & manifesta in fine cognoscuntur: Et aliquando ex altera parte hominum spem irritam reddere, atque difficultatibus magnis illud obruere, quod sibi tanquam facillimum & certissi-

mum imaginati fuerant. Neque novum eſt, ſucceſſionis in Monarchias jura, nunc magis, nunc minus, nota eſſe.

Rex Portugalliæ *Sebaſtianus* ante expeditionem ſuam in Africam nullum declaravit ſucceſſorem. Cardinalis, quamvis admodum ſenex eſſet, à Rege etiam Hiſpaniæ vehementer ſolicitaretur, beneque noſſet ſex vel ſeptem competitores, nihilominus ſtabilivit potius, neſcio quod interimiſticum regnum, quam ut decidere vellet ſucceſſionum titulos, aut certum deſignare ſucceſſorem. *Ferrariæ Ducatus* poſt obitum Ducis nunc viventis, certo deſtituitur ſucceſſore: neque Scotiæ regnum ſucceſſorem declaravit. Imo in hæreditariis regnis raro ſolet vel Statuum decreto, vel recognitione aliqua, vel populi juramento ex collaterali linea, denominari ſucceſſor. *Aurelianenſis Dux Carolo VIII.* in Gallia ſucceſſit, quamvis iſto regnante, ſucceſſor deſignatus non eſſet. *Dominus Inculismenſis* huic quoque ſucceſſit, ſed abſque deſignatione. Ipſi regum filii ſæpenumero ardore regnandi, & accelerandi tempus ſuum, parentibus ipſis fiunt exitioſi: quanto magis Patrueles aliquantum remotiores? Licitum ſine dubio eſt & honeſtum, ſi caſus requirat, cum Principes certum quid decernunt: Sed ut dixi, raro id in collaterali linea factum.

Trajanus Imperatorum, qui apud gentiles fuerunt, optimus, illo tempore, quo Cæſares deſignarent ſucceſſores ſuos, non adeo ut ſucceſſionum incertitudinem evitarent, quam

quam ut curarum Participes impræsentiarum haberent; vastum enim & ingens eorum erat imperium; quo tempore etiam adoptiones in usu erant, ipseque adoptatus esset, nullatenus tamen successorem designavit, sed Testamento scripsit; quod & ipsum suppositum fuisse creditur ab uxore ejus *Plotina* in favorem Amasii sui *Adriani*.

De hoc certi esse possumus, quod nihil in *præjudicium juris factum sit*; Unicum *vero* tantum jus esse potest. Hoc autem mihi persuadeo, quod nullus Hispaniarum Rex, neque Romanus Episcopus arbiter erit, aut beneficiarium seu feudatarium Regem, prout intenderunt quidem, in thronum collocabunt, vel adhuc vivente Scotiæ Regina, cujus fautores ac promotores se exhibuerunt. Nec retorquebo successionis materiam in Hispaniarum Regem, sed ea utar modestia atque reverentia, quæ Majestatem decet tanti Regis, quamvis inimici. Et tantum de membro tertio.

Calamitatem quartam dicit esse Nobilium ruinam & populi oppressionem. Quanquam autem verbis his possit fortunam exterorum ignorantiæ illudere; attamen Anglo, vel alii, cui præsens Angliæ Status cognitus est, videbitur nimium temerarius & dignus, cui quodcunque defendendum tradatur paradoxum. Et certe si velit necessario statum Angliæ in genere nunc esse deformem, debuisset potius, si prudenter agere voluisset, monastica declamandi methodo adversus divitiarum excessum & delitias ævi hujus invehi,

quam urgere miseriam, paupertatem & devastationem terræ, ut sufficienter ex dictis apparet.

Veruntamen vestigiis hujus viri insistam. *Primo de nobilitate* certum est, olim fuisse nobiles tum ditiores, tum majori autoritate, tum satellitio instructos, quam impræsentiarum. Unam ex rationibus existimo esse, quod nunc certi sumptus & expensarum rationes (ut in vestes, ludos & pedissequas & simil.) magis nunc vigeant, quam priscis temporibus. *Alia* etiam ratio est, quoniam nobiles nunc æquius dividunt inter minores natu filios quam olim; unde primaria stirps magna patitur decrementa. De mandatis largior quoque, non tanti jam fieri ut olim, sed temporis opportunitas id potius suasit, quam ut aliud quicquam in causa sit. Solent enim homines seditiosè à Nobilibus dependere, & inde variæ partes divisionesque, nequicquam Justitia eas compescente, natæ sunt, quoniam Magnates annisi sunt defendere illos, qui suæ se commiserant clientelæ. Hinc dudum Reges nostri videntes, hoc mandatorum genus apud nobiles regno esse noxium, & populo onerosum, limitarunt illud, certas illi præscribendo leges. Inde Statutum in *Retentores* conditum est, hominesque à solo dependent Rege & Legibus. Et hoc etiam tempori congruit, ut videre est aliis in regionibus, nominatim Hispania, ubi Magnates jam non sunt adeo potentes atque absoluti Domini, ut fuerunt antea. Aliàs verè affirmari potest,

potest; jura & præeminentias nobilium, nunquam firmius & accuratius conservata fuisse, quam Regina regnante. Quod juniores Baronum filii præcedant Equites, non in pœnam ex Cancellaria constitutum est, sed ob literas. Nemo jurato respondet, sed vi seu fide honoris sui: præter innumera alia privilegia in Parlamentis, curiis, & territoriis concessa. Sic neque in locotenentiis, Commissionibus, officiis, nemo unquam majora & honorabiliora concessit nobilibus, quam Regina & Respubl. nunc gratiosè indulserunt. Neque unquam aliquis fidelius & exactius speciales istas præeminentias recensuit: Neque diligentius inquisivit aliquis & descripsit ipsorum prosapiam, pacta, & omnia honorum momenta, quam ille vir, quem accusat, tanquam nobiles pessundedisset; quia pauci quidam immoderatis expensis semetipsos subruerunt, juxta morem seculi, cujusmodi etiam nec in propria resistere potuit familia. Quod vero de convictione affert, sciendum in triginta quinque annis non nisi quinque ex aliqua Nobilitate fuisse convictos, & ex his duos saltem executionem passos, ita tamen ut alter prosapiæ restitueretur in liberis. Imo omnium illorum præter Westmerlandium vel legum favore, vel Reginæ benignitate, hæredes aut possident aut possidere poterunt maximam bonorum suorum partem; & tantum de nobilitate.

De *oppressione populi* quatuor recenset. 1. Imminutionem populi bello factam. 2. Ne-

gotiationis attenuationem. 3. Justitiæ corruptionem. 4. Tributorum immensitatem. Verum ad singula hæc refellenda longo sermone haud opus est. Quoad *primum* gratias DEO agimus, quod benedictio illa, *crescite & multiplicamini*, nondum infirmata fuerit hoc in regno, sed immensus incolarum numerus supplere queat detrimenta in bellis nuperis accepta, adeo ut vix observentur vel in urbe vel in pagis. Legimus quod Romani populum suum numerantes, ubi cives singuli descripti fuerunt tum ab initio, tum in fine belli, aliquando viderint tertiam numeratorum partem defuisse. Verum evolvantur nostræ censuum tabulæ (illæ scilicet, quæ uniuscujusque provinciæ milites indicant) vicesimi Reginæ anni, quo præter cohortem exiguam in Belgium missam, nullum hominem bello impendimus, & hoc tempore denuo, apparebitque exigua diminutio. Multa nunc signa habemus, nimium multos esse regni incolas; nulla autem, vacuum illud esse aut incolis destitui, ut supra probatum. Deinde certum internæ pacis indicium est, si gens quædam bello minus exitioso apud exteros alicubi exerceatur, quam si omni ejusmodi exercitio careat; effœminati enim ad arma inepti redduntur, si occasio subnascatur: neque exiguum regno robur præbet, si in ejusmodi bellis exercitii causa susceptis, non periculosis, multi ex incolis nostris detenti, & multi ex nobilibus equitibusque nostris eruditi fuerint, ut nunc eximios præbeant Duces, tum mari,

tum terra. Quod vero objicit, nos haud providere militibus quando redeunt; quamvis id non penitus neglectum fuerit, attamen cordicitus precor, ut largius ipsis provideatur, quam impræsentiarum fieri solet: quoniam audivi & legi, quod apud omnes gentes dimisso & exauctorato milite, multi ad egestatem devenerint.

Circa *mercaturæ decrementa* peto, ut evolvantur vectigalium rationes consignatæ, uti antea desideravi, ut censuum tabulæ introspiciantur. Illæ enim neutiquam fallent, ostendentque, nulla hic decrementa animadverti, sed potius incrementa. Scimus multos Londini & alibi locorum per mercaturam intra breve tempus divites factos esse; & unusquisque vere affirmare potest, quod lucrum ex mari acquisitum omnia alia superaverit.

Circa *justitiam regni* hujus verum est, quod astutia & opes multas seruerint lites & forenses disceptationes. Sed consideremus id paululum. Integritatem & Eruditionem illorum, qui judiciis apud Reginam præsunt; Leges bonas regnante Regina adversus informantes & delatores sancitas, ut & pro reformandis examinibus; Exemplum severitatis, qua in Camera stellata opprimuntur violentia & fraudes; Diligentiam & animi magnitudinem, quibus Assisarum Judices obviam eunt omni temeritati & subterfugiis, autoritate & prudentia sua ea reprimendo; magnum favorem erga clientes, & qui ex scripto seu consuetudine aliquid possident,

cum antehac ex solo nutu & misericordia Domini penderent; nunc autem continuo ab injuriis potentiorum in Cancellaria, aliisque æquitatis judiciis defenduntur. Hæc & alia precor quispiam considerare velit, & necessario honorifice de Anglorum justitia sentiet.

Jam *quoad collectionem & distributionem pecuniarum* quam exactionem appellat; primo non erubuit sat frigidè mentionem facere collectionis pro S Pauli Basilica & Sortitionum quisquiliis. Illa enim spontanea fuit collectio, nec unquam ad tantam excrevit summam, quæ sufficisset operi, quod intendebatur. Ideoque puto, in alium cessit usum, non dissimilem illi pecuniarum collectioni, quæ ad fortificandam Parisiorum urbem designabatur: præterquam quod hæc (ut audivi) majorem, quamvis non competentem, constituerit summam. Quod vero Sortitionem attinet, erat novum quid, à paucis privatis inventum atque congestum, à republ. vero tantummodo permissum instar lucri, quod audaces venantur. In his, si aliquod extitit lucrum, ideo factum est, quoniam homines majori spe decollatos, puduit minutias repetere. Deinde mentionem facit mutui & Sigilli secreti; sed magnam hic suam ostendit ignorantiam & impudentiam, quoniam solutiones insecutæ fuerunt optimæ & certissimæ, atque in eximium Reginæ honorem vergentes. Verum quidem est, quod aliorum Regum ætate id in usu non fuerit; ast licet nomen adeo gra-

tum

tum non sit, usus tamen ejus hac ætate nostra sine magno subditorum onere extitit. Recenset etiam nova ex pannis vectigalia, ex vino pariter: verum circa pannum errat; nam hujus vectigalia non ab Elisabetha, sed Maria, Romanæ confessionis fœmina, aucta sunt, & vulgo sic ab Elisabetha sunt requisita: nisi fortassis intelligat computationem ulnarum superfluarum, quæ stricto semper respondet juri; quanquam error nuper demum innotuerit, aut potius tolerantia dehinc sublata est. Ex vino autem vectigalia, quod est merx extranea & delitiis tantum inserviens, eorum præsertim, qui carere eo possunt, aucta quidem sunt, ita tamen ut vinum sit carius, mercator vero ea de causa non fiat pauperior. Tandem quoad subsidia liberalissima, verum est, quod Regina intuitu magnorum sumtuum, bellis suis tum maritimis, tum terrestribus, adversus tam opulentum Hostem, qualis est Hispaniarum Rex, impendendorum: cum nullas habeat Indias, nec aurifodinas, & obventiones Angliæ ejusmodi sint, ut minus subditos rodant seu lædant, quam in ulla alia Europæ republ., assentiente Parlamento, varia juxta veterem hujus regni morem, à populo suo receperit stipendia, quæ ut defendendis & conservandis subditis insumta sunt, non splendidis ædificiis, neque immodicis donationibus, non triumphis aliisque voluptuosis actionibus, pecuniæ dissipandæ ergo adinventis, multisque Regibus adamatis; ita liberrimo cum assensu tradita fuerunt &

hilaritate, ut apparet ex aliis quoque benevolentiæ actibus in Parlamento præstitis, quos tamen Regina nullatenus in consuetudinem perpetuam transformavit, seu annuos fecit. Æstimati etiam sunt cives & in censum descripti tenerâ & verè benigna manu; quæ pepercit ipsis in quantum fieri potuit: ut vel inde apparet, quod Regina, ut parceret subditis suis bina vice suos divendiderit agros proprios. Qui vero alias contemplabitur regiones, & considerabit quæ vectigalia, tributa & variorum generum exactiones ubique in usu sint; videbit Anglum ut plurimum esse census sui arbitrum, atque minimum inter omnes Europæ gentes in suis lædi divitiis. Imo hoc ipso tempore, quo Hispani in Indicis occupantur aurifodinis, Jesuitæ cuniculis oppugnant eorum loculos & specie exhortationis spiritualis, maximam, quæ unquam in usu fuit, exercent exactionem.

Et tantum ad has calumnias de præsenti Angliæ Statu annotare volui, cujus architectus quicunque is etiam, post benignam DEI providentiam, sub moderamine & virtutibus Reginæ fuit, ut erubescat, necesse non est.

3. *Methodus procedendi adversus Catholicos ita dictos; An illa sit violenta vel moderata.*

VIdeo Reginæ rationem procedendi duobus insistere principiis, quorum alterum est.

Quod

Quod conſcientiæ non debeant cogi, ſed lucri fieri & reduci veritatis virtute, temporis auxilio, & omnium proborum ad Inſtructionem & perſuaſionem inſervientium mediorum.

Alterum eſt, quod conſcientiæ caſus, quando limites ſuos excedunt & factionibus materiam præbent, naturam ſuam perdant; & quod Summos Principes oporteat punire praxin ſeu contemtum, quamvis religionis ſeu conſcientiæ prætextu involvatur.

Secundum hæc duo principia Regina ab initio Imperii ſui, penitus improbans Eccleſiæ Romanæ tyrannidem, quæ terrore & rigore mandata hominum fidei & conſcientiis præſcripſit; quanquam ut Princeps eximiæ prudentiæ & magnanimitatis, unius tantum religionis exercitium permitteret; adverſus Pontificios magna lenitate uſa eſt, bonum quidem affectum obſtetricante temporum decurſu inde expectans.

Ideoque non renovavit leges ann. 28. & 35. Patris ſui ſancitas, quibus licuit Suprematus ſeu fidelitatis juramentum juxta Regis beneplacitum à quocunque ſubdito exigere, quamvis conſcientiam ſuam eodem lædi quam modeſtiſſimè aſſereret: qui autem præſtare illud non vellet, absque aliis circumſtantiis perduellionis reus credebatur. Sed è contrario Regina, haud cupiens feneſtras apponere hominum cordibus & cogitationibus ſecretis, niſi earum abundantia exundaret, atque ſe manifeſtis actionibus verbisque proderet, ita temperavit leges

ſuas, ut refrænaret inobedientiam manifeſtam, qua impugnaretur & conſultò ambitioſeque ipſius ſumma poteſtas traduceretur, extranea vero jurisdictio defenderetur atque extolleretur. Ipſum quoque juramentum à Regina in formam magis acceptam transmutatum eſt. Ingratam *Supremi Capitis* appellationem & nomen ſuſtulit, & pœnam ejus qui jurare nollet, conſtituit incapacitatem alicujus promotionis ſeu officii gerendi: ita tamen ut reſtitui poſſet, ſi aliquando præſtare juramentum illud vellet.

Sed poſtquam pluribus annis multi Papiſtæ ſeditioſi tolerati eſſent, & Pius V. excommunicaſſet Reginam, ac Londini publicata eſſet excommunicationis Bulla, qua Regina quadantenus proſcribebatur, omnesque ſubditi ejus ſub damnationis pœna ab ejus obedientia avellebantur, & quod dehinc, tanquam principalem cauſam moventem ſeu præparantem ſequebatur in Septentrione rebellio; attamen, quoniam multi ex malè affectis rebellione hac emendarentur, nullamque ipſa exterorum invaſionem timeret, & multo minus cujuspiam in regno tentamina, exterorum auxiliis fulti; ſatis eſſe putavit, ſi conderet legem adverſus hunc ſpecialem inferendi in regnum ſeu publicandi ejusmodi bullas & ſimilia ſcripta caſum. Et huic annectebatur prohibitio, non ſub perduellionis pœna, ſed alia leviore mulcta, inferendi Agnos DEI, roſaria, aliasque ſimiles Romanorum merces; quæ, ut bene notum eſt, non habentur pro eſſentiali

tiali Pontificiæ Religionis parte, ſed tantum uſurpantur ut amoris inſignia, ad incantandum & abſtrahendum plebis affectum à legitimo ſuo Magiſtratu. In cæteris omnibus Reginæ lenitas eadem ſemper permanſit.

Sed cum circa vigeſimum regni ſui annum intellexiſſet, velle Hiſpaniæ Regem invadere regna ſua, & primarium in hoc negotio fuiſſe, ut incolarum animi præparentur ad adhærendum ipſi; Seminaria quoque protruſiſſe, ſeu emiſiſſe quotidie Sacerdotes & profeſſos, qui voto in confeſſione peccatorum facto, alienarent ſubditos ſuos à ſe; imo multis injungerent Sacratiſſimam Reginæ tentare vitam, adeoque veneno hoc latius ſerpente inter Pontificios plurimi mutarentur, & jam non confeſſione tales eſſent, ſed factione perduelles; novæ leges conſtitutæ ſunt, ad puniendos eos, qui reconciliare aut renunciare obedientiam vellent. Nam ſciendum eſt, quod hæc reconciliatio in confeſſione, ejusdem ſit naturæ & efficaciæ cum Bulla excommunicationis, hac tantum differentia, quod cum Bulla omnes ſubditos ſimplici vice ab obedientia ſolvat, hæc idem ſigillatim faciat; ideoque eſt tum magis ſecreta, tum magis efficax, inque conſcientias penetrantior; jungitur enim abſolutioni à mortali peccato. Quoniam igitur perduellio erat tenebris involuta & admirabili ſilentio tecta, raroque deprehendebatur: Et quia nulla præſumptio adverſus eos major erat, quam ex eo, quod recuſarent ad divinum convenire cultum: De-

cretum enim apud ipsos est: *Ingredi templa ante reconciliationem, esse Schisma: Ingredi vero post reconciliationem esse absolute hæresin atque damnabile.* Novæ igitur addebantur leges Recusantibus mulctam irrogantes; non ad vim inferendam conscientiis, sed ad debilitandos illos, qui indifferentes & dubii erant, utrum reconciliati essent, vel non? Extra dubium enim est, quod si lex recusantium (quæ admodum rigorosa esse dicitur) ita formata esset: *Quod omnis recusans qui vel quæ liberè veniet atque juramentum præstabit, se nunquam fuisse reconciliatum vel reconciliatam, immediatè à mulcta & confiscatione legibus irrogata immunis esse debeat*, minus certè laudaturi fuissent mitigationem istam, sed potius criminaturi eam, tanquam ad illaqueandum eos conditam. Cum autem non obstante omnium provida cura venenum hoc adeo clam spargeretur, ut nulla restarent media, præterquam ut coercerentur mercatores illud afferentes, Lex denique sancita est, qua ejusmodi seditiosi Sacerdotes novæ hujus sectæ in exilium missi sunt; illi autem qui tum temporis hic morabantur, transfretare jussi sunt, atque accessu seu reditu prohibiti sub pœna perduellionis.

Iste fuit Processus adversus homines ejusmodi, mixtus tamen non solum variis Regiæ Gratiæ exemplis erga eos, quos secundum prudentiam suam scivit esse Pontificios conscientia, non factione; sed etiam insigni mitigatione erga delinquentes in summo gradu & legibus convictos, si modo prote-

starен-

ſtarentur: *Quod ſi quando regnum hoc invaderetur ab externo exercitu Pontificis Summi autoritate profide Catholica* (ut loqui amant) *velint adhærere Reginæ, non verò inimicis ejus.*

Quod autem dicit, nullum Sacerdotem negotiis Politicis ſe immiſcuiſſe (præter *Ballardum*) apparet falſum eſſe ex ipſius *Ballardi* confeſſione, & aliorum Sacerdotum, confitentium, quod in genere omnes tum temporis Sacerdotes cognitam habuerint invaſionem, tum deſignatam, & poſtea ad effectum deductam: mandataque acceperint, non tantùm excitare in plebe mutationis ſpem, verum etiam adigere ipſam ad vota promiſſionesque, quod invaſori adjungere ſe velit: in tantum ut unus ex primipilis in ſuaſoria jactaverit de ſe epiſtola: *Eſſe negotium quod Angliæ Senatus ne per ſomnium quidem cognoſcet: Quis imaginabitur, quod cum aliquot Nobilibus tractaverint, ut ſe in factionis ſuæ Ducem eligant, licet ſolummodo cum plebe egerint, & tam ſigillatim, ut unusquisque exiſtimare poſſit, non poſſe ſe ad alium præter ſeipſum provocare, ſi Sacerdotes excipias, qui, ut ſibi perſuaſit, nihil ob confeſſionis ſigillum detecturi eſſent.* Tam innocens erat illuſtris hæc & Sacerdotalis functio, quam vir iſte pro Conſcientiæ negotio venditat, & putat debere ipſi per univerſum regnum liberum permitti exercitium.

4. *De tranquillitatis, qua Christiani Status fruuntur, perturbatione, & quibusnam ea imputanda sit Causis.*

QUæstio est non exigui momenti, (quam qui Rerumpubl. negotia introspiciunt, sæpe agitari norunt, quamvis Author noster videatur ipsam non nosse) an potentioris Reipubl. ambitio, vel debilioris Reipubl. æmulatio sublatæ amicitiæ rea sit. Cujus ut plura dantur exempla, ita unum succurrit admodum præsenti negotio congruum; & quamvis multis abhinc contigerit annis, attamen videtur horum temporum esse imago, & præsertim negotiorum Angliam inter & Hispaniam intercedentium.

Respubl. autem his respondentes sunt Macedonum atque Atheniensium. Considera igitur parallelismum inter duos Philippos Macedonem & Hispanum. Ille adspirabat ad Græciæ Imperium, uti hic ad Europæ monarchiam, sed magis apertè quam ille, quoniam intentio hæc jam in parente ipsius Carolo V. innotuit, ipsique tanquam hæredi relicta est: cum Philippus Macedo primus fuisset inter suæ gentis Reges, qui tam grandia in pectore suo fovit consilia. Methodus qua Macedo usus est, non erat in exercitibus & invasionibus reposita, (quanquam nec istis destituebatur, cum occasio requireret.) Sed astutia, serendo factiones in rebuspublicis & devinciendo sibi magnates. Illi autem, qui ambitioni ipsius resistebant, erant

ſoli Athenienſes, uti nunc Angli Hiſpano adverſantur. Nam Lacedæmonia & Thebæ infirmæ erant, uti nunc Gallia; reliqui vero Græciæ Status & potentia & territoriis multo inferiores iis erant. Athenienſes vehementer pacem cupiebant, & expenſis erant exhauſti. Verum illud in quo præ reliquis comparatio verſatur, eſt, quod Oratores, qui quaſi conſiliarii in Republ. Democratica erant, & quidem acutiſſimè introſpiciebant intentionem & dilatationem Imperii Macedonici, (ſemper addubitantes, annon ignis vicinas conſumens reſpubl. opportunitatem ſeu viam aperiret & ſua corripiendi territoria, dexteritate tanta, ut illi reſiſtere haud ſit poſſibile futurum) ſemper accuſarentur tum declarationibus Macedonum Regis, tum imputatione illorum Athenienſium, qui corrupti erant, de factionibus, ac ſi ipſi turbas excitarent, pacem item & fœdera rumperent. Aſt uti pars iſthæc, apud Athenienſes nimis potens erat, ita ut irrita redderet ſana oratorum conſilia, atque ſic iſtius reip. ruinam promoveret, & Philippi hujus finem accelerarat: Sic ſperandum eſt, quod in Monarchia, ubi melior eſt harmonia atque conſilia, quam in Democratia, conſpirationes iſtæ, prout jam detectæ ſunt, ita porro reprimentur & enervabuntur.

Verum ſequamur autorem in propria ſemita, & ſummam illius, quod tradidit circa imputationem tum interruptæ amicitiæ Hiſpaniam inter & Angliam, tum pacis univer-

universalis inter Christianos sublatæ; Anglis enim ista fert accepta, non vero Hispanorum ambitioni: ad tria autem referri possunt.

1. Videamus quomodo Hispania & Anglia se gesserint erga vicinas sibi respubl.
2. Quomodo Hispania & Anglia se gesserint invicem.
3. Videbimus articulos & conditiones, quos ipsi lubet in Anglorum gratiam conscribere atque proponere ad transigendum & acquirendam pacem universalem.

In primo revelat Hispaniarum Regem nunquam lacessivisse Italiæ Principes, quibus conterminus est respectu Neapolitani regni & Mediolani; neque Germaniæ Status, ad quorum confinia pertingit Burgundiæ pars atque Belgium; neque Portugalliam, donec ad ipsum devolveretur hæreditatis jure, ipsi etiam Hispaniæ conterminam. Sed è contrario magni semper æstimasse inter Christianos pacem, omnemque suam vim bellicam in Turcas convertisse. Fatetur saltem, quod Rex exigente ipsius Zelo, secundum quem conatus est æque Christianismum ab hæresibus purgare ac dilatare eundem adversus infideles; semper promptus fuerit ad Galliarum Regi succurrendum adversus Hugonottas, præsertim cum ipsius proprii sint subditi. Angliam verò dicit è contrario non solum disseminasse turbas & dissensiones in Gallia & Scotia, sed actu etiam utrumque invasisse Regnum. Nam quod

quod Belgium attinet, ad secundum partitionis membrum pertinet.

In responsione ad hoc considerari meretur, quomodo DEO placuerit unum hujus Regis affectum altero intervertere: & speciatim illum qui potuisset toti Europæ exitiosus esse (ambitionem intelligo) alio, qui ipsi soli tantum noxius erat, & subditis ejus, iram intellige & indignationem, in subditos suos Belgas. Nam postquam in regno suo confirmatus & aliquo modo à Turcarum timore liberatus fuisset, revolvendo Patris sui intentionem, qua ad totius Europæ Monarchiam adspiravit, duo præsertim valida regna, Galliam & Angliam intuens, & recordatus quomodo Pater ejus sibi olim promiserat illius debellationem, & quomodo ipse connubii jure nuper hanc possideret; vidensque religionum diversitatem infecisse regna ista, & Galliam subesse Principi infirmo & minorenni, Angliam vero à fœmina regi, de qua non tantam speraverat prudentiam, magnanimitatem, & felicitatem, qualem nunc expertus est: Conclusit (Hispanorum more, qui haud gravatim tempus expectant,& consilia sua profundè examinant) ex duobus assertis: quorum prius est: Prætexere seu profiteri singulare patrocinium atque defensionem Romanæ religionis; opinatusque est habiturum se in utroque regno partem sibi adhærentem; in Anglia partem, directè adversus rempubl. insurgentem; in Gallia partem, quæ quidem ejusdem cum Rege esset religionis, ideoque primo intuitu inepta

epta videri posset ad adhærendum extraneo; verum sat benè prævidit, Galliæ Regem (ut saltem pacem atque obedientiam retineret) coactum iri, in aliquibus condescendere ad illorum desideria, qui essent à fide Romana alieni, atque sic sine dubio Pontificios fervidos & violentos alienatum iri. Quæ præparatio in plebe, addita Ambitione Guisiorum (quàm instrumenti loco aluit) tantum ipsi partem seu factionem contra Regem acquirere posset, uti nunc experientia docuit & dudum fieri potuisset; ut apparet ex mentione Ligæ & associationum in Gallia jam ab his 25. annis facta.

Alter ejus medius terminus fuit; quod Belgium suum esset portibus & navigationibus aptissimum, respectu Angliæ; etiam respectu Franciæ quoad situm, multa adversus hanc habens fortalitia, conterminum præterea Germaniæ, unde peti & recipi possint auxilia, ad utrumque regnum oppugnandum. Sed impediebatur hic inclinatione populi, qui insignem ex utroque regno commerciorum commoditatem accipiens, & præsertim ex Anglia, multis abhinc annis fœdere nobis junctus, homagium etiam aliquando Galliæ præstans, nulla ratione ad bellum cum regno alterutro adduci potuit. Hoc igitur cognoscens, annisus est ad Monarchicum eos reducere Imperium, par illi, quod in Neapolitano regno & Mediolanensi Ducatu stabiliverat: sed defecerunt Provinciæ istæ, cum viderent supprimi libertatem suam. Circa idem tempus Reformata

mata religio in eas provincias invecta fuit. Ideoque Rex cernens vim, qua se opposuerunt primæ intentioni; & non valens deserere alterum suum principium, ut aliquid Religioni innovatæ indulsisset, ac omnino brevius leviusque sibi spondens opus, quam revera expertus est; vehementer affectavit insulæ hujus expugnationem, cum ingenti pecuniæ exercituumque dispendio. Et hæc est genuina, si quis penitius consideret, causa, quæ ex Hispano tam bonum fecit vicinum; nimirum, quod adeo fuisset in oppugnando Belgio distractus, ut aliud quid audere non potuerit. Cæterum si Italiam aggressus esset, Sedis Romanæ tonitru metuendum erat, cum qua arctam semper quæsivit unionem. Potuisset etiam ex eo Turcæ reditus occasio dari. Quoad Germaniam vero, recens ipsum Patris exemplum terruit; Hic enim illam dominiis istis, quæ & ipse possidet, jungens, succubuit ejusmodi conatibus: utpote advertens, nimis validam esse gentem hanc, nec posse à se subigi. Quanquam non multis abhinc annis satis ipsi esse potuisset, si Orientalem Emdæ regionem occupasset. De Portugallia observandum primo, Reges ejus morigeros fuisse Sedis Romanæ filios: deinde non habuerunt causam rixæ vel prætextum: tertio officiosi erga ipsum fuerunt: attamen si Genuensi fides, (qui alias multa in honorem & commodum Hispaniæ Regum scribit) videtur satis intendisse, parare sibi ad hoc regnum accessum: quandoquidem (ut ille refert) calli-
dè

de juvenem Regem Sebastianum in expeditione Africana detinuit, casum illum, qui sequutus est, expectans.

Quoad intentionem vero ejus circa oppugnandos infideles & Turcas, in mentem mihi redit, quod *Franciscus Guicciardinus*, prudens Historiarum Scriptor de Avo ejus loquitur, tanquam Historicus de ipso judicium ferens: Quod solitus fuerit colorare & contegere ambitionem suam devotæ & piæ intentionis erga Ecclesiam & publicum bonum fuco. Parens ejus quoque Galliæ Regem captum esse audiens, prohibuit campanarum pulsationem, festivos ignes & alia lætitiæ signa, dicens: *reservanda ista esse victoriis ab infidelibus reportatis*; contra quos bellum gerere, ne quidem cogitavit. Crucem prædicare sæpenumero ipsi & prædecessoribus ejus Romanus Pontifex eo fine indulsit, ast plerumque tantum sanguinem Christianum isti effuderunt exercitus. Et hoc anno exercitus in Germania clanculum pro Gallis scripti, sub prætextu belli adversus Turcas colligebantur; quod Germaniæ Principes intelligentes, non tantum dissipaverunt conscriptos milites, verum etiam Commissariis minati sunt suspendium, si quisquam id porro auderet. Est ergo dissimulandi hæc methodus Hispaniæ Regibus familiaris, & quasi hæreditarius.

Auxilia Galliæ Regi suppeditata adversus Protestantes, comitatus est perniciosis consiliis, quæ semper illi suggessit, ut infringeret edicta sua, & nullam pacificationem admit-

admitteret, sed persequeretur subditos suos internecino bello, promissis interim subsidiis: quæ tamen cum promisisset ex parte tantum potuit submittere, & sic assuefecit Galliæ incolas, (vehementes præsertim pontificios) ut ab Hispania dependerent. Et tantum de Hispaniæ Regis procedendi methodo, adversus alias nationes.

Jam quod nos attinet, & primo quidem quod ait, nos esse turbarum autores in Scotia Galliaque: apparebit illi, qui rerum harum ignarus non est, quod horum regnorum turbæ revera ab una eademque Guisiorum familia fuerint excitatæ: Familia (ut ex parte jam dictum est) speciali ratione nunc multis abhinc annis Hispano adhærens, veluti Jesuitarum societas. Nam extraordinarie nunc florens ob excellentes aliquot paucarum personarum virtutes, quarum tamen ambitio nullatenus virtute earum inferior fuit; & cum fuerit Domus, quæ Principes Sanguinis in Gallia pro alienis habuit, ad eam aspiravit magnitudinem, quæ major esset quam civilis, & proportionata causæ suæ, quandocunque autoritate valeret. Sub prætextu igitur consanguinitatis & religionis in Scotiam invexerunt anno 1559. absentibus Rege & Regina Gallicos exercitus magno numero: quare avita Nobilitas regni istius, cernens imminens damnum reducendi Regni sub Extraneorum Tyrannidem, desideravit (freta utriusque regni Prisca amicitia) Reginæ, tanquam vicinæ, exercitus. Et sic verum est, quod Actionem hanc, cum admo-

admodum justa & honesta sit, susceperit Regina, extraneos ejecerit, & restituerit Nobiles in dignitates suas pacemque publicam.

Deinde cum certi Scotiæ Nobiles de Guisiorum factione, Regis ætate abuterentur juvenili, in eum finem ut Scotiam colliderent cum Anglia; iterum Reginæ exercitus desiderati sunt ab ipsius Regis optimis fidissimisque servis anno 1582. & cum occupassent Edenburgi castellum, primarium istius Regni fortalitium, reddidit illud Regina extemplo, omni cum honoris sinceritatisque documento, postquam Regem fidis concredidisset manibus. Et sic deinceps semper in omnibus intestinis motibus, quibus natio hæc assiduè inquietata fuit, omnia possibilia amicitiæ officia Regi præstitit, quæ quoque ipse agnoscit.

Eadem Guisiorum familia sub fœderis prætextu imperante Francisco II. & annuente Regina matre; quæ ipsa regnare cupiens cum Carolus IX. adhuc minorennis esset, Guisiis istis usa est contra sanguinis Principes; magnam in Galliis acquisivit autoritatem: ideoque civilia bella movit religionis prætextu; sed revera ad supprimendos nobiles avitos regni hujus: Adversa pars ex regio sanguine consistens & primariis regni ministris, opposuit se solum eorum insolentiæ, & in auxilium advocavit suum Reginæ exercitus, quibus securitatis causa Neoportum tradidit: quem, postquam Reginæ intuitu pax constituta esset, prout ipsa vellet Guisiis inimica

inimica pars, desideravit eadem reddi sibi, non observatis, in quas consensum erat conditionibus; nam certè vi tenebatur, & diu sic mansisset, nisi intercessisset, quam DEUS in nostros immiserat contagio. Post illud tempus adeo aliena fuit Regina à serendis turbis, ut continuo sollicitata per Legatos suos Regibusque Carolo IX. & Henrico III. persuadere conata fuerit, ut servent & manuteneant edicta sua Pacificatoria, & conservent autoritatem suam per unionem subditorum suorum Quæ consilia, si tam felix obsequium nacta fuissent, quam prudenti & sincero de pectore processerant, Gallia hodie florentissimum esset regnum, uti nunc miseriæ Theatrum existit. Jam vero tandem, postquam ambitio ejusdem Guisianæ familiæ ad eam pervenit maturitatem, ut majus adhuc robur ex infirmitate & sinistra Henrici III. educatione collegisset, ideoque Dux Guisius ad Blesense castrum absque ceremoniis ullis perimeretur; tot tamen viri conscii fuerunt & complices in conspiratione illa, ut flamma ejus nullatenus videretur sopita; & Rex ad incitas redactus, cogeretur nova ab Angliæ Regina petere auxilia; quæ, licet nequaquam his litigiis implicaretur, neque Regis beneficiis obstricta teneretur, dedit tamen: Ante adventum autem harum copiarum Rex à Monacho in castris suis prope Parisiorum urbem interemptus est; nihilominus advenientes, & opportune quidem opem tulerunt Regi, qui nunc imperat. Cujus litigiorum justitia, una cum

 diu

diu continuatâ amicitiâ & necessitudine cum Regina intercedente, movit eandem quocunque tempore ipsi succurrere: Ita tamen ne unquam desideraret, ut sibi aliquot traderetur oppidum vel territorium. Judicet igitur Lector, cujus procedendi methodus magis justa & honesta fuerit, atque ab ambitione & affectatione aliarum rerumpubl. magis aliena? Num Anglorum vel Hispanorum? Sed jam examinemus, quomodo se gesserint invicem.

Regina thronum conscensa invenit regnum suum Gallico Scoticoque bello intricatum, cum proximis scil. vicinis suis. Bella hæc solum Hispanorum litigiis innitebantur, & in processu eorum perdidit Anglia Caletum, quod inde à 21. Eduardi III. anno Angliæ Reges possederunt. Congressus fiebat prope Burdigalam in postremis Mariæ Reginæ annis, Commissariorum ex Gallia, Hispania & Anglia, & quædam pacis conditiones proponebantur, sed interrumpebantur ad articulum de restitutione Caleti. Post Mariæ Reginæ obitum Hispania existimans se jam posse hanc difficultatem evitare (quamquam honoris titulo nunc non minus ad hoc teneretur, quam antehac) resumpsit Pacis tractatus, in quibus etiam Regina concurrebat, ita ut Commissarii Principum dictorum, in Castello Cameracense convenirent. In progressu horum Tractatuum Commissarii Hispanici ab initio quidem vehementer Caleti restitutionem desiderabant, sed dignoscebatur postmodum,

dum, Regis intentionem fuisse, post ceremonias aliquas & perfunctorias ad illam instantias, particularem cum Gallia inire pacem, exclusa Angliæ Regina; & sic deserere ipsam, quo suam sola pacisceretur pacem; quanquam Reginæ exercitus Regis istius confecissent bella. Hanc callidam tractationem cum sagaciter animadvertisset Regina, noviter Regnum orsa, amore etiam tranquillitatis publicæ inducta, pacem acceptavit iis conditionibus, quibus ipsi visum erat. In hac tamen dissimulatione Hispaniarum Rex tantum emolumenti cepit, ut Regina cogeretur specialem cum Gallo pacis tractationem suscipere: quare aliquis non omnia, quomodo gesta sunt, cognita habens consilia & pacificationes, putare poſset Reginam libenter in id consensisse absque Hispani voluntate, cum revera ipsi non aliam concederet optionem. Et istæ erant primitiæ seu pignus Regii hujus erga Reginam amoris seu affectus.

Circa idem tempus, cum à Rege desideraretur renovatio illorum fœderum & tractatuum, inter utrumque Hispaniæ & Angliæ Regnum intercedentium, per Dominum *Cobham*, qui mittebatur ad ipsum, Mariæ Reginæ mortem denunciaturus, & postmodum per Nobiles *Thomam Challenor*, & *Thomam Chamberlain*, qui successivè Legati erant in ipsius Belgio residentes; & in mandatis habebant, diversis temporibus durante ipsorum functione proponere pacis conditiones non solum Regi, verum & viris Principibus

 assisten-

assistentibus ipsi; Et tandem cum hæc pacis desideria sine effectu essent, per Vice-Comitem *Montacutium* & *Thomam Chamberlain* Equitem anno 1560. in Hispaniam missos, non aliud à Rege obtineri potuit responsum; quam Tractatus quocunque respectu æque bene vigere, ac si per ratificationem innovarentur: Responsum ab illo tempore alienum, sed optimè actionibus ejus modernis congruens; quæ fortassis jam tum in pectore ejus pensitabantur. Nisi enim jam tum temporis clanculum avertisset mentem à Regina, & hostilia cogitasset adversus eam, ignorare sapientia sua nequivisset: Quod renovatio & ratificatio tractatuum, Principes inter & Respubl., magnum addant vigorem & robur, tum fidei ambarum partium inter se, tum existimationi earum apud alios: ideoque necessarium vulgo visum esse, renovare eosdem & confirmare.

In legatione Vice-Comitis *Montacutii* exorabatur etiam Regis consilium & auxilium secundum veterem amicitiam in detegenda conspiratione Guisianæ Familiæ, quo regnum hoc liberaretur mediante Scotia. Sed tam obscurum ad ista fuit Regis responsum, & frigidum, ut inde nihil potuerit cognosci, donec ipse exponeret per expressam prohibitionem, ne arma ex Belgio deportarentur ad obsidionem Leithæ; gens enim nostra inde debebat accipere ea; Et sic in omnibus negotiationibus cum Rege hoc intercedentibus nihil vidit Regina, quæ ipsi satisfacere possent, verum quæ magis magisque

gisque suspecta, & malevolæ mentis indicia essent.

Paulo post, cum illa consilia detegerentur, antequam Rex statueret tollere libertates & Privilegia Belgarum vetera, atque Mareschallum ipsis præficere; quod populus dives & fortalitia inhabitans, tum arte, tum natura munita, ferre nequivit, ideoque defecit: in his actionibus, inquam, quæ maximæ fuerunt illarum, Hispaniam inter & Angliam gestarum, Regina tam justam se ostendit, & tot honoris erga Regem dedit documenta, ut nullo affectu se abreptam fuisse, imò ne inhonestis artibus uti velle, abunde declaraverit. Nam primo in motuum principiis fideliter & sincerè indicavit ipsi, atque suasit, quomodo componi possent; & expresse monuit tum ipsum, tum illos, qui præcipua in illis provinciis obirent munia, durante bello, de periculis oppido insecuturis, si pergerent graves esse incolis: possent enim extraneo se facilè tradere. Cum vero adeo obfirmatam inveniret Regis mentem, ut omnia aspernaretur consilia, lenem procedendi modum & gratiosum suadentia: non deseruit tamen Regina honestam intentionem suam: (quæ erat, ut reconciliarentur provinciæ istæ Regi suo: & si hoc fieri non posset, ne extraneo se unirent Domino, Gallo scilicet, cum quo multa pacta erant; & apud quem Belgii invasio pro remedio sopiendorum civilium tumultuum habita est.) Sed patienter expectavit, quæ temporum decursus sit producturus. Quan-

 do

do autem ad incitas vidit redactos Belgas, desperationi vicinos, atque sic paratos, uniuscujusque extranei oblatum acceptare dominium; suppeditavit Regina pecuniaria subsidia, & permisit, ut aliqui exercitus ipsis succurrerent: quo ejusmodi violenta interrumperentur consilia. Interea non destitit Regi honesta & gratiosa pacificationis dare consilia, quibus semper obtinere potuisset & emolumenta atque autoritatem, qualia justo titulo desiderare unquam valuisset, vel Princeps moderatus ambire. Et huic institit, per vices amissa & lenire Regis iram, & Belgarum desperationem, donec post Andegavensis Ducis mortem (cujus imperio juxta Reginæ præsagium, non autem votum se permiserant) urgentibus inimicis, Provinciæ Belgii fœderati Reginæ protectionem amplecterentur; idque factum illo tempore, quo Hispaniarum Rex non tantum demonstraverat, esse se non solum Dominum Belgarum implacabilem, verum etiam hostem Reginæ apertum, & jam Hiberniam invaserat, atque adversus Angliam paria designaverat. Observandum enim est, quod eadem Reginæ tum fuerint proposita, quæ dudum antehac: sed quamdiu aliquam de constituenda inter illos pace spem aluit, aut suam cum Hispano conservare voluit, non acceptavit quicquam. Etiam nunc denique Regina singulare & evidens justitiæ & moderationis suæ argumentum orbi præbuit; recusando hæreditariam insignium istarum Provinciarum possessionem, quam Status ab

ab eâ arripi obnixè contenderunt: & quæ, si acceptasset, vehementer placuisset tum suo, tum illorum populo: Sunt enim situ, opibus & negotiationis commoditatibus, affectu erga gentem nostram, obedientia subditorum (probè usurpata) maxime aptæ, quæ Angliæ regno uniantur: unumque inde idemque studium erga Hispaniam se defendendi, eamque oppugnandi, fuisset. Verum Protectionem solam & libertatum defensionem in se suscepit Regina: quæ libertates & privilegia ejus sunt naturæ, ut justè pro conditionatis Regis Hispaniæ subditis haberi possint; & quidem magis quam Arragonia; Reginæque etiam in mentem revocent antiqua cum Burgundia pacta & tractatus, quæ potius cum populo, quam cum Ducum Prosapia sunt constituta; quoniam nunquam absoluta fuit Monarchia. Ut igitur in summa dicam, quod res est: Regina ita se gessit in magnis his actionibus, ut quæsiverit primo Belgas unire Hispaniæ, deinde ab extraneo illos præservare Domino, nunquam autem sibi subjicere.

Sed omni hoc tempore eundem se gessit Hispaniæ Rex erga Reginam; magis indies injuriis & contemptu se exerens. Subditi ejus in Hispaniam mercatum venientes exusti sunt; aliqui ad triremes damnati, in carceribus alii extincti; nullius criminis rei, quam occasione litium circa religionem, quam hic domi exercent. Aliqui mercatorum ejus in direptione Antwerpiæ spoliati sunt, atque ad se redimendum adacti, quan-

quam convinci non potuerint, quod parti cuidam adhæserint: neque ad intercessionem Doctoris Wilson & Eduardi Horsey Equitis quicquam ipsis restitutum est. Arresto generali detinuit Dux Albanus Anglos, eorumque bona, sub prætextu, quasi naves quædam Genuensium, mercibus & pecunia onustæ, & ad Regem suum pertinentes, in Anglia detinerentur: quæ tamen pecunia & merces ad assem denique restitutæ sunt & redditæ; cum è contrario nostri cives nihil reciperent. Doctor Man Reginæ Legatus varias, durante Legatione ejus, passus est offensas, ipseque Madrito cedere coactus est, atque in villa degere; ut solet fieri cum Legatis Æthiopum. Filius quoque ejus & familiæ præfectus coacti sunt assistere ad Missam, cereos manu gestantes; alias contumelias prætermitto. Verum spoliatio mercatoris, vexatio subditi, Legati contemptus, erant potius indicia male affecti Regis, quam actus, si comparentur cum illis, quæ in publico egit, tum ipso, tum ministris ejus satagentibus regni hujus ruinam. Ut cum anno 1569. rebellio in septentrionali Anglia erumperet: nonne Dux Albanus (tum Vice-Rex in Belgio) & Dominus Guerres de Espes tum Legatus, hic detegebantur, quod essent Autores ejus, cum Duce de Norfolk conspirantes; ut probabatur in condemnatione ejusdem Ducis, & quod exercitus 20000. ad Harvitium exponi deberet, in auxilium factionis illius, quam intra Regnum Dux ille asociaverat, & in quam jam
dum

dum 150000. coronas expenderat.

Non autem contentus assistere Rebellibus in Anglia; tentavit eadem in Hibernia, armis instruens mittensque illuc anno 1529. archi-rebellem indigenam Jacobum Fiz Morriæ, antehac profugum. Et ut verum loquar, omnes molestiæ in hoc Regno Reginam exercentes, ab Hispanis excitatæ & fomentatæ sunt: Sed omnium maxime id apparuit anno 1580. cum invaderet Hiberniam Duce Italo San-Josepho, sed Hispanicis copiis, quasi tantum prænunciis majoris potentiæ, quæ post pacta inter ipsum & Pontificem subsequi debuit; sed ob subitaneam illarum deletionem non advenit. Et hanc invasionem ipsius Regis mandato susceptam, probatum est ex literis Secretarii Escovedo & de Guerres ad Regem: ex aliis item Epistolis, in quibus speciales conferentiæ inter Cardinalem Riarium, Pontificis Legatum & Regis delegatum in Hispania consignatæ extabant, imò etiam belli Dux, hominum numerus, pecuniæ promissio & modus in actum deducendi hoc propositum: innotescebat etiam ex confessione quorundam, qui primarii erant inter captivos apud Castellum in Hibernia captos. Hoc igitur cum sit actus apertæ hostilitatis, superioribus annumeratur injuriis, accedentibus etiam favore, receptione & subsidiis, quibus admittendo, sumtus erogando, & instruendo juvit proditores & fugitivos tum Anglos tum Hibernos, quales fuerunt *Westmerland*, *Paget*, *Englefield*, *Baltinglasse*, & alii

alii innumeri : sufficienter etiam declarat, justam fuisse vindictam, quæ (vel in deprædatione Carthagenæ & Sant Domingo apud Indos per Drakium, vel in suscepta protectione Belgii per Leicestriæ Comitem) postmodum secuta est. Nam ante hoc tempus Regina, quanquam in sui defensionem vigilaret vi justæ vindictæ, à rege hoc variis injuriis causatæ, attamen nihil offensive contra ipsum egit. Nam & voluntarii exercitus, quos Don Antonio hic conscripserat, expresso mandato prohibiti sunt : & oblata fuit Legato Hispanico ejus Thesauri restitutio, si probatum fuisset, injustè fuisse ablatum. Dux etiam Andegavensis, (quantum quidem permittebant conditiones nuptiarum, cum Regina tum contrahendarum) abstrahebatur à Belgii invasione.

Sed finiam hoc membrum : cum aliquot annis post invasio & expugnatio hujus insulæ, dudum designata, sed ob varias calamitates & impedimenta dilata, anno 1588. tentaretur ; Regina minimè sui oblita eodem tempore de pace tractavit ; non ignara, quis ipsius ad bellum apparatus esset, (nam dudum hoc cognoverat) neque timida, ut apparet ex articulis in tractatione illa à Regina propositis, sed tantum ut parceretur sanguini Christiano, & ostenderet, malle se pace quam victoriis inclarescere. Ideoque pacem sincerè quæsivit, ipse vero (ut apparuit) ludibrio nos habuit : intendens nos improvidos aggredi. Parmensis itaque Dux cum nollet in ejusmodi causa instrumentum

tum esse ob honorem suum specialem, sæpius inter tractandum dixit: Esse mentem Regis sui pacem armata manu acquirere. Examinet nunc quicunque indifferens est, Angliæ & Hispaniæ actiones; & videat quis in aqua turbida piscari amet: Pacem Christianorum abstulit; & omnia consilia sanguine scripsit.

Sequuntur hic Articuli Pacis universalis, quos libelli Autor tanquam Commissarius Anglis proposuit, & sunt.

1. Ut revocet Hispaniæ Rex exercitum illum, quem ex amplo erga Gallos affectu, illuc misit, quo defenderentur contra Hugonottam relapsum.
2. Ut permittat rebelles suos in Hollandia & Zelandia quiete possidere, quæ tenent loca; sibi etiam associent, quod est in Belgio reliquum; ita tamen ut Angli retineant, quos possident portus, cum aliis civitatibus innumeris.
3. *Ut piratis Anglis Hispanorum in Indiam quoque liceat secure navigare, & inde Regis auferre thesauros cum ditionibus ipsis.*

His articulis, si assensum fuerit (ait Autor) sequi posset pax illa omnem exuperans sensum: ut per ironiam & blaspheme appellat pacem illam, qua fideles fruuntur cum DEO, per reconciliationem Christi sanguine partam. Sed revera erronei sunt articuli isti, corrigi itaque sic possent.

1. Ne impediatur Galliæ Rex in reducendo ad obedientiam rebelles suos.
2. Ut Belgis permittatur vivere juxta antiquas libertates suas & privilegia; & sic exercitus peregrini Anglici æque ac Hispanici abducantur.
3. Omnibus gentibus permittatur in Indiam Orientalem & Occidentalem navigatio, imo liceat omnibus detegere ejusmodi terras, quas Hispani actu non possident, nec ipsorum subsunt dominio, non obstante Pontificis Romani donatione.

5. Artificium Autoris, quo malitiosas suas in Reginam & rempubl. calumnias contegit, sub prætextu, quod solas Domini Burgley actiones reprehendat.

NOn quidem verè hoc possum dicere artificium in Autore, sed tantum voluntate esse artificiosum; est enim revera sine arte & judicio. Nam videns consuetam & facilem seditiosorum methodum esse, reprehensiones suas & clamores non in Principem ipsum dirigere, sed in illos, qui ejus fruuntur gratia & Autoritate fulciuntur: hic noster perversè & infeliciter usus est eruditione sua. Nam istud aliqua cum ratione fieri videtur contra illos, qui in summa gratia sunt, noviter ad officia elati, & subito consiliarii facti: quando autem tale quid agitur in illum, qui diu ante Reginam Consiliarius

filiarius fuit, omnesque in Europa Consiliarios officii diuturnitate superat, qui certè magnus fuisse necesse est, vel solum quod tam diu in honoribus vixerit, licet in alio nullo excelluerit: qui per omnes dignitatum ascendit gradus multo labore & temporum intervallis longis, quæ semper invidiæ extingunt scintillas, nisi quando extremæ jungitur malitiæ: Videtur apertè esse levem tantum ausum, per Consiliarium ferire Principem atque diffamare. Et revera admodum rudes sunt, qui hâc ratione orbi imponere satagunt; nam etiam pueri norunt ex fabulâ, quod Lupus non irascatur pastori sed cani ejus. Verum quidem est, mutasse viros istos vocem suam bis aut ter; cum de connubio Ducis Andegavensis ageretur, mel locuti sunt Reginæ; fel vero omne adversus Leicestriæ Comitem eructarunt: cum autem animos sumerent sperando invasionem, mutaverunt verba, & omne venenum in Reginam immediatè evomuerunt. Quæ vero spes suaserit ipsis, Sinonis uti voce, & docere Trojam quomodo salva esse possit; dicere nequeo. Interea tamen magno Dominum hunc afficiunt honore; nam quo vehementius in ipsum invehuntur, eò magis Regina ipsi confidere potest, Respubl. honorare debet. Malum solet esse signum, si inimicus regionem vastans omnem, aliquot solum virorum domos & campos relinquit intactos: malè enim fœderati esse cognoscuntur.

6. *Certæ generales notæ in actiones Domini Burgley.*

MIrabile est quod Autor dicit Dominum hunc fuisse Primum mobile in omnibus operibus sine distinctione; quod ei Regina teneatur rationem reddere actionum suarum: quod respectu ejus Leicestriæ Comes & Secretarius Walsingham, viri magnæ autoritatis atque prudentiæ, sint tantum quasi instrumenta: cum satis notum sit, quod nullus tam senex fuerit Consiliarius & Reginæ magis annuens in resolutionibus, Principe dignis, quam iste, qui semper conatus est, post fideles propositiones atque demonstrationes, idque optimis verbis & gratissima methodo, acquiescere ejusmodi conclusionibus, quas ipsa definivit Regina; & quam optimè exequi eas. Tam procul abfuit à pertrahendo Reginam ad voluntatem suam. Quod vero attinet prædictos consiliarios, aliosque cum quibus Dominus hic societatem initt ad perficienda Reginæ ministeria; verum potius est, quod ipse excellentia experientiæ & prudentiæ suæ, temperamento item naturæ suæ, omnes difficiles & extremas actiones communiter mitigaverit, in quantum Reginæ obsequium, Reipubl. securitas, & propria functio sine aliorum comministrorum læsione permisit. Et tam procul abfuit ab incitandis aliis, aut jungendo se iis in hoc rerum genere. Verùm magis adhuc mirum est, quod vir iste tam absurdè mali-

malitiosus sit, & non tantum omnes Domino huic imputet actiones publicas, verùm etiam errores & vitia temporis, ut cum curiositas & æmulatio controversias quasdam produxerunt in Ecclesia; quanquam (gratiæ sint DEO) nonnisi circa externa versentur: cum divitiæ & astuta ingenia multiplicarunt in judiciis causas: cum voluptatum excessus atque magnificentia una cum servorum perfidia, nec non divitum avaritia Nobilium attenuarunt patrimonia, & alia, quæ singula ipsi imputantur, qui, quantum quidem decuit officium ejus, religiosus & prudens extitit rerum Ecclesiasticarum moderator, ad servandam unitatem; justitia summa omnes decidit querelas, ad ipsum delatas; & de se ipso dicere potest, quod pauci asserere possunt, sed aliquando dixit *Cephalus Atheniensis* in Platonis operibus celebris, qui prope centesimum attingens annum & in continuis vivens negotiis atque occupationibus, tamen affirmavit, *quod neminem unquam in jus vocaverit, nec ab aliquo in jus vocatus fuerit*. Qui virtute muneris sui multas insignes familias à ruina præservavit, succurrendo in minorennitate sua circumventis, & persuadendo aliis, ut sobriè & parcè vivant. Imò ut ulterius probem, quam contentè vixerit ab omnibus actionibus iniquis & avaritia immunis, observare libet, quod sicuti neminem in jus vocavit, ita nunquam auxit pensiones, neque ejecit pensionarios ex suis bonis, neque permisit, ut simile quid cum Reginæ locata tenentibus fieret: actiones

dili-

diligenter hac ætate observandæ.

Verum quanquam bonus iste socius tanquam per speculum, quod deformem ostendit faciem alias pulchram, exhibeat Domini Burgley actiones; attamen examinet quis eas (actiones enim sunt ipsius) sine præjudicio, & recordetur non fuisse eum violentum aut inflatum, sed modestum semper & alios respicientem in negotiis publicis, nunquam fuisse durum & infensum contradicentibus, sed mansuetum & placabilem; neminem despexisse vel illusisse, sed certum semper extitisse & fidum: nunquam authoritate sua restitisse Legum justitiæ, sed cursum eidem permisisse semper: nunquam fuisse arrogantem & superbum, sed urbanum & affabilem omnibus, in negotiis suis onus potius sustinuisse, quam honore & lucro fruitum esse, vix aliquantum temporis curandæ valetudini suæ impendisse, & curis itineribusque surripuisse; neque pro se neque pro liberis suis desiderasse vel tantillum agrorum aut bonorum, ad illos pertinentium, qui aut criminis læsæ Majestatis aut aliorum facinorum rei fuerunt; nullum ambiisse beneficium, ex confiscatione consequendum: nunquam imperiosè se gessisse, & homines, cum quibus vincere Reginam posset, allexisse; verùm semper exhibuisse reginæ uniuscujusque merita & capacitatem: nunquam inquietasse aut offendisse reginam, imò ne irritasse quidem; verum semper studuisse ipsi placere, ejusque mitigare iram: semper se reverenter gessisse, & vixisse absque scandalo.

dalo quoad religionem, etiam sine criminis nota in privata vita sua. Consideret aliquis, ajo, absque malitiæ affectu ista singula, & videbit æquum esse, quod licet non in sanctorum numerum referatur Romæ, attamen pro Patre Patriæ habeatur in Anglia: & quamvis criminentur eum fugitivi, attamen innumeri orent pro ipso fideles subditi. Et tandem, quantumvis invidia ipsum feriat viventem, attamen mors ejus deplorabitur aliquando. Reverà multi Principes varios habuerunt servos fidelitate, gloria & capacitate insignes; sed ubi præclaræ mentis fuerunt dotes, abfuit temperamentum affectus: apud quos fuit capacitas & moderatio, defuit diligentia atque industria. Ubi omnia tria fuerunt, ibi defuit aliquando fidelitas atque integritas. Ubi aliqui pauci hæc quatuor possederunt, defuit ipsis tempus & experientia. Sed ubi hæc singula concurrunt, mirum esse nequit, si Princeps judicio pollens, constanter tali utatur ministro, eique confidat.

7. *De diversis specialibus mendaciis & cavillis per totum librum dispersis.*

ORdo cui homo hic insistit in libello suo, ejusmodi est, ut videatur intendisse excerpere collectanea quædam de rebus Anglicis, & inserere (quicquid tandem de ipsis fieret) innumera scommata, quæ putavit alias peritura; neque nihil minus voluisse, quam tractare materias propositas secundum Ordinis regulam, atque distinctum scriptio-
nis

nis genus. Postquam igitur in primariis membris, secundo scil. tertio & quarto, disposui dissolutum ejus & oberrantem discursum, inque eum redegi ordinem, quo Lector erudiri potest, satis erit, si nunc colligam quædam ex ἀμαργίας & extravagantibus mendaciis ac breviter censuræ subjiciam.

Pag. 9. inquit: quod Dominus Burghley neque magnitudine rosarii sui, ad crucem accedendo, neque externa devotionis specie coram altari magno, invenire potuerit ad dignitates accessum, Maria regnante. Quæ singula mera sunt figmenta: Nam Maria Regina in magno eum habuit honore, quoniam jura sua defendit semper, ideoque desideravit, ut perseveraret in officio suo, quod ipse recusavit: interea tamen omnibus, quæ tempus illud concessit, usus est libertatibus, & favore; præterquam quod Reginæ persuaderetur periculosum esse, si permitteret ipsi Regno excedere: fuit enim rerum agendarum peritissimus, illustrique functus erat officio; quod tamen nihilominus cum Cardinali Polo facere tandem permissus est.

Pag. eadem inquit: quod Nicolaus Bacon Eques, qui fuit Sigilli custos, fuerit homo admodum callidus, indicatque se haud probè cognoscere homines, convitia enim sua minus æque eructat. Universus namque orbis novit, fuisse Dn. Nicolaum Baconum virum apertum, integrum & constantem, absque calliditate ulla seu fraude: & credidisse, quod homo quicunque, cum in privatis suis actionibus & bonis, tum in publicis

eis negotiis debeat inniti integritati & virtuti rationis suæ, non vero dolosæ alios circumveniendi praxi: juxta illud *Salomonis*. *Vir prudens advertit ad gressus suos, stultus autem divertit ad dolos.* In tantum ut Episcopus Rosseus, vir subtilis atque Sagax de eo dixerit, *non posse se prævalere apud eum quicquam verbis & esse impossibile elicere ex illo, quoniam nunquam se venditet.* Et mater Regina Galliæ, admodum prudens fœmina de ipso dixit: *Dignum eum esse, qui in Hispania esset Consiliarius: solere enim quæ occurrunt contemnere, & acquiescere primo intentis.* Si hoc est callidum esse, difficile erit dictu, quis sit prudens.

Pag. 10. inquit: Quod Dominus Burghley pro stabilienda religione, cum Regina regnare inciperet, adinvenerit compositionis rationem; cum forma illa ante quiquennium & quod excurrit, regnante Eduardo hic recepta fuerit. Ita ut judicaverit satius esse, si tanquam Christianus, Politicus & consiliarius sequeretur exemplum, quam innovaret quicquam: elegit autem exemplum domesticum præ extraneo.

Pag. 41. inquit: Quod Catholici vitam nullius magni ex aulicis viri tentaverint, ut *Burcherus* (quem Puritanum appellat) fecit, vulnerando Nobilem, quem *Christophorum Hatten* fuisse putaverat; Sed quod magna virtute sua, modestia atque patientia demonstraverint, se multum ab hoc hominum genere differre. De *Burchero* notum, ipsum fuisse delirum, ut apparet non solum

ex insano ejus errore, sed etiam ex violentia, qua erga custodem suum usus est: & evidentissimè ex gestibus ejus, cum supplicio afficeretur. Sed de Pontificiis (de perfidorum genere loquor) dicere aliquis posset, quod *Cato* de *Cæsare* effatus est: *Eum ad evertendam Rempubl. sobrium accessisse.* Et communiter non Consiliarios intendunt, sed ipsam Reginæ sacratissimam personam (quam DEUS clementissimè protegat) ut apparet ex conspirationibus *Pommervile*, *Parry*, *Savagde & aliis*, imo defendere voluerunt in thesi, esse id Legitimum.

Pag. 43. *infit.* Quod Dn. Burghley, quem Archi-Politicum appellat, fraudulenter constituerit, ut Sacerdos accusatus, multis odiosis oneretur. Sed hic magnam ostendit ignorantiam, si non malitiam; Leges enim non permittunt variationem in antiquis accusationum formulis, Ex. gr. licet quis bona quædam auferat ratione maxime quietâ, attamen formula habet: *Quare vi & armis*; etsi aliquis in alterius fundum eat, nec amplius quicquam faciat: Actor ait: *quod herbam suam ibidem crescentem, cum Equis, bobus, porcis & bidentibus depastus sit, conculcavit & consumpsit*: neque hoc absurdum est: nam in omnium legum praxi formulæ paucæ sunt & certæ, nec mutatæ ad casus particulares quoscunque. In actione vero criminis læsæ Majestatis, non tam longinque petitur, ut in aliis delictis. Lex enim semper in perduellione præsumit intentionem

nem ſubvertendi Rempubl. & lædendi Majeſtatem Regiam.

Pag. 45. *& alibi* de Pontificiorum perſecutionibus locutus, ſemper meminit exenterationis & combuſtionis viſcerum humanorum: ac ſi eſſent tormenta nuper inventa; cautè enim & malitiosè ſupprimit, quod Lex & conſuetudo regionis hujus ex longo tempore irrogaverit pœnam hanc perduellibus, nec permiſerit aliam: *Eſt* autem pœna, magni quidem terroris, attamen ratione citæ mortis, minoris tormenti, quam vel cruri-fractio per rotam, vel exuſtio per forcipes, imò ſimplex combuſtio.

Pag. 48. *ait*: Angliam confœderatam eſſe Turcis: ubi, ſi id concludit ex eo, quoniam mercatores noſtri habent Reſidentem Conſtantinopoli, quid reſpondebit de omnibus Galliæ Regibus, inde à Franciſco I. qui boni fuerunt Catholici? de Imperatore, de ipſo Hiſpaniarum Rege? De Venetorum Senatu & Rebuspubl. aliis, quæ diu in aula illa ſuos habuerunt Legatos; Si vero exinde, quod Turca ſpeciali affecit honore Legatum noſtrum (ſi ita eum appellare libet) tenemur ea de cauſa Hiſpaniarum Regi. Honor enim quem acquiſivimus ab eo, nos ipſi opponendo, conciliavit nobis magnam in orbe exiſtimationem. Si vero exiſtimat propenſum in nos eſſe Turcam, ob imaginum abolitionem, conſideret poſthac, quam ſcandaloſa res ſit in Eccleſia imago: fuit enim inter alias cauſas principes, quibus Mahumetiſmus introductus eſt.

Pag. 65. *refert*: quod Cardinalis Alben, nuper parum à Papali dignitate abfuerit: & vult Catholicis hic persuadere, quod aliquando, intra quinque vel sex annos (nam communiter Papa diutius sedere non solet) possit obtinere, quicquid nunc consuetum non esset. Hoc verò apertè falsum est; Certum est enim ex conclavibus omnibus inde à Sixto V. qui Galero hunc donavit, quod ne quidem sit verisimile: imò Rex Hispaniæ, qui Romanæ Ecclesiæ patrocinatus est, ex quo in Patronum verum assumptus est: ita ut ad Sedem hanc præsentet, quemcunque vult; nunquam tamen ausus est, pro ipso ambire Dignitatem hanc: neque nominavit ipsum in inclusivo narrationis suæ. Illi autem, qui perspecta habent conclavis negotia, norunt, non esse ad Pontificatum aptum. Primò enim est Ultramontanus, qualis in his quinquaginta annis nemo factus est Pontifex: Deinde quoniam est Cardinalis eleemosynatum Hispaniæ, ideoque Regi huic dicatus in totum. Tertiò, quia præsumitur insumpturus Papatûs thesauros atque beneficia Anglicis negotiis, & subsidiis atque promotionibus fugitivorum ex Anglia, egenorum conterraneorum suorum: Nimium igitur de simplicitate Lectoris sui præsumpsit Autor.

Pag. 55. & 70. *ait*: Dominum Burghley voluisse nepoti suo Wilhelmo Cecilio connubio jungere Dominam Arbellam: quod merum est figmentum, & absque ullis circumstantiis id comprobantibus: nisi quod ambo

ambo sint cœlibes, & ætate pares: non aliud igitur meretur hoc responsum. Verum quidem est, Dominum Burghley non Stoicum, neque affectibus erga liberos suos vacuum, (nam *Charitas Reipub. incipit à Familia*) & annisus est, ut illis honestas atque probas desponsaret Familias, adeo tamen non intendit se altiora, ut privatus ex Northamtonia nobilis semper ruri vivens, sponsis illustrioribus elocaverit filias suas, quam ipse. Nec innotuit, quod vellet unquam seu affectaret liberos suos sanguini immiscere regio. Prudentia ejus, quæ tamdiu in colligendo occupata fuit, docuit ipsum, satius esse relinquere posteritati suæ securitatem, quam pericula. Miror etiam, ubinam sint combinationes illæ cum viris illustribus, populares etiam & plausibiles methodi, quæ ejusmodi comitantur actiones, de quibus loquitur Autor: ideoque connubium hoc ejusdem est rationis cum illo, quod inter eandem Dominam Arbellam fingit, atque Leicestriæ Comitem, cum esset unius anni infans.

Pag. 70. inquit: quod Dominus Burghley continuo sollicitet Reginam, ut filius ejus maximus natu, Hiberniæ Pro-Rex constituatur. Ac si hoc tam egregium esset officium: nam omnes Pro-Reges seu Delegati, ex quo Regina imperavit (præter Comitem Susscxiæ & Dominum Grey) fuerunt viri multo inferiores, quam Thomas Cecilius Eques: & omne quod hoc munere acquiritur, est conservatio propriarum opum, durante

rante illa dignitate seu ministerio; quæ opes etiam fortassis servantur, cum aliqua gratiæ regiæ in reditu jactura.

Pag. ead. inquit: quod evexerit ad Consiliarii munus filium suum secundo genitum Robertum Cecilium, omnis ingenii atque experientiæ expertem. Quod æque verum est, ut alia in hoc libro minime vera. Fatentur enim in Anglia omnes qui norunt hominem, esse excellentissimi ingenii & singulari disserendi atque applicandi dono præditum: sive in continuo sermone, sive negotiis intercedentibus, sive in scriptione, sive in referendo, sive discretè considerando circumstantias & concinnè deducendo ad scopum: hisque omnibus juncta est indoles optima, atque erga omnes humanitas, quotidie magis magisque enitens. Quoad experientiam vero ejus, facilè colligere licet, quod ejus educatio & subsidia tantam jam fecerint, quantam alii longo ministerio non assecuti sunt. Si igitur verum est: *Qui officium digno dat, omnes obligat*, non solum parens ejus, verum etiam respubl. tenetur Reginæ, quoniam ejusmodi idoneum & dignum elegit ministrum.

Sunt præterea & alia stulta absurdaque in hoc libro, quæ si eloquens Scholasticus in manibus haberet, non solum odiosum, verum & contemptibilem & ridiculum propinaret orbi. Sed prætereo ea; & ista quæ dicta sunt, non ob Autoris, sed rerum dignitatem prolata sunt: tractavit enim thema supra captum suum.

S. *De*

8. De Summa horum hominum impudentia in publicandis, asserendisque mendaciis, ita ut recenseantur specialia quædam, quæ sint exemplorum instar.

HOmines isti singularem genium atque facultatem mentiendi & illudendi mundo nacti sunt: & talem quidem, ut cum teneantur redimere speciales dispensationes aliorum peccatorum, habeant dispensationem continuam mentiendi pro catholica causa: quod movet me, ut Lectori præbeam mendaciorum prægustum, qualia hic inseruit, nec admodum sunt rudia atque palpabilia: desiderans, ut ex propriis ipsorum scriptis, si quando ad manus ejus perveniant, augere eorum catalogum velit, ad minimum in memoria sua. In Calendario nostro non alia conservavimus festa, quam illa, quorum mentio fit in Scriptura: ideoque in honorem Virginis Deiparæ recipimus tantum Annunciationis & Purificationis festa; omittentes conceptionis & nativitatis, quorum hoc die octavo Septembris celebrari consuevit: in cujus vigilias fortè fortuna incidit nativitas Reginæ nostræ, quam licet pro sancta non habeamus, attamen solemus in die illo diversa civilis gaudii atque gratulationis solennia perficere: ut sunt Campanarum pulsatio, luminum accensio, & similia: & sic mentionem ejus in calendario nostro facimus. Hinc propalarunt: expunxisse nos *Virginis Beatæ* nativitatem, atque inseruisse nativita-

tivitatem Reginæ nostræ: & præterea, quod cantemus in ejus honorem hymnos certos, *Deiparæ* cani solitos.

Accidit, ut occasione sanguinis effusi in S. Pauli templo, juxta Jus Canonicum apud nos adhuc vigens, templum prædictum interdiceretur, atque per dies aliquot ejusdem occlusæ essent januæ; inde propalarunt, quoniam templum illud est locus, in quo populus deambulare solet & confabulari, Reginam ad imitationem Tyrannorum veterum prohibuisse omnes conventus & populi congressus; ideoque ex suspicione infensissima jussisse claudere templi Paulini portas.

Porta Londinensis (*Lud-gate* vulgo dicta) cum ruinæ proxima esset, dejecta fuit, & reædificata, atque ex altera parte posita fuit Regis Lud imago ejusque filiorum duorum; qui, quia nomen dederat portæ, fundator ejus fuisse existimabatur; ex altera verò parte Reginæ effigies posita fuit, quoniam porta hæc reædificata fuit, ea imperante: Inde in publicum ediderunt, Reginam post omnes Sanctorum imagines dejectas, nunc suam erexisse in primariâ urbis porta, omnesque transeuntes cogi reverentiam ei exhibere; ordinasse enim, ut miles ad eam excubias agat. Juellus Sarisburiensis Episcopus, qui ut in vita ejus refertur, placida morte obivit; atque patienter se gessit; morte imminente illa hymni verba ingeminavit: *In Te DEUM speravi, non confundar in æternum*: hæc ultima, suppressis reliquis; publi-

carunt

carunt verba, asserentes hæreticorum hyperaspystem in ultimis exclamasse; *se confusum esse.*

In libello recognitionis primo, quo jus ad Regnum à Parlamento agnoscitur in Regina esse (cujus simile *Maria* regnante factum est) verba limitationis sunt: *In Reginæ & hæredibus naturalibus ex utero ejus, & legitimis successoribus*: hic verbum *naturalibus* malitiosè & deperditè interpretantur, videlicet fuisse Parlamenti intentionem obscuris verbis conferre Regnum ad quamcunque Reginæ sobolem, etiam illegitimam. Cum hæredis vocabulum apud nos adeo necessario importet Legitimum, ut indecorum sit & impudens aliter loqui de Principis progenie.

Ediderunt quondam librum cum imaginibus & figuris persecutionum adversus Pontificios, in quo non solum recensent historias ante 50. annos actas, ad supplendum paginas; sed etiam inserunt persecutiones primitivæ Ecclesiæ sub Imperatoribus paganis, rebúsque in Anglia gestis applicant. Ex. gr. Sacerdotes pellibus ursorum insutos & à canibus discerptos & simil.

Concludo igitur nescire me, quid ex istis mendaciis assertis conficere debeam, nisi, quod in Choro suo intonare possint: *Linguam nostram magnificabimus, labia nostra nobis sunt*; & quod illi, qui perdiderunt verbum DEI, quod est Lydius lapis, nunc cogantur apprehendere cotem, & quod, postquam cornuit fetus amentitorum miraculorum

columna, nunc coguntur fulcire se mendacibus calumniis, ita ut libelli famosi succedant Legendis fabulosis.

VERA RELATIO

CONSPIRATIONIS ABOMINANDÆ

à Roderico Lopez, Doct. Med. in Reginæ Sacratissimam Personam Designatæ, quam, pecunia ab Hispaniarum Rege corruptus, veneno tollere sategit, cum certis circumstantiis & in adornando & detegendo eam observatis.

Scripta, cum Regina adhuc in vivis esset.

HIspaniarum Rex videns ex illo, quod anno 1588. attentaverat, difficile Angliam invadi posse; ab illo tempore Gallorum motibus se immiscuit (quod facilius erat negotium & magis præparatum) seposuitque aliquandiu adversus Angliam tentamina sua per vim apertam; Scit enim esse media sua utrique adversus Angliam & Galliam actioni imparia. Ideoque eligens quod facillimum esset, omnem vim in Gallos convertit, interea defensive solum in

Belgio

Belgio se gerens. Ast iterum videns auxiliares copias, à Regina Galliæ Regi submissas, impedire & infringere inibi potentiam suam, & suo resistere proposito: nuper intendit omni conatu turbare hic aquam, & moliri aliquod opus, quo citra diversionem, aut adhibitionem magnorum exercituum, auxilia nostra arcere possit à Gallis.

Juxta propositum hoc tentavit primo innovationem quandam in Scotia; non tam spe abstrahendi Regem ab Amicitia Reginæ, quam ardore constituendi factionem adversus Regem ipsum, qua impelli possit, ut in auxilium vocet Reginæ exercitus. Deinde sollicitavit hujus regis subditum, (hominem præclaræ nobilitatis) ut arma susciperet, bellumque adversus Reginam gereret: quod ille idem Nobilis pro fidelitate & prudentia sua detexit. Et tandem (potius, ut judicare fas est) instigatione perfidorum hominum, qui à nobis ad exteras fugerunt nationes, & pessimorum Consiliariorum aut Ministrorum, quam indole propria aut inclinatione, ad illud devenit, quod est contra omnem honestatem, societatem & humanitatem, DEO hominibusque exosum, ab ipsis etiam gentilibus abominandum: scil. Reginæ adimere vitam (quam DEUS clementissime servet) vel violentia vel veneno. Et posset probari, hoc non esse solum ejusmodi facinus contra omnes Christianismi regulas & religionem, verum etiam contra naturam, Gentium leges, armorum honestatem, civiles leges, Morum & Politiæ regulas; &

denique esse maximè damnandum, barbarum, ferinumque, quàm imaginari licet, actum; imò (supposito lites & hostilitates inter Principes, nunquam adeo lethales esse atque exitiosas) nisi esset probrum seculi, atque negari posset olim, nunquam certe defendi posset. Permitto igitur facinus hoc censuræ, quam Titus Livius in simili casu de *Perseo* ultimo Macedonum Rege, cum liberis à Romanis capto, & in triumphum ducto, pronunciat; *Quem non justum bellum gerere, regio animo, sed per omnia clandestina grassari scelera, latrociniorum ac veneficiorum cernebant.*

Porro certum est, circa hoc ipsum tempus subornatos, & in hoc regnum missos esse multos, tum Anglos, tum Hibernos, pecunia & promissis corruptos, qui constituerunt & juramento à Sacerdotibus adacti sunt in confessionibus, exequi maxime execrandum & horribile illud factum. Sed aliqui ex iis capti atque puniti, aliis venia concessa, quoniam vehementi cum dolore confessi, hanc suam intentionem, atque detestati sunt se subornantes. Et si conjicere licet, quæ sit causa cur maledicta hæc actio, tam fervide & diligenter fuerit tractata; existimo factum fuisse, quoniam res Gallicæ maturuerunt, & Rex Hispaniæ paratus fuit in Gallia metere, quæ dudum sevit; Videbatur enim divisum in confœderatos, quoniam eorum Primarii Regi reconciliati essent, & tumultuosi alii, capite destituti, videbantur se permissuri Regis Hispaniæ armis,

 mis,

mis, atque alienaturi à regno magni momenti partem; quanquam ex isto, quod Rex in Parisiorum urbem receptus sit, colligi potuisset, quod etiam Ligistarum vehementissimi, sub conditionibus æquis se submissuri sint Regi suo legitimo, taliter proficiendi robore & existimatione: atque Hispaniæ Rex secunda initurus sit consilia, antequam de novo aliquid adversus Galliam tentet. Verùm sumamus res, ubi erant antequam hoc inopinatè accideret, in specie respectu Consilii Hispanici durante hac expectata messe sua, certe Consiliarii ejus rationem habuerunt optandi, ut hinc non disturbarentur; existimarunt enim, quod si Regina sublata esset (in cujus Personam continuet DEUS specialem custodiam suam atque providentiam) confusionem hic fore miram, quam ali posse à se exiguis tum sumtibus, tum exercitibus, donec magis feliciter juxta inveteratam malitiam suam possint inducere hujus regni ruinam.

Inter omnes vero execrabiles hujus consilii executores, nulli plus Magnates illi confisi sunt, quam huic Medico *Lopez*, neque (ut verum fatear) alius ipso ad id perficiendum magis fuit aptus: sive consideres instrumenti aptitudinem; aut subtilitatem, aut quam secretè egerit, aut astutiam & elabendi modum, quem paraverat, si forte in quæstionem veniret. Nam primo cum aliis difficultates innumeræ obveniant, antequam opportunitatem tam execrando facinori justificando reperire possint; & præterea non nisi

nisi mortem præsentissimam cernant & certissimam: ideoque necesse est, ut sint quasi diris devoti, qui id suscipiunt: homo iste, quoniam ad Reginam intime admitteretur, non tantum media ad illud perpetrandum, verum etiam ad concelandum habuit: potuitque metere veneficii sui fructum absque periculo manifesto. Complices vero ejus cum essent Portugalli, Regis *Antonii*, Hispaniæ Regis infensissimi hostis, ministri; nequidem in suspicionem pervenire potuerunt; miserunt ergo in Hispaniam receperuntque literas minime suspecti, tanquam Domini sui commodum hoc epistolarum commercio in ista regione intendentes. Elabendi vero modum Lopezius ejusmodi præparavit, ne, nisi factum exactissime perquireretur, deprehendi posset: statuit enim dicere, voluisse se tantum imponere Hispaniarum Regi absque mala in Reginam voluntate: hac ratione fere similis Parrio peritissimo atque fraudulentissimo perduelli.

Nihilominus actio hæc, summa DEI bonitate incidens in manus honestorum atque peritorum hominum, tanta nec indigna diligentia fuit pertractata, ut hic personatæ atque transfiguratæ perduellionis Proteus, tandem in sua propria apparuerit forma & coloribus, qui turpissimi & monstrosissimi omnium visi sunt. Nam quidam ex Reginæ Consiliariis dudum existimarunt: quod satellites Antonii Regis, (de quibusdam loquor) hoc perduellionis genus probabiliter designaverint, exules enim fuerint miseri,

de

de Domini sui fortuna desperantes, ideoque forsan intendentes reconciliare sibi patriam per ejusmodi scelus. Hinc Consiliarii isti diligenter observarunt eos. Et prudens hæc sagaxque præsumptio, juncta iis, quæ ab exteris cognoscebantur, atque industria, prima fuit causa (post DEI benedictionem magnam, qui Principibus fidos dat Consiliarios: Consiliariis autem cogitationes sapientes, & ingenium prudens) revelatæ & detectæ proditionis, quæ eo ordine & modo, qui subnectitur, designata fuit.

Lopez natione Portugallus, religione autem, ut putabatur Judæus, quamvis hic se tanquam Christianum gesserit) diu in hoc regno medicinam exercuit; cujus occasione (erga omnes vere officiosus, & in conversatione perquam acceptus, hoc respectu magis, quam eruditione sua) in aula etiam innotuit atque gratiam assecutus est, aliquot abhinc annis juratus apud Reginæ domesticos Medicus constitutus, & Reginæ liberalitate, à qua varia acquisivit dona, apprimè insignia, sat opulentus factus est.

Insinuaverat se etiam in Antonii Regis favorem, (ejusdem cum ipso nationis) cujus causam se hic promoturum, obtendit, præsertim cùm aliqua fortunæ ejus spes affulgeret, & à quo (tanquam omnes labores suos pecunia vendens) 50000. coronatorum in Portugallia persolvendorum, assignationem acceperat. Sed quoniam erat corruptissimæ & tantum mercenariæ indolis, atque spem suam ex illa parte vidit esse incertam, fixit

oculos in eum, qui plus largiri posset; atque clam obtulit servitia sua Hispaniæ Regi: perscripsitque ei, quæ hic agerentur, & Regi Hispaniæ nosse multum interetat: multum enim ex continua in aulam admissione; quæ magni essent momenti didicit. Hæc autem communicavit cum *Bernhardino Mendoza*, *Antonio Vega*, *Roderico Marquez* aliisque.

In perferendis literis, atque oblatione servitiorum suorum Hispaniarum Regi, usus est inter alios *Manuele Andrada*, Portugallo, qui à Don Antonio Rege deficiens, atque Regi Hispaniæ adhærens, putabatur fuisse author mortis Antonii, atque tradidisse *Bernardino Mendozæ*. Huc veniens homo iste ex literis interceptis cognitus, eadem de causa apprehensus est, atque in carcerem conjectus. Sed jam ante illud tempus aliæ interceptæ erant epistolæ, in quibus Andradi dictus Mendozæ scripserat, se pertraxisse Doctorem Lopez ad Regis servitia. Lopez igitur, hoc percipiens adiit Andradam eique persuasit, ut assereret, se, quod de Lopezio scripserat, finxisse, quo fidem sibi conciliare posset apud Mendozam, eique suam approbare industriam & obsequium. Ut autem moveret Andradam Lopezius, promisit ipsi, si ita se excusaret, liberationem ex carcere; cum si pergeret accusare, nullum liberationis superesset medium. Andrada igitur examinatus, respondit ut à Lopezio edoctus fuerat: Lopez etiam sic à suspicione liberatus Andradæ intercessor factus est,

cal-

callide asserens; posse eum magno usui esse Antonio Regi: & sic assecutus est quod voluit. Andrada è carcere dimissus, in Hispaniam etiam proficisci permissus est, sub prætextu (ut ferebat) Domini Antonii commoda observaturus; sed revera continuaturus Lopezii negotia & literaria cum Hispaniæ Rege commercia? quæ etiam tam feliciter pertractavit, ut rediens in magnum Lopezii solatium attulerit ei à Rege præter gratiarum actiones, adhortationes & consuetas testandæ Gratiæ regiæ formulas, monile variis pretiosis gemmis exornatum. Monile cum acceptasset Lopezius, astute secum cogitavit; quod si offerret illud Reginæ, non accepturam esse; & posse eam hac ratione securam reddi, quo circa majora non diffidat sibi, juxta illud: *Fraus sibi fidem in parvu præstruit, ut in magnis opprimat*; quod etiam præstitit cum magnis fidelitatis suæ asseverationibus. Regina autem Princeps magnanima, neque timere apta neque suspicari, reddidit ipsi multa gratiosè præfata.

Postquam sic illusisset Reginæ Lopez & fidelitatis specimina vidisset in Andrada, collocuti sunt (incipiente Andrada, nuper ex Hispania reverso) de Regina veneno tollenda, assensitque Lopez quanquam vidit in literis regiis nullam ejus expressam mentionem fieri, neque posse inde magnam ab Hispaniæ Rege mercedem sperari, talem scilicet quæ opulento homini, qualis ipse erat, grata esse queat. Perficit igitur, ut Andrada denuo in Hispaniam mittatur æque ad indicandum & asseverandum facinus hoc Regi, tum mini-

ſtris ejus (& nominatim *Comiti de Fuentes*, Aſſiſtenti Generali Exercituum Hiſpanicorum in Belgio) ac ad paciſcendum de mercede certa. Andrada, recipiens inſtructionem ſuam, & pecuniam à Domino Antonio, procurante Lopez, qui in iſtius ſervitiis occupari putabatur, Caletum ivit, ibique remanſit, qui continuo hinc ad Lopezum iret rediretque; per hunc etiam (ut tanto melius fucum faceret operi ſuo) perſcripſit ad Lopezium nova, ut inter ipſos convenerat: juſſit enim Lopez ut ſcriberet nova quæcunque obvia. Hinc deinde ad Comitem de Fuentes perſcripſit Lopezii promiſſum atque poſtulatum: quam epiſtolam cum accepiſſet Comes, paulo poſt in Hiſpaniam miſſurus atque reſponſionem accepturus, jungit ſibi Stephanum Ibarra, Conſilii bellici Secretarium in Belgio, & vocat ad ſe Manuelem Ludovicum Tinoco, Portugallum, Antonii quoque Regis quondam miniſtrum; de cujus fide certus erat ex eo, quod jam duos literarum faſciculos ſibi attulerat, ab Antonio Rege ipſi commiſſos, ut in Galliam deferret. De hoc Ludovico primò juramentum exegerunt ſolenne, manus ejus ſuis implicantes, quod revelaturus non ſit, quicquid ipſi nunc manifeſtaturi eſſent; & quod nunquam detecturus ſit, licet apprehenderetur & examinaretur. Hoc facto oſtendunt ipſi Andradæ epiſtolam, mandantque ut Caletum tranſiens loquatur cum ipſo, atque ad Lopezium in Angliam eat; diriguntque porrò ad Stephanum Fer-

rera de Gama, indicantque Lopezio (quasi Regis nomine) quod non confidat Andradæ, ceu homini minus ad tantum opus idoneo; ideoque valde se mirari, quod hac de re nihil à Ferrera audiverit, qui Regi asseruisset officiosam mentem ejus. Fuit autem Ferrera hic prædives antehac in Portugallia homo, perdideratque opes suas adhærendo Antonio Regi; & videtur fuisse homo ingenii sufficientis atque rerum agendarum peritus; verum aliquot abhinc annis pertractus erat ad Regis Hispanici servitia, non quidem hinc inde transiens, sed in Anglia residens, ceu ejus Cliens.

Manuel Ludovicus his cum instructionibus dimissus, omnibusque à Comite ad Lopezium amoris contestationibus, literis etiam ad Ferreram iter ingressus est, primo Caletum versus, ubi cum Andrada collocutus est, ab eoque majorem adhuc informationem, ut & brevem fidei tesseram, quod esset vir, cui Lopez absque omni hæsitatione fidere possit, consecutus, in Angliam deinde venit. Ferreram primo adiit, indicavitque ei, quod esset negotium suum; Ferrera autem jam ante hoc tempus Lopezio declaraverat, se non ignarum esse rerum, quæ agerentur ipsum inter & Andradam; (Andrada enim indicaverat eas aliquatenus Ferreræ.) Lopez igitur ad Regis mandatum & ministrorum ejus desiderium communicavit cum Ferrera, quæ cum Andrada inceperat, atque aperte cum ipso se acturum simulavit. Callide itaque abstinuit à colloquio cum

Manuele Ludovico, jussitque ut Ferrera sit quasi canalis suus, & per ipsius manus dirigerentur omnia, existimans se hac ratione fore invisibilem.

Deinde judicavit haud tutum esse uti opera Manuelis Ludovici, qui rei hujus conscius factus erat, tanquam malefidus tabellarius: Epistolas etiam cyphris scribendas esse, quæ non literas alphabeti, sed verba designent; & expositæ vehementem non gignant suspicionem. Manuel igitur Ludovicus reverti jussus est cum responso brevi. Lopez vero elegit quendam vilem Portugallum, cui nomen Gomes d'Avila, sibi habitatione vicinum, ad ferendas epistolas suas. Hoc tabellario electo, Lopez & Ferrera consenserunt, ut scriberet ad Comitem de Fuentes & Secretarium Juarram Ferrera, ipse etiam signaret epistolam (Lopez enim asturè à scriptione abstinuit) sed dictaret de verbo ad verbum ipse Lopezius. Contenta fuerunt: Lopezium paratum esse exequi hoc Regis servitium, de quo antea fuerat tractatum; requirere autem præmii loco 50000. coronatorum, atque certitudinem de iis.

Epistola hæc (ut videtur) obscurè consignabatur & quasi terminis mercatoriis: & cum Ferrera adversus hanc obscuritatem exciperet, respondit Lopez, nosse illos mentem suam, ex eo, quod antehac actum esset. Ferrera scripsit etiam ad Manuelem Ludovicum, sed præcepit Gomezio, ut traderet ei literas istas præsente Juarra: ut & Epi-

stolam

stolam ad Juarram præsente Manuele Ludovico. Epistolæ igitur hæ Gomezio d' Avila traditæ sunt ut Bruxellas deferret; salvi conductus literas acquisivit ei Lopez atque sumptus suppeditavit. Ferrera autem, ut approbaret industriam suam, bina vice scripsit, semel per Emanuelem Palacium, conscio Lopezio, ad Christophorum Moro primarium Regis Hispaniæ Consiliarium, significans Lopezium pertractum ad Regis Hispaniæ partes, promptum esse ad audienda mandata ejus: recepit etiam responsum ab eodem Christophoro Moro ad alteram harum epistolarum, ostenditque illud Lopezio. Interea Lopez quamvis, ut videtur, obtusi ingenii homo fuerit, extitit tamen revera callidus, ut qui rerum gerendarum minime esset ignarus, & præterea tam astutus, qualem timor & avaritia facere possent: providere sibi voluit de plurimis (ut etiam supra dictum est) elabendi rimis; si quicquam ho-um detegeretur. Primo opportunitatem quæsivit per verba quædam generalia Reginæ d indigitandi, ut per quæstionem illam: *An decipientem non liceat decipere?* ad quam egina, (non existimans quod verba hæc de-erent conspirationem ejus horrendam congere, sed indole suâ ad integritatem & iceritatem prona) illegitimum id esse, sique displicere ostendit. Deinde putavit se ignum confecisse mysterium summam ooo. Coronatorum poscens, respondit m illi, quam ei Don Antonio donare vorat; imprudenter & frustra fingens, posse se, si

se, si acciperet eam pecuniam, excusari, quasi Rex Hispaniæ restituisset; quæ perdidisset ab Antonio deficiens: & dignum esse ut Hispaniæ Rex non permittat eum sic perdere quicquam. Tertio cum collocutus cum Ferrera quæreretur, qua ratione propinare velit Reginæ venenum, regessit: in Syrupo; apprime sciens, non solere Reginam Syrupo unquam uti: & hoc posse se justificare, si quando institueretur inquisitio.

Interea prædæ cupidus, quam spe jamdum devoraverat, importune apud Ferreram responsum ursit ultimum; & moræ impatiens iteravit asseverationes suas ac promptitudinem ad parandum illud, si de pecunia sua certus esse possit.

Jam vero antequam Gomez d'Avila reverteretur in Angliam, hic Stephanus detegebatur, tanquam consilia cum inimicis communicans; ita tamen ut particularia negotiationis ejus non apparerent. Videbatur tantum magni esse momenti, quodcunque tractaret. In carcerem igitur detrudebatur. Paulo post advenit d'Avila, affertque literas à solo Manuele Ludovico, sub nomine Francisci de Thores; quoniam (ut videtur) Magnates illi alieni in hoc à Lopezio fuerunt, neque per tam abjectum tabellarium scribere voluerunt, sed perseverarunt in fide atque ministerio Manuelis Ludovici, qui fortassis tam diu ibi detentus est, donec plenum ex Hispania adveniret responsum, quod post duos demum menses subsecutum est. Gomezius hic apprehendebatur cum appelleret, & ei-

& epiſtolæ reperiebantur apud eum (ut ſupra dictum) ciphris, verba ſignificantibus, ſcriptæ, ideoque ſuſpectæ quadantenus, ut ex his verbis apparet. *Harum lator indicabit Tibi pretium, quo æſtimantur margaritæ tuæ,& quid ſtatuimus de exiguo Muſco & ambra, quæ emere cupio.* Verba enim hæc,ipſo Manuele Ludovico poſtmodum fatente, ſic interpretati ſunt. *Margaritarum licitatio* denotavit, acceptaſſe Comitem de Fuentes & Secretarium libenter quæ Lopezius de interimenda Regina promiſerat; Ambræ vero & Muſci emptio denotavit, Comitem brevi expectare Hiſpaniæ Regis voluntatem de arduo negotio, i. e. combuſtione navium Anglicanarum, & rebus aliis, quibus animum ſuum vindictæ cupidum lenire poſſent.

Cum autem hujus Epiſtolæ ſenſus ambiguus permaneret, nec aliquid in ſpecie Ferrera confiteretur, neque ſufficiens rigoroſi examinis cauſa daretur, adeſt Manuel Ludovicus Regis ſententiam ex Hiſpania afferens, ſed audiens Ferreram in carcere detineri, ignarusque quantum hac de re jam innotuiſſet; ut fucum faciat, ſimulat ſe allaboraturum, ut quædam detegere queat, & ſic ſalvi Conductus litteras acquirit. Sed admiſſus nil plane revelavit, ſed ut illuderet, alia ratione ſtuduit. Cum autem ſic lumen adhuc intra nubes detineretur, ſchedula reperta eſt à Ferrera in carcere ſcripta, qui Lopezium concelare atque à periculo præſervare cupiat, atque ſic omnes ulteriores inquiſi-

quisitiones præcludere. Lopez igitur hinc primo in quæstionem vocatus est.

Sed tandem cum omni conatu atque sagacitate magis magisque inquireretur, acquisitæ sunt primo à Manuele Ludovico Epistolæ à Comite de Fuentes & Secretario de Juarra ad Ferreram scriptæ: in quibus ambabus mentio de Reginæ morte facta erat. In Comitis epistola sub termino *Commissionis*, in Secretarii autem, sub voce *Magni servitii*, unde universale beneficium, toti mundo proficuum, enasci posset. Sic etiam Cambii epistolæ à Gonzalo Gomez scriptæ, ad Petrum de Carrera una; ad Joannem Pallacium altera; quibus permissum fuit Manueli Ludovico sub fictitio nomine Fr. de Thores recipere pecuniam sine limitatione, ita ut videri possit quamcunque Summam ipsi fuisse concessam. Literas has Comes de Fuentes ipse tradidit Ludovico, jussitque Lopezio ostendere, quo de mercede sua certus esse possit; huic enim certitudini innitebatur solùm Lopezii facinus. Atque tantò præcipitio insistebat Reginæ vita, ab avaritia in malitiæ & ambitionis manus vendita, sed extraordinarie conservata à *Custode illo, qui nunquam dormit*. Hi ipsi Emanuel Ludovicus, & Stephanus Ferrera, quorum alter foris hoc tractavit negotium, alter vero hic residens, & omnia perscribens, nunquam autem congredientes ambo; postquam reversus esset Emanuel, seorsim examinati absque tortura aut minis lubentes tandem & aperte omnia sunt confessi, uti hic

hic narrata sunt. In Confessionibus suis etiam consenserunt atque idem asseruere: non tantum quoad substantiam, verum etiam in singulis membris & circumstantiis: quæ confessiones extant vernacula ipsorum lingua, munitæ manuum propriarum subscriptione, atque in publico consessu cum accusaretur Lopez in Curia aurata confirmatæ sunt ab ipsis, atque comprobatæ in Lopezii faciem: extant etiam ipsæ literæ authenticæ à Comite de Fuentes, Secretario Juarra & reliquis scriptæ.

Lopezius quidem pernegavit facinus in prima apprehensione & examine, imo horrendis cum execrationibus omnia cum Andrada vel Ferrera colloquia pernegavit: & quæsitus, quid dicturus esset, si probaretur adversus eum? respondit, se fassurum, reum se esse quoad intentionem. Verum cum adversus ipsum adduceretur Ferrera, constanter id asserens, atque in memoriam revocans tempora & loca colloquiorum, tandem confessus est scelus, ut apparet ex confessione ejus scripta, propriaque ipsius manu signata. Deinde autem ad hoc leve delapsus est effugium; quod voluerit solum dolo hoc Hispaniæ Regi pecuniam extorquere, & huic assertioni acquievit convictus, licet ultimo suam retractasset confessionem; & deinde interrogatus, an tortura vel veniæ promissione adductus, Confessionem istam ediderit, aperte testatus est, nihil illorum adversus se adhibitum fuisse.

Ast nullam esse excusationem hanc, qua unus-

unusquisque perfidus uti potest, tribus evincitur argumentis. Primo quod nunquam indicaverit hoc negotium Reginæ, ad quam ipsi aditus semper patuit; neque cuidam Status Consiliario, ut permissionem acquireret ad alliciendum illos ulterius, cum quibus tractavit, si ita videretur congruum: habuisset enim fortassis hac ratione opportunitatem grata præstandi officia, in detegendis machinationibus eorum adversus Reginæ vitam. Secundo nimis sero ad hoc devenit effugium, jamdum enim prodiderat Conscientiam suam sontem, pernegando negotiationes illas & colloquia, neque prius hoc adinvenit, donec illa evidenter & manifeste contra eum probata essent. Tertio collocutus cum Ferrera de modo quo mercedis suæ certus esse posset, satius ipsi visum est, si esset pecunia in manu mercatorum Antwerpiensium, quos ipse nominaret; quam ut in Angliam afferretur: statuit enim post facinus peractum, statim Antwerpiam fugere, ibique morari aliquandiu, ac postea Constantinopolin adire, ubi morari dicitur Don Salomo Judæus, Lopezii consanguineus. Hinc ergo patet, quod Lopezius ordinaverit res suas, supponendo facinus peractum.

Sic apparet, quam justè Lopezius sit condemnatus ob maximum læsæ Majestatis crimen, & quomodo Divina benignitate Regina fuerit conservata. Revera etiam si ingenuè consideretur, difficile dictu erit: utrum DEUS majora fecerit per eam, aut pro ea.

Si obſerves ex una parte, quomodo beaverit DEUS ejus gubernationem, ita ut poſſit frangere & evertere injuſtam duorum potentium Dominorum ambitionem, Regis ſcil. Hiſpaniæ & Epiſcopi Romani, nunquam alias tam arctè inter ſe unitorum; & ex altera parte, quam potenter Deus protexerit ipſam, tam adverſus exterorum invaſiones, quam internos motus; & in ſpecie adverſus ſecretas in vitam ejus conjurationes, oſtendens palam, velle, ſe reverà conſervare inſtrumentum illud, quod magnificavit. Sed mirum in modum corrupta ſunt tempora iſta, cum bella, quæ ſuprema ſunt judicia inter Principes, (qui ſuperiorem non agnoſcunt Jurisdictionem) atque omni cum honeſtate geri debent, inficiuntur atque infamantur ejusmodi deteſtandis & non humanis actionibus. Si autem hic Regis mentio facta fuit, civilis legis regula, (quæ etiam ſanæ rationis axioma eſt) in memoriam revocetur: *Fruſtra legis auxilium implorat, qui in legem committit.* Quicunque intendit violare Majeſtatem Regiam in ſummo gradu, non poteſt ejusdem Majeſtatis ſuæ præeminentiam obtendere, ac ab imputatione omni immunis eſſe.

APO-

APOLOGIA FRANCISCI BACONI,
adversus quædam ipsi imputata, in causa
COMITIS ESSEXIÆ;
Scripta ad Honoratissimum Benignissimumque Dominum suum Comitem Devoniæ, Vice-Regem Hiberniæ.

P*Lateat Dominationi Vestræ*, Non fugit me, neque negligere me decet, quod vulgo infidus & ingratus erga illustrem illum, ast infelicem *Essexiæ Comitem* audiam: & satisfacere quidem huic rumori possem; ast non adeo moror illum; quanquam enim bonum nomen amem, facio id tantum quatenus honestati atque virtuti ancillatur. Ejusdem enim sum cum illo opinionis, qui lepidè dixit: *indecorum esse, ut apud eum, qui virginem ambit, amor ancilletur*: ideoque alio fine communem sectari famam, quam ut sequatur honestas actiones, nec voluntas mea est, nec indoles. Sed ex altera deinde parte, non est in mundo mihi carius quicquam bona certorum hominum opinione: neque inter istos alius præter Dominationem Vestram, cui libentius satisfacere vellem. Nam primo amavisti, Gratiosissime Domine, Essexiæ Comitem, ideoque non

eris

eris iniquus erga me; idque est quod cupio: deinde quoniam semper exhibuisti Te mihi amicum verè honorabilem, ideoque non erit infra me Tibi satisfaciendi studium; & denique quoniam novi Dominationem Tuam profunde eruditam, nosse genuinas officiorum & virtutum regulas atque habitus, quæ hoc dijudicabunt negotium, cujus defensionem tantum brevem & ingenuam suscipio; traditurus, quæcunque ego feci, fecisse me ex observantia Reginæ & Reipublicæ debita, ostensurusque, me neque versutè egisse, neque timide in alicujus gratiam. Unusquisque enim recti cordis vir deseret potius Regem suum, quam DEUM suum, & amicum potius suum, quam Regem suum, & quæcunque terrena bona, imo & vitam suam, quam amicum suum. Existimo nondum excessisse mundo gradus istos, alias illud gentilium dicterium: *Amicus usque ad aras* judicabit eum.

Si vero dicat quispiam, quod ingesserim memet in hoc negotium, quoniam non haberem officium ordinarium: posset id de omnibus dici actionibus, quæ ad Concilium Eruditorum, ad quod semper evocatus fui, his delatæ sunt temporibus, sive eæ Rempubl. sive pecuniam concernerent. Ut enim nosti, Benignissime Domine, Regina tam bene sibi conscia fuit soboris sui, ut voluerit verba sua esse præcepta, & juxta morem clarissimorum Regum ante ipsam, non semper in officio constitutis, obstringi se passa est, verum separavit aliquando ab offi-

officiis privatum favorem. Ego verò quamvis non adeo imperitus essem, ut ignorassem statum hunc esse invidiæ ac periculis expositum; nihilominus sciens, eam fuisse constantem in favoribus suis, atque finem sectatam esse, si incepisset, & in specie, quoniam me detinuit accessu extraordinario, aliisque fiduciæ gratiæque argumentis, statui perpeti illa, meliora insimul expectando. Est autem scopus & intentio mea, ut dignetur Dominatio Tua eam honestam habere patientiam, quæ requiritur ad cognitionem veritatis, in aliquibus actionibus in ea causa gestis, circa quam & ego versatus sum: atque ut cognoscat, quantam fidem approbaverim & Dominæ meæ, & Patriæ meæ, & Nobili illi viro, tam bene de me merito, ac tam gratiosè servitia mea suscipienti, & cujus sortem non sine acerbo dolore meminisse queo. Quicquid enim ipsius causa egi, adeo omnes vitæ meæ actiones antecellit, ut nullius majori cum confidentia, minorique conscientiæ morsu recorder; innotescet etiam Dominationi Vestræ, non solum non adversum me fuisse Essexiæ Comiti, sed etiam omnes ingenii mei nervos intendisse, & Reginæ in me favorem periclitatum esse, ut istum huic reconciliarem. Et sic integra perstiti fide atque industria usque ad ultimam ejus impatientiam (sic enim appellare lubet) post quod tempus nihil in ipsius commodum machinari licuit, quanquam idem meus affectus, haud potis in proprium agere objectum, in

alia

alia egerit, non sine omni fructu aliquorum, qui, ut existimo, potius id ignorant, quam non agnoscunt. Assevero etiam me nihil omissurum ex iis veritatibus, quæ vel inimicos concernunt; ex altera verò parte me multa oportere reservare me concernentia, respectu officii mei, quod supra famam revereor meam. Quodcunque autem proferam, ita verum esse confido, uti me gratiam divinam consecutum esse, spero.

In vulgus notum est, quomodo pluribus abhinc annis peregrinationes ac studia mea dedicaverim Essexiæ Comiti, non quidem quod istum mihi elegerim, tanquam maximè idoneum, à quo promotionem sperare potuissem, sed ductus opinione, quâ ex eo, quo ratione mea usus sum, tempore (sive id ex librorum bonorum lectione, sive in boni Patris imitationem, sive indolis seu genii proprio motu factum fuerit) magis amavi patriam meam, quam ut fortunæ congrueret meæ, & quâ judicavi posse Comitem illum huic prodesse. Ei igitur me adjunxi ratione & modo, quem rarum inter mortales esse existimo. Non enim gnaviter perfeci, quæ demandavit, sive consilium sive aliud aliud concernerent, sed negligendo & Regiæ ministeria, propriam fortunam, & ipsam hactenus vocationem meam, deliberavi de iis, atque omnes ingenii mei vim, cogitationes & memoriam intendi ad ea, quæ ejus honorem, fortunam vel ministeria concernerent. Cumque paulo post Frater meus *Antonius Baconus* ab exteris rediret

terris, esſetque talis, ut multi notitiam ejus & prudentiam in rebus politicis, præſertim exteros concernentibus admirarentur, & ipſum Comitis ſervitiis addixi. Præterire autem non licet ex adverſa parte Comitis hujus in me propenſum amorem & liberalitatem, qua donavit me agris, quos deinde octies & decies centenis librarum pondo Domino Rainaldo Nicolao vendidi, atque ut exiſtimo carius vendi potuerunt; dedit autem mihi eos, ejusmodi tempore, & cum ejusmodi generoſi affectus circumſtantiis, ut modus ipſam videretur æquare actionē. Neque ignava dicatur hæc eſſe digreſſio; nolo enim brevis eſse in commemorandis beneficiis ejus; ideoque nec Dominationi Veſtræ referre donationis modum vereor: Poſtquam denegaſset mihi Regina ſollicitatoris officium, quod diu vehementerque pro me Eſſexiæ Comes ambiverat, dignatus eſt venire ad me Richmondio in hortum Twicknamenſem, & fidem datam fefelliſse narraturus, dixit: Domine Baconi, noluit Regina Tibi conferre hoc munus, aliique conceſſit: Scio autem, quod Tu ipſe ſis minima tuarum curarum pars, in eo ſaltem male agis, quod me in Patronum elegeris & à me dependeas: collocaſti otium & cogitationes Tuas in meis ſervitiis; moriar (hæc propria ipſius fuerunt verba) ni faciam aliquid in Tui commodum: non recuſabis acceptare agros, quos donare conſtitui: Reſponſio mea, quantum memini, erat, non multum referre, quæ mea ſors ſit: Comitis vero oblatam

latam donationem in mentem mihi revocare, quod in Gallia cum essem, de Guisio Duce audiveram; de eo affirmant, ipsum in tota Gallia maximum esse fœneratorem: omnia namque bona sua obligationibus permutasse; i. e. nihil sibi reliquisse, sed innumeros sibi devinxisse. Verum mi Domine (pergebam fari) nollem Te imitari illius methodum, multos enim invenires debitores malos. Ast non attendere ista jussit ipse, & ut acceptarem, ursit: dixi itaque, mi Domine, cerno, cogi me, ut suscipiam à Te Feudum, atque tuus sim subditus; scisne autem quo modo præstetur homagium? scilicet id semper fieri debet cum juramento fidelitatis Regi debito & cæteris ejus ministris; ideoque (ulterius dixi) mi Domine non magis esse Tuus potero, quam fui antehac, & fortassis cum antiquis reservationibus: Si autem dives fuero, annues, ut reddere quædam ex istis possim asseclis Tuis, nondum præmia consecutis. Sed redeo unde digressus sum, quod (licet nihil mihi arrogare queam, præterquam quod Comiti fidelis extiterim monitor) quamdiu ipsi adfui, fortuna ejus maxime profecerit florueritque. In duobus tamen magni momenti axiomatibus directè semper & contradictoriè dividebamur, quæ quoniam lucem sequentibus affundunt, exponam Dominationi Vestræ. Alterum erat, unicam cum Regina agendi rationem esse per obsequia & reverentiam: & recordor, quod sæpius spondere ausus fuerim, si constanter ea incessisset methodo, suaque obsequia se-

lectis approbasset actionibus: Reginam mox interrogaturam fuisse Ahasueri quæstionem; *quid faciendum viro illi, cujus honore Rex delectatur*: innuendo, bonitatem suam carere limitibus, si quis decenter ei obviam eat; nec falsum hoc esse ex indole ejus ominatus sum. Comes autem Essexiæ huic adversam aluit opinionem, videlicet Reginæ nihil persuaderi posse, sed necessitate quadam & authoritate cogendam; & recordor satis bene, quod cum vi extorserit quædam ab ea, ex me quæsiverit: Dic sodes, cujus principia sunt vera? Regessi autem: *Mi Domine, methodus hæc est instar aquæ calidæ quæ dolores mitigat; Si vero bibatur, corrumpitur stomachus, intenduntur que dolores, aqua vero in fine nihil proficit*; aliaque præterea dixi multa huc facientia. Alterum axioma quod semper defendere conatus sum, erat, ne satageret ad sublimia scandere per militarem gloriam, aut vulgi applausum; posset enim hoc Reginæ excitare Zelotypiam, in ipso arrogantiam, atque in Republ. turbas; istaque communiter Icari assimilavi alis ex cera confectis, quæ cum iis nimium elevatus esset, defecerunt in summitate. Porro quoque dixi: Mi Domine insistas pedibus duobus, non autem voles alis duabus. Pedes duo sunt bina justitiæ membra, commutativa & distributiva. Utere magnitudine tua, bene merentes & virtute præditos promovendo, liberando etiam ab injuriis & oneribus, nec alia opus habebis arte aut emergendi methodo. Verum respondit,

proce-

procedere hanc opinionem non ex mente mea, sed ex habitu. Fateor quidem, quod ego, qui nunquam intendi mancipare me Essexiæ Comiti, neque alii cuiquam, magis quam è Republica fuit, omni conatu averterim ipsum (quanquam parum in ipsum potui) à bellicosa & populari aura. Videbam enim Reginam aut longius victuram aut morituram: si prius, tempora fore ut solent esse in declinatione cum senescunt Principes: si posterius, tempora fore, ut solent esse, cum novi reges regnare incipiunt; atque si Comes nimis subito emergeret, tempora ipsi pericula creare posse, ipsum temporibus. Imo recordor, quod tam confidenter ipsi locutus fuerim, ut in Insulas naviganti, & vere unoquoque ejusmodi actiones provocante, dixerim: Mi Domine, cum olim ad Te accederem, videbaris mihi Medicus, qui conatur sanare Reipubl. morbos; nunc autem videris mihi similis Medicis illis, qui delectantur ægrotorum infirmitate, quoniam ab ea lucrum expectant. Hanc sermonis mei audaciam non ægre tulit, habebat enim aures ingenuas, eratque *veri patientissimus*, & asseveravit tantum, Regni statum id requirere. Existimo etiam hæc mea verba, & alia his gemina, sæpius repetita incitasse ipsum, ut eam conscriberet Apologiam, quæ in multorum est manibus.

Hæc autem opinionum diversitas tam prægnans, genuit tandem familiaritatis cessatio-

tionem (raro enim solemus actiones nostras ad eos referre, quibus minime probari scimus) ita ut me nec accersere, nec consulere dignatus fuerit, per menses octodecim ante iter suum in Hiberniam; nisi quod circa hoc iter expressè & singulari modo meam expetierit sententiam & consilium. Non tantum igitur profectionem dissuasi, verum etiam obtestatus sum omni conatu, quod absentia ejus apta sit exulcerare Reginæ animum, & impossibile ipsi fore, ut talem se gerat, qualem Regina velit; atque Reginæ ut ita se erga ipsum gerat, quo sufficientem ab ea nanciscatur authoritatem; idque male cessurum Reginæ, ipsi, & Reipubl. Et quoniam nullum lubens prætermittere volui argumentum, actionis quoque, quantum memini difficultatem proposui; ostendens ex Historiis, Hibernos ejusmodi esse hostes, quales antiqui *Galli* vel *Britones* vel *Germani* fuerint olim; Romanos autem, qui nobilissima disciplina erudiebant militem suum, largissimis incitabant donis, & ex toto quasi mundo legebant, oppugnantes gentes istas, felicitatem suam tantum in libertate collocantes, & ab acie gladii expectantes, naturæ munimentis h. e. sylvis & paludibus fretas; compertisse maximæ id opus difficultatis esse: Statui igitur, Hibernorum aggressionem tali cum spe, qualem ipse sibi fecerat, conjunctam, posse imminuere existimationem ejus ob expeditionis tenuitatem; quæ conatibus minime respondere queat. Alias quoque
rationes

rationes plurimas adduxi, ut certus ſim, in nulla alia re me vehementius cum ipſo egiſse, & verbis, & epiſtolis, & aliis, quibuscunque valui, mediis. Tam clare enim expeditioni huic annexam ruinam ejus vidi, quàm quidem poſſibile eſt homini, judicium de futuris contingentibus ſtatuenti. Sed licet Comitis aperta eſset auris, cor tamen ejus occluſum erat, nec patebat conſilio, quo prævenire ruinam potuiſset ſuam. Poſtquam igitur ingreſsus eſset iter, videbam illicò, quam verus fuiſsem Propheta, reſpectu manifeſtæ mutationis, quæ naturaliter Reginæ inceſserat menti: ideoque advigilavi, quo opportunitatem nanciſcerer exoptatam, eum pro infirmitate virium mearum, ex flamma, ſi poſſibile eſset, retrahendi. Dabatur etiam paulo poſt, prompteque apprehendebam; & quoniam paucis innotuit, eo lubentius Dominationi Veſtræ recenſebo, etiam ea de cauſa quoniam fama fuit, Comite in Hibernia morante, revelaſse me quædam in ipſius perniciem aut illis quid ſimile; quod tamen, ut mera fuit calumnia, ita omni colore non caruit. Regina die quodam paulo antequam (ſi bene memini) adveniret *Cuffejus*, mihi, qui tum in ſatellitio ejus eſsem, manifeſtavit diſplicere ſibi admodum Comitis in Hibernia actiones, quaſi infelices eſsent, absque judicio gererentur, contemtui exponerentur, nec ſine privati commodi intuitu fierent; Placere tamen ſibi aſseruit apud alios, quibus confidebat mi-

 nus.

nus. Ad hæc ego fretus axiomatibus meis, regessi, quæ in Comitis commodum vergere credebam, talia: Domina, ignoro actiones status particulares; illud autem scio, quod Principum actiones non oporteat habere periodos abruptas seu terminos præcisos; existimo igitur, quod si R. M. V. Essexiæ Comitem hic detineret, album gestantem baculum, ut *Leicestriæ* Dominum nuper, & continuo ad manum esset R. M. Vestræ, conversationis gratia, ornamento quoque esset Aulæ universæ in oculis populi, & exterorum Legatorum, inque nativo suo foret elemento: verum affligi eum permittere, ut M. V. fecit, & nihilominus arma atque vim manibus committere ejus, tentatio esse posset, qua durus & impotens reddi queat. Ideoque si velit R. M. V. *imponere bonam clausulam*, eumque revocare atque satisfacere ipsi dignitatibus à latere regio, si, inquam, hoc permiserint negotia vestra, (quæ ut dixi, perspecta non habeo) optimum id foret. Cognoscit Dominatio Vestra, methodum hanc, si acceptata fuisset, potuisse prævertere & contemtum redeuntis Comitis, & continuationem invidiæ ob expeditionem in Hiberniam, pristinumque ipsius splendorem, enatæ. Ast agedum proxima, quæ audiebantur, nova erant, advenisse Essexiæ Dominum, & domi suæ inclusum detineri, quoniam deseruisset Hiberniam, Regina non annuente: Hoc fiebat in Nonesuch, ubi (prout erat officii mei, veni ad Comitem, privatimque cum ipso per qua-
drantem.

drantem circiter horæ loquebar, & quæsitus quæ mea esset, de ratione cum ipso procedendi, opinio, dixi ei: Domine mi, *nubecula* est, *cito transibit*; ajo tamen, sursum si tendat nebula ista, mutabitur, ut solet, in pluviam, si deorsum, serenitas expectanda. Ideoque mi Domine benignissime eò contende, ut omnem vel umbram displicentiæ à Regina auferas, & in specie si dignus judicor Consilium dare (ut olim habitus sum, & nunc haberi à Te, proposita quæstio docet) tria hæc observari volo. *Primo* eam ab armis cessationem seu pacem cum Tyronio pactam, ne dicas esse opus ministerii Tui, in quo gloriari queas, sed dilationem actionis minus feliciter procedentis. *Deinde* ne exhibeas Reginæ aliquam status rationem, qua intelligat se cogi, ut iterata Te vice in Hiberniam mittat: sed ipsius soli permittas judicio. *Tertio* accessum quære importune, opportunè, seriò, per jocum, omnique ratione. Memini patienter Dominum hunc me audivisse, regessisse tantum pauca, & caput subinde movisse, quasi minus prudenter loquerer; & certus sum denique, singulis his tribus axiomatibus egisse contrarium. Posthæc, cum in Regia detineretur Custodia Comes, sæpius Reginam adii, ut solitus eram in causis obventionum & justitiæ: Et hujus accessus intuitu increbuit, occasione vulgarium aulæ blanditiarum, me esse ex iis, qui Reginam adversus Essexiæ Dominum instigarent. Nolo autem existimare, rumorem hunc ab

ipsa Regina, cujus memoriam reverebor semper, prodiisse: veruntamen, si emanasset ab ea; ajo quod apud DEUM nunc sit, & *miserum esse ab illis lædi, de quibus non possis queri.* De Domino *Cecilio* hæc igitur proferre lubet: quod aliquando in domo sua apertè mecum egerit dixeritque: Agnate, audio, non tamen credo, Te in Essexiæ Dominum mali quiddam machinari: quod me concernit, mere passive, non active me gero, obtempero Reginæ, illibènter licet, non sum illi suasor. Dominus Essexiæ ejusmodi vir est, cum quo præ hominibus aliis congruerem optime: Regina autem Domina mea est, ego Cliens ipsius, non igitur decet me perdere ipsius favorem. Vellem itaque eisdem insistas vestigiis. His auditis demonstravi abunde, quam longe ab ejusmodi abessem opinione. Et sicuti aliquando accidit, quod hominum affectus se potius in nugis manifestent, quam rebus seriis, ita factum est, ut paulo ante illud tempus, circa medium scilicet Michaelis termini, Regina voluerit prandere in ædibus meis ad hortum Twiknamensem; conscripseram (Poeta cum alias non essem) circa idem tempus Oden, directe huc alludentem, spe pertrahendi Reginam ad reconciliationem cum Domino isto: ostendi etiam alicui Magnatum, qui & Comitis consanguineus erat, laudavitque eam: hæc licet (ut dixi) essent nugæ, manifeste tamen demonstrant, quomodo erga Comitem affectus fuerim, promtusque extiterim, non tantum præsta-

re

re ei servitia grata, verum etiam palam docere, quod ab ejus stem partibus: neque unquam tanta ambitione incensus fui, quam cum anniterer aliqua à Regina favoris gratiæque indicia ad ipsum perferre, omnem intendens nervum, quo Reginam adducere potuissem, tum ut mitteret ad eum, tum ut ego mitterer. Nam quoad prius non verebar asserere coram ea, hanc in Comitem agendi rationem displicere vulgo, me igitur optare, ut quidcunque tandem agat Regina, ejus culpam declinet, aliisque imputari faciat. Necesse igitur esse, ut immisceat severitati huic aliquas gratiæ immediate à se procedentis notas, orbisque inde cognoscat, Reginam; ipsius indolem bonitatemque: subditi quoque non avertant mentem. Et his institi, sat bene sciens, quod si vel semel dignata fuisset mittere ad ipsum, seu visitare, fore ut istæ favoris demonstrationes evadent firma salutis documenta Comiti. Ut verò in me pertraherem negotium istud, suasi Reginæ, ut si quando DEUS moveret eandem ad recipiendum in gratiam Comitem, si ipsa hoc præstare nollet, ad minimum ejusmodi adhiberet virum, qui non posset partem gratiarum actionis sibi vendicare, velut illi, qui in authoritate existentes, putantur prævalere in ipsam, aut persuadere ipsi: adhibeat ergo talem, qui nonnisi canalis ejusdem bonitatis esse queat. Nunquam autem prævalui apud ipsam, quanquam, ut confido, sat clarè perspexerit, quorsum collimaverim; imo suspectus

ei reddebar, quasi non candide cum ipsa agerem; sed clam adhærerem Essexiæ Domino, & quidem magis, quam ut voluntas ejus & desiderium illo permittere viderentur tempore. Circa idem tempus responsio quædam mea, in causa huic simili, circumferebatur, non tamen meo, licet à me profecta, sed alius nomine. Nam Regina vehementer succensens libro, Essexiæ Domino dedicato, & Historiam primorum annorum Henrici quarti complectenti, putabat esse seditionis præludium, ingerereque populo temeritatem atque dissidia, & dicebat, existimare se, contineri inibi læsæ Majestatis crimina: quærebat igitur ex me, annon possem reperire in eo loca quædam hoc demonstrantia: respondi autem: quod perduellionis crimen concerneret, nihil me reperisse, quoad furtum autem multa. Cum autem Regina extemplo percontari pergeret, quænam illa essent, respondi: furtum commisisse Authorem manifestum in eo, quod sententias ex Cornelio Tacito plurimas descripsisset, in Anglicum transtulisset, suoque inseruisset textui. Alio vero tempore cum Regina persuaderi nollet, esse librum illius, cujus gereret nomen, sed à magis pernicioso scriptore esse compositum assereret, magnaque cum indignatione asseveraret, velle se eum tormentis adigere, ut genuinum proderet authorem, reposui: neutiquam, Domina, Personam ejus tormentis subjice, sed stylum, est enim Doctor: habeat sibi pennam, atramentum,

papyrum

papyrum & librorum subsidia, adigaturque ut continuet Historiam inde ubi desiit; egoque in me suscipiam ex scriptionis genere dijudicare, utrum iste genuinus author sit vel non. Quoad ipsam vero rem ajo, quod quotiescunque Regina me interrogavit de Comitis causa, eodem semper tenore responderim, dixerimque: Errores eos esse, qui in Lege forrean contemptus nomine venirent, esse enim transgressiones particularium Reginæ mandatorum & instructionum: defendi autem posse ingenti gratia, qua fruere ut apud eam reus, sublimitate muneris sui, & commissionis suæ amplitudine: imo ipsius etiam actionis indole: bellum enim fuisse, quod arctis nequeat constringi mandatis, ob locorum distantiam, etiam Oceano disjunctorum, in quo quæstiones instructionesque venti & tempestatum subjectæ sunt arbitrio: porro defendi posse authoritate Senatus Consilii Hibernici, quod actiones ejus comprobaverat, & denique intentione bona, quam pro se alligare posset, & quæ, in quibusdam religionibus pro sufficienti limitatione seu dispensatione etiam circa DEI mandata habetur, nedum Principum. Omnibus his de causis iterum iterumque supplex Reginam oravi, ut deliberare dignetur, quomodo publica quæstio de Comite instituenda foret; imo perrexi asserendo Essexiæ Dominum & facundum esse & eloquentem, & præter hæc naturæ artisque dona pollere eloquentia accidentali, utramque illam superante,

hancque esse misericordiam suorum auditorum; adeoque me non dubitare, quod si daretur ei eloqui defensionem suam, superaturus sit contra se disceptantes; idque inglorium Reginæ fore. Optare igitur ut privatim intra ipsos lis terminetur, & Comes reddatur dignitatibus pristinis, cum additione quadam honorum novorum ad omnem tollendum animi angorem. Hoc tamen non negabo, quod in genere demonstraverim, non probare me iteratam ipsius in Hiberniam missionem, tum quoniam sic docuissem contraria priori sententiæ meæ, tum quoniam persuasissimus eram, neque Reginæ, neque Reipubl. neque ei ipsi utilem hanc expeditionem fore: neque tamen dissuasi, sed in medio reliqui, ceu *locum lubricum*. Hic etiam recordor quod cum Dominatio Vestra denominaretur ad hanc functionem, non multo antequam transires, placuerit Reginæ in aula alba mecum de hac nominatione colloqui, egoque responderim: Profecto, nisi voluerit Majestas Vestra eo mittere Essexiæ Comitem, non alius certe felicius eligi poterit: pergebam etiam promere rationes quasdam, ast interrumpebat Regina sermonem magna cum iracundia: Essexius! (reponens) si quando illum in Hiberniam remisero, Tibi nubam, Tuque quod spondeo, audacter tum exige. Regessi: Sit ita Domina mea, relaxabo tamen sponsionem hanc, si ejus missio Majestati Vestræ proficua visa fuerit. Posthæc immediate statuit apud se Regina (quod etiam

etiam factum est) publicare aliquid in Camera stellata, ad satisfaciendum orbi ratione incarcerationis Essexii, ipso tamen in Cameram non vocato, sed occasione saltem desumta ex libellis famosis hinc inde dispersis. Hoc cum Regina mihi aperiret, contrarium penitus me sentire tradidi, inquiens populum dicturum, quod Essexiæ Dominus in tergore læsus sit, & justitia orbata sit bilance sua; ea enim solet accusationem & defensionem librare. Hæc & alia verbis apprime acutis tum elocutus sum, adeo ut quantum memini, etiam dixerim, Comitem prævalere Reginæ in *foro famæ*, ideoque optare me, ut privatim ista componantur. Sed revera offendi eam hoc tempore, quod alias raro facere solebam: ideoque cum diversis vicibus, ut in Terminis Natalitiorum Quadragesimæ & Paschatis adirem ipsam ob causas judiciales, videbatur mihi non eadem vultus serenitate, & sermonis ingenuitate me alloqui. Increpavit me etiam, quod à stellata Camera illo abfuerim die, quamvis excusassem me ægra corporis valetudine. Præter hæc omni illo tempore altum Regina tenuit silentium, nec quicquam mecum de Essexio locuta est amplius.

Sed Paschatos termino præcipite rupit silentium Regina, dixitque mihi, cognovisse se verborum meorum veritatem, nam quæ in Camera stellata acta fuissent, nullatenus profuisse, imo produxisse potius rumores factiosos, quam suppressisse; statuisse igitur procedere adversus Essexiæ Dominum

num in Camera stellata, per informationem *oretenus*, & permittere ipsi defensionem suam: ita tamen, ut, quemadmodum asseruit ipsa, quodcunque actum sit, vergat Essexio in *castigationem*, non in *destructionem*: id quod sæpius antehac dixerat. Tum ego: (penitus ut diverterem Reginam) Domina mea, dixi, si loquendum mihi est in hac materia, cogor repetere, quod Monachi Baconi Cranium, an Caput? dixisse fertur: *Tempus est, Tempus fuit, Tempus non erit amplius*: nam profectò, inquiebam: jam elapsa est opportunitas, refriguit actio & nimis est dilatata. His iterum se esse offensam ostendit, surgens itaque me deseruit; inque eadem opinione perseveravit aliquamdiu: donec circa æstatis mediæ Terminum, ego ipsi assisteris atque animadvertens adhuc firmam ei hanc hærere sententiam, (audiveram enim id & aliunde) cum de hac materia loqui ordiretur, non aliud cernens remedium dixi leviter: Quid, Domina mea, si placet Majestati Vestræ necessario processum formare, fiat juxta illud Ovidii ad amasiam suam loquentis, *Est aliquid luce patente minus*: Pertractetur in Senatu, & imponatur finis. Hæc quoque verba ægre videbatur ferre, ast confido profuisse tum temporis, & impedivisse processum, per informationem in Camera stellata. Nihilominus placuit ipsi dehinc magis solenniter procedere, ideoque paucos post dies cum mandaretur examinari causa ejus in *domo Eboracensi* in frequentia Consiliariorum, Parium & Judi-

Judicum, aliorumque virorum nobilium: accerserunt nos è Consilio docto, quidam ex Consiliariis primarii, nobisque Reginæ aperuerunt voluntatem; unus autem illorum palam ad me dixit, nondum statuisse Reginam, an ego omittendus forem. Hinc fortassis emanavit alter ille sinister falsusque rumor, ac si fuissem contra Essexiæ Comitem sollicitator. Nam verum quidem est, quod respiciens quæ Reginam inter & me intercesserant, & quantam ipsi occasionem dederim tum offensionis, tum diffidentiæ, contradicendo opinionibus ejus, firmiter Essexio adhærendo; suspicatus etiam, fore stratagema ex speciali æmulatione enatum; scripserim ad Reginam verba duo vel tria officii contestandi gratia innuens, quod si placuerit ei præterire me in Essexii cognitione, intuitu devincti mei erga eum animi, velle me illud in maximis numerare benevolentiæ signis; sin minus, præcatus sum eandem, ut expendat nosse me officiorum debitorum gradus, scil. nullum privatum amicitiæ vinculum posse infringere aut elidere debitam illam observantiam, qua tenear obstrictus erga eam, paratusque sim exequi. Et hæc erat honesta illa sollicitatio, quam hominem prudentem omittere certe non decebat. Veruntamen & ulterius hic progressus sum, adverti fore hujus diei pensum exacerbationis, Reginam inter & Comitem, plenissimum: existimabam igitur, quod si in totum Reginæ assentirer, (quod Essexiæ Domino tamen præjudicare nequivit)

nequivit) posse me fidem meam approbare Reginæ, atque deinceps Essexio prodesse multis modis. Proximum igitur quod audiebam erat, nos omnes accersitos fuisse, & Reginam voluisse, ut singuli partem ageremus suam hoc in negotio. Magnates igitur distribuentes unicuique pensum, sors mea fuit, demonstrare quomodo Essexius indecenter se gesserit, occasionem præbendo & annuendo libello, ut dicebatur famoso, ipsi dedicato; liber autem erat supra memoratus, de Henrico IV Ad hæc ego regessi Paribus: Vetustum hoc esse, nec ulla ratione cum reliquis cohærere accusationibus, quæ res in Hibernia gestas concernant: ideoque me, jam antehac rumoribus falsis oneratum, magis adhuc iisdem expositum iri, demonstrarem enim non inanem eam fuisse fabulam. Respondebant speciose, quod intuitu arctæ cum Essexio amicitiæ, hæc mihi provincia demandata fuerit, utpote minus noxia; cum enim reliquorum operæ versari debeant in criminationibus & accusationibus, hæc tantum Cautelam & admonitionem respiciat. Ego his minime contentus, bene gnarus felicius aliquem de propriis accusari facinoribus, quam de alienis moneri: in me tamen *volens nolens*, Reginæ voluntati acquiescens, suscepi spartam, qua si non ad votum functus fui (quamvis nemo ante me tam manifestè Comitem in læsæ Majestatis crimine immunem esse, ut ego feci, docuerit) adscribendum id erit illi, qua Reginæ teneor

teneor famam atque existimationem in publica defendere actione, pietati, nec non intentioni approbandi fidem meam eidem Reginæ, quo postea eo felicius subvenire Comiti possem. Nam quam primum hic præterierat dies, nullum omisi tempus, sed mox in sequenti die (si recte memini) adii Reginam, atque firmiter constitui (quantum quidem per infirmitatem meam liceret) adducere Comitem in aulam & Reginæ gratiam, & gnarus (ad minimum opinatus) quomodo cum Regina sit agendum, existimabam, adblandiri atque asserere, causam pridie pertractatam processisse optimè, esse viam, qua persuaderi ipsi queat, ut hic subsistat. Dixi igitur ad eam: Devicit Majestas Vestra duo, nec à maximis in orbe Heroibus subigenda: Famam & mentem excelsam. Puto enim nunc satisfactum omnibus. Comes autem eam erga Majestatem Vestram ostendit humilitatem, ut ipsum nunquam magis, quam nunc gratia dignum regia judicem. Ideoque, ni placeat corrumpere victoriam procrastinando, sed opportune uti ea & recipere Comitem indulgenter, convincar, omnia quæ acta sunt, in finem tendere optimum: His in verbis admodum sibi placere visa est Regina, sæpius igitur repetiit, mihique in mentem revocavit olim dicta, scil. hanc procedendi rationem, ad *reparationem, non ad ruinam fore*, quasi annuendo, hoc esse tempus, quo cognoscere queam ejus Verborum Veritatem: jussitque

sitque ut describerem singula die illo peracta. Obtemperavi, paucosque post dies narrationem integram attuli, & ipsa attendente legi binis pomeridianis vicibus: quoties autem illa legerem, quæ Comitis continerent defensionem, (quæ maximæ mihi fuerunt curæ) bene recordor, extraordinariè ipsam fuisse commotam, atque propensum in Comitem prodidisse animum; dicebat enim (inquiens, quam optime me Essexii egisse partes) intelligere se jam, pristinum haud facile evanescere amorem, egoque regerebam illico, sperare me, quod in se ipsa hoc sentiat. Sub finem autem suasi, ut nunc plene cognoscens causam integram ulterius eam provehi non sinat. Nam Domina mea, inquam, ignis sat splendide flagrat, cur fodiendus? Præterea potest esse, ut apud se ipsam statuat Majestas Vestra, quod congruum est hac in re. Nam siquidem expresse Majestas Vestra jusserit abesse scribas, qui consignarent Sententiam inque tabulas referrent, omniaque interdixerit monumenta processus istius: Cur populariter id fieret, quod judicialiter M. V. fieri noluit? Assentiebatur his Regina, mandabatque ut supprimerem quæ consignaveram, nec memini ultra personas quinque illa vidisse unquam. Ab hoc igitur tempore per omnes æstatis declinantis dies, cum Aula esset in *Nonsuch & Otland* unicum meum pensum fuit, scopusque præfixus captare atque præbere occasiones ad restitutionem Essexiæ

Comitis

Comitis in pristinum statum: hancque intentionem meam eidem indicavi, quam primum in libertatem assertus est, ubi sine periculo indignationis, à Regina metuendæ, poteram ad ipsum scribere; à Comite autem certior reddebar, benigne ipsum acceptare voluntatem & conatus meos; quare quoties Reginam adirem, sæpius autem illo fiebat tempore, tum hac intentione, tum aliis sub prætextibus, his institi: indicavi etiam continuo ex altera parte ipsi fideliter, quæ cognovissem, aut optassem. Conscripsi deinde nomine ipsius literas ad Reginam; quanquam enim scirem ingenium ejus atque stylum præcellere meo, attamen quoniam id à me desiderabat, obtendens se longo hoc intervallo absentem, quasi peregrinum factum esse, nec modernas Reginæ cogitationes habere cognitas: promtum me in hoc exhibui officio, certusque sum, quod intra sex hebdomadas subsequentes, aut bimestre tam bene successerit, ut quotidie sperarim restitutum iri eum in dignitates suas. Neque magis gratus Reginæ fui, quam cum plene audacterque pro ipso loquerer. Possem autem plurima recensere specialia, ast unum tantum vel alterum commemorabo Dominationi Vestræ. Aliquando disserebat Regina de viro quodam promittente sanare, vel saltem lenire fratris mei Podagram; percontabaturque de successu medicamentorum: respondebam, quod ab initio bene se habuerit

buerit, poſtmodum vero haud melius imo pejus. Regina deinde, dicam Tibi Baconi, inquiebat, cauſam ejus. Horum medicorum methodus, maxime Empiricorum eſt, eisdem adhærere medicamentis, quæ ab initio ſunt apta ad educendos malignos humores, poſtmodum antem ignari, quomodo mutare medicamenta ſua debeant, adhuc applicant evacuantia, cum potius confortantia adhibere deceat. Tum ego, Bone DEUS, inquam, quam prudenter Majeſtas Veſtra & concinne dijudicat medicamina Corpori applicata, neque conſiderat, quomodo eadem ſit ratio medicamentorum animis curandis aptorum: uti nunc in Eſſexii Cauſa videre eſt. Regium Majeſtatis Veſtræ verbum erat, correctum iri mentem ejus, non in ruinam præcipitatum iri fortunam ejus. Confido ſcire Majeſtatem Veſtram abunde evacuatum eſſe humorem, ideoque magis quam opportunum eſſet, præbere ipſi confortantia atque robur. Iſti enim lenti gradus Majeſtatis Veſtræ magis apti ſunt ad perdendam, quam corrigendam mentem elatam. Alia vice mihi narravit, ſcripſiſſe ad ſe Eſſexiæ Dominum admodum ſubmiſſe, ſeque epiſtola illa commotam eſſe, aſt cum interpretata eſſet de abundantia cordis, reperiſſe, eſſe tantum petitionem circa renovationem prædii cujusdam: ad iſta ego: Hem Domina, quam ſiniſtre M. V. iſta conſtruit, ac ſi duo hæc conſiſtere non poſſent, licet natura eadem omnibus indidit Creaturis. Duo enim tantum

tum sunt Sympathiæ genera: alterum ad *perfectionem*, ad *præservationem* alterum tendens. Illius exemplum est ferrum ad magnetem tendens, hujus est vitis palo innitens, non amore pali, sed ut eo saltem sustentetur erigaturque. Ideoque ita decet Majestatem Vestram distinguere Essexii petitionem, ut desiderium inserviendi Majestati Vestræ sit tanquam concernens perfectionem ejus; hujus enim causa natum se esse arbitratur: desiderium autem obtinendi, quod petiit, est tantum quasi sustentatio. Ne itaque diutius detineam Dominationem Vestram circa alia plurima his gemina dico, quod illo ipso tempore binas conscripserim epistolas Comite conscio atque jubente, alteram tanquam à fratre meo exaratam, alteram autem responsionis quasi loco ab Essexio scriptam, in eum finem ut utramque clam Reginæ ostenderem, ut ipse Comes Essexius in judicio meminit. Scopus epistolarum harum unicus erat, ostendere Reginæ Essexiæ Dominum talem esse, qualem ipsa desiderare queat. Judicet etiam quicunque eas viderit, (nunc enim retrahi atque mutari nequeunt, vel per Fratris mei vel Comitis pedissequos dudum in publicum emissæ) præsertim si ignota ipsi Regina non fuerit, reperieritque apud se temporum istorum faciem; annon conscriptæ sint ab ejusmodi, qui studuit adducere Reginam, ut Comiti bene vellet. Sed res ipsa hæc est, exitusque omnium actionum talis, Regina, Magnatum, ut existimo, tergiversatione inductâ,

indies

indies magis magisque ipsi infensa reddebatur. Deinde fortassis recordata quæ continuo, indefesse & confidenter locutus eram egeramque in ipsius commodum, penitus à me alienam se exhibuit, nec spatio trimestri ad minimum, quod intra S. Michaelis & Circumcisionis Festum accidit, me intueri dignata est; sed avertit faciem suam à me; ubicunque me adesse cognovit: & quidem illis vicibus cum ei locuturus essem de causis civilibus, semper accedere me ob rationes leves prohibuit, adeo ut immediate post Januarii Calendas desiderans alloqui ipsam, atque admissus, aperte indicaverim ei dixerimque: Video quod Maj. Vestra abstrahat gratiam à me suam, adeoque multos Regiæ Maj. Vestræ causa perdidi amicos; nunc quoque Vestro privor favore. In eum me Maj. Vestra constituit locum, in quo sunt qui à Gallis vocantur *Enfans perdus*, (pedites autem sunt equitibus præeuntes) nam invidiæ expositus sum, absque aliquo dignitatis gradu, vel etiam robore: scio etiam servum in ludo Schachico coram Rege stantem ab omnibus peti. Haud multi me amant, existimant enim adversus Essexiæ Comitem me egisse. Neque Maj. Vestra mihi favet, quoniam bene novit me ab ejus stetisse partibus. Nunquam tamen me pœnitebit, quod secundum integritatem cordis egerim erga vos ambos, absque intuitu propriæ salutis meæ. Ideoque *vivus vidensque pereo*. Si me præcipito, facio illud ad imitationem Dorringtoni, qui in Ecclesiæ muris aliquot circumiens

cumiens diebus, aſpexit contemplatusque eſt locum, in quem decidit. Sic & ego, Domina mea, non adeo ſum ignarus ne prævideam ruinam meam: hoc tantum volo ſciat Majeſtas Veſtra integritatem, non ſtultitiam meam me huc præcipitaſſe. Et ſic pro Majeſtate Veſtra orare non deſino. Ad verba hæc mea, quæ non ſine vehementia proloquebar, admodum movebatur Regina, accumulabatque innumera humanitatis gratiæque erga me verba: ac jubebat ut acquieſcerem illi: *Gratia mea ſufficit:* addebat etiam alia favoris indicia, ita ut præterea deſiderare quicquam non poſſem. Quod vero concerneret Eſſexium, *ne verbum quidem.* Abivi deinde apud me ſtatuens, huic non amplius intereſſe negotio, videbam enim, poſſe me eo deſtrui, nullatenus autem Comiti prodeſſe. Et ſic intermiſi fiduciam meam aut temeritatem, hacque vice ultimo vidi Reginam ante octavum *Februarii* diem, Eſſexio fatalem ſeu luctuoſum: ideoque poſthæc nihil contra eum agere potui, uti nec antehac egeram. Nam quoad illud in judicio præſtitum, bene novit Dominatio Veſtra ex officiorum legibus, me oportuiſſe & decenter & abſque dolo perficere. Quod autem ajunt, ingeſſiſſe me huic liti, DEUM teſtem advocare queo, me neque à Regina petiiſſe, nec ab alia quacunque Perſona, ut admitterer, ſive ad perhibendum teſtimonium, ſive ad examinandum reum: ſed unice tale quid mihi demandatum fuiſſe reliquisque Collegis meis. Quoad tempus

O vero

vero intercedens accusationem & supplicium Comitis, bene quidem memini, me semel fuisse apud Reginam, non tamen licuisse, rebus sic stantibus, causam ipsius agere directe; ideoque in genere tantum deprædicavi Reginæ misericordiam, appellans eam opobalsamum nobilissimum, assidue à Regiis ejus destillans manibus, suavissimumque in populum effundens odorem. Audebam quoque extenuare non factum, hoc enim non licebat; sed periculum; asserens quod si cruenti quidam ejusmodi suscepissent actionem, magnæ certe sanguinis effusioni præbuissent occasionem: verum apparere satis, eos ignorare, quomodo cum delinquentibus agendum sit: his & alia addidi, nunc haud recensenda. Quomodo vero in reliquis me gesserim, multos producere nobiles possum testes, comprobantes, quod altera post Comitis accusationem die, diligentia atque informatione mea circa qualitatem & naturam delinquentium, sex è novem dimissi fuerint, alias certe convincendi: attuli enim Parium literas eorum convictionem inhibentes, postquam duodecim inquisitores jam præstitissent juramentum, atque adversus eos procedere parati essent; eo jam res delapsa erat. Testari etiam possunt, quam solicitè egerim, ut quicunque huic intricatus fuit negotio, quam primum causa ejus sufficienter cognita definitaque fuisset, non in custodiam traderetur, sed liber dimitteretur: & alia plurima, ab integritate viri honesti minime aliena. Non tamen

men pernegabo me in causa Equitis *Thomæ Smith* Londinensis, Reginæ poscenti opinionem meam, dixisse: existimo æque durum esse casum ejus ut aliorum: rationem vis hujus sententiæ meæ? non alia fuit, quam quod tunc videram tantum accusationem ejus, non vero examen: Rebus ergo sic stantibus, admodum egissem sinistre, nisi hanc declarassem sententiam meam. Deinde vero cum examinaretur denuo occasione accusatorum, suum proprium infringentes testimonium; præsertim illum ipsum audiens ego *viva voce*, confestim Reginam adii, integritate conscientiæ meæ percitus, neque suspiciens quæ antehac prolocutus fueram, dixique persuasum mihi esse, quod in honorem actionis, ulterius procedi debeat, quoniam revera aut accusatorum intersit, quid de ipso fieret, aut cum ipso communicent consilia. Verum quoque est, quod Regina tum temporis delectata scriptione mea, occasione ejus quod præstiteram circa processum in Eboracensi domo susceptum, aliisque relationibus ipsius jussu olim consignatis, jusserit ut conscriberem librum illum, in publicum deinde, ut satisfieret orbi, editum, quod tamen ita præstiti, ut neque Secretarius plures speciales expressasque directiones & instructiones accipere posset: & neque hoc solum, verum etiam primas designans lineas Reginæ mandato Primariis Consiliariorum exhibui, qui perlegentes examinarunt, dijudicarunt, mutarunt & penitus novum fecerunt. Unde ego

ſecundum ipſorum ſententiam ſcribens, oſtendi non ſolum ipſos, ſed me quoque veritatis æque amantem eſſe ac ſtudioſum, quo mundo ſatisfieret. Verba enim ſuppeditavi tantum, ipſi autem quæ ſcribenda forent, ſuggeſſerunt, imo mandarunt. Denique poſtquam Conſiliarii approbaſſent, Regina demum perlegit diligentiſſime, immutavitque quædam denuo: quinimo prelo ſubjectus liber, Regina, quæ ut novit Dominatio Veſtra, excellit rebus in magnis, inque parvis exacte penſitat ſingula, recordata, me haud potuiſſe obliviſci veteris, qua veneratus eſſem Eſſexium, reverentiæ, ſemper eum appellando Dominum meum (My Lord of Eſſex) idque incongruum ipſi videretur, adeoque ſubſtitui vellet, nudum Eſſexiæ nomen, aut Comitis ſolum axioma apponi, illico præcepit de novo libellum imprimi, priora vero exemplaria ſupprimi peremptoriè.

Hæc itaque Domine mi benigniſſime, quantum memini, ſunt quorum particeps fui, & nunc exhibui verbis ipſiſſimis olim prolatis; non quod repeti mereantur, mea ſcilicet, ſed eum in finem, ut Dominatio Veſtra, exactè diſcernere queat veritatem genuinam à mendaciorum blanditiis. Idque eo libentius feci, quoniam in rebus dudum geſtis ipſa verba mea ac Phraſes revocarunt mihi in memoriam actiones, de quibus vellem Dominatio Veſtra cognoſcat, annon viri honeſti veſtigia in eis reperiantur. Si vero æque mihi fidem adhibuiſsent Regi-

na

na & Essexius, ut patienter audierunt, tum Comes fuisset fortunatus, neque ego sine ipso nunc essem infelix.

Ut igitur finiam, demisse flagito, condonet Dominatio Vestra tædiosam hanc longamque narrationem, digneturque me tam diu amplecti favore suo, donec contrarium me meruisse cognoverit, & sic persevero

ad Dominationis Vestræ

Servitia promptissimus.

CONSIDERATIONES

DE BELLO HISPANICO,

ad Carolum Principem.

CElsitudo Vestra imperatorio gaudet nomine; *Carolus* erat, qui ad Francos deferebat imperium: *Carolus* item, qui ad Hispanos. Nonne & magnam Britanniam eadem decent fata? Verum seponamus quæ fumi instar, cerebrique sunt figmenta, & solida loquamur. Bellum cum Hispania (si Rex illud suscipere voluerit) ingens opus est: ingentem exigit apparatum, & fortitudinem invictam. His qui non assentitur, Zelum habet, sed non secundum scientiam.

Quanquam nec nimius Gigas sit Hispanus: quicunque existimat ipsum prævalere; auxiliis enim instructus est, instruique potest; inique judicat, atque regnorum vires ex magnitudine æstimat, non virtute. Quanquam igitur decrevissem, penitus retrahere cogitationes meas à negotiis civilibus, attamen quoniam novus hic casus est, patriam meam infinitis concernens modis, tandem à me impetravi ipso, descriptionem eorum, quæ juxta longam in status negotiis experientiam, variamque librorum politicorum & historicorum lectionem, hic necessaria esse reperi. Celsitudini autem Vestræ ista offero, spe fretus fore, ut cognoscat C. V. affectus mei robur ex virium infirmitate. Nam & Hispani proverbio dicunt: *Desuario siempre conla calentura: nullus est affectus ingens sine ingenii defectu.*

Ad bellum requiruntur; *lis justa, exercitus apparatusque sufficiens, & consiliorum prudentia.* Primo igitur *Causæ justitiam* demonstrabo: *robur* deinde expendam; & denique varia proponam *consilia*, non verò quæ sint eligenda suadebo. Hæc enim sic scribi non debent, neque ingenium hic sufficit meum, utpote rerum, quæ geruntur, ignarum.

Bella (non de piraticis & ambitione plenis loquor) sunt provocationes ad Divinæ justitiæ tribunal, ubi superior, qui determinet litem, non est. Sunt igitur (ut in forensibus causis) actionem instituentes & defendentes. Tres ergo ex nostra parte stant belli justissimæ causæ. *Actionis* una est, *Defensionis* duæ.

Salo-

Salomo inquit: *Funiculus triplex non facile rumpitur*: præsertim cum horum singuli per se sat sunt firmi. Sunt autem sequentes. *Recuperatio Palatinatus: justissimus metus ne subruatur Respubl. nostra, & justissimus metus ne subruatur Ecclesia religioque nostra.* Circa has autem postremas ostendam, prævenire aliquem bello ob metum justissimum, esse defensionem, æque ac si post invasionem susciperentur arma: & porrò, bella defensiva religionis causa, (non rebellionis) esse justa: licet bella offensiva, religionis ergo suscepta, raro sint licita, aut nunquam, nisi forte civiles admisceantur rationes. Verum omnia, quæ de his sum dicturus, erunt instar glomeris, arcte convoluti, ex quo tamen docta acus fortassis possit pingere ceu consuere opus.

Circa Palatinatus recuperationem non adscendam ad justitiam *belli Bohemici* inquirendam. Nullo quidem prætextu retineri posset Palatinatus, si ex nostra parte removerentur dubia; occupatio enim ejusdem mera fuit primarum injuriarum vehementia, & super injustitia. Verum quia non satis novi Consuetudines, Transactiones & Privilegia *Bohemiæ*, tantum non suscipio in me tractationem. Quod perficere nequeo, neque incipio. Hoc saltem obiter dico, rotundè tamen & constanter. Regnum *Electivum* neutiquam tam absolutum esse, quemadmodum *Hæreditarium*: uti neque pater tantum in filium adoptivum ac in proprium & ex se genitum habet potestatem & utilitatem.

Naturalis obligatio fortior civili. Illudque firmum est axioma, *nil magis naturæ consentaneum est, quam ut iisdem modis res dissolvantur, quibus constituuntur*. Ita ut si populus sit quicquam in *electione*, non possit fieri ciphra in *privatione* vel *translatione* imperii. Si autem objiciatur esse hanc opinionem exitiosam *Papæ, Imperatori & Regibus electis*: Concedo, imo dico, quod debeat esse perniciosa ejusmodi personatis Papis, Imperatoribus, & electis Regibus, qui transiliunt limites suos, atque in Tyrannos convertuntur. Securitatem autem gignit sedibus, imperiis, regnisque ipsorum, imo & illis ipsis, si sint prudentes. *Plenitudo potestatis est plenitudo tempestatis*: Primaria verò, cur hic nolim largius inquirere, causa est, quoniam id mihi necesse non est; & pertractans belli justitiam, nolo immiscere dubia indubitatis. Nam sicuti in causis capitalibus, ubi tantum de unius hominis vita instituitur quæstio, in *favorem vitæ*, argumentum evidens sit, necesse est; ita tanto magis id requiritur in judicio belli, quod hominum myriadibus est capitale. Suppono igitur pessimum: *Bellum in Bohemia offensivum fuisse injustum*: & deinde casum formans, qui æque cito deciditur ac formatur: si modo formetur plane & perspicue, non verò involvatur: Estque in thesi talis. Cœptum est *bellum offensivum*, estque injustum respectu invasoris. Prosecutio atque cursus belli defendentem cogit occupare vetus & indubitatum primi invasoris patrimonium; qui nunc in defendentem
com-

commutatur, quæritur ergo: an hic pacem inire vel potius defendere se teneatur: aut si ejectus fuerit provinciis suis, nonne licebit recuperare eas? Certe nemo tam est ingenio orbus, quin affirmet. *Cadmi Castellum* ceperat, Thebasque ipsas infestabat, *Phœbidas Lacedemon* vafre & perfide: hinc Thebani adacti oppugnare Castellum, civitatemque recuperare suam, & prosequi bellum usque ad Spartæ mœnia. Quæro an Spartanæ civitatis defensio injusta fuerit, Thebanorumque ex Laconum territorio veteri expulsio? occupatio illius in *Mediolanensi Ducatu partis*, quæ *Abduæ* fluvio adjacet, à Venetis facta, erat ambitiosa ex fœdere cum Gallis expugnatio, atque injusta. Verum hæc belli rota, agitari cœpta, tantam in *Venetos* devolvit tempestatem, ut Padua & Tarvisium ipsis fuerint ademtæ; omnes etiam in continenti terra deserere cogerentur provincias, solisque marinis contenti vivere aquis. Dicetne hic aliquis, memorabilem Paduæ recuperationem & defensionem, (cum Veneti nobiles, bello non assueti, amore tamen patriæ fortes evaserint primo die milites) ut & Tarvisii receptionem, aliorumque Dominiorum, fuisse scrupulose examinandam, justæ essent nec ne, quoniam occupationis origo lis erat injusta? *Dux Urbinatum* Julii II. P. R. Nepos iniquum gessit bellum, cum esset Hispanorum rebellium Dux; quid enim iniquius, quam vires animumque rebellibus addere desperatis, S. Pet. invadere Patrimonium? &c. Fortuna

belli tandem & Urbinum eripuit Duci, indubitato jure ad ipsum pertinens. Et tamen hoc in casu nullus confessionarius (quamvis severam ipsi ob primam iniquitatem injunxisset pœnitentiam) suasisset dimissionem sui in Urbinates juris, quod recuperavit feliciter posthac, atque ad posteros transmisit suos ad hunc usque diem. Nihil injustius quam invasio maris nostri à classe Hispanica An. 88. facta. Sancta enim ipsis fuit terra nostra, calcare eam ipsis non licuit. Dicamne autem Lisboæ vel Gadium defensionem postmodum fuisse injustam? sunt præterea exempla innumera: ast *utor in re non dubia exemplis non necessariis*: Ratio est aperta, Bella sunt *vindictæ*. Vindictæ autem infinitæ non sunt, sed ad mensuram primarum injuriarum & damni exigendæ. Ideoque quando bellum offensivum voluntarium processu fortunaque belli in defensivum convertitur, tragœdiæ scena immutatur, & quasi novus incipit actus: Quanquam enim speciales in bello actus sint connexi reipsa, attamen in jure separati & distincti: instar intricatarum in foro litium, in quibus pars utraque est justa. Atque hoc tam clare patet, ut ulteriore non egeat discussione. Ac nihilominus si in rebus adeo claris, loqui licet de magis aut minus claro in casu nostro præsenti, major evidentia à nostra stat parte; jam enim *subest Bohemia Imperatori*. Nam licet verum sit: non dari compensationem injuriarum; attamen major daretur prætextus ad Palatinatum detinendum, sub specie compensationis,

tionis, si Bohemia fuisset perdita, vel adhuc belli existeret theatrum. De hoc igitur amplius nil dico, si verò obtenditur Proscriptio seu confiscatio, quam Imperator hac in causa tanquam Judex & Actor pronunciavit, regero: Prohibeat Deus ne fiat ad bellum appellatio. Nam revera forum Poli, æque est Cancellaria ad proscriptiones examinandas & mitigandas, ac legis communis forum ad decidenda jura. Et revera nunquam deessent in *Germania*, *Italia*, alibique locorum turbæ, si imperiales proscriptiones justum gignerent titulum.

Et tantum de primo pro Bello Hispanico argumento, quod est quasi actio propter recuperandum Palatinatum: omisso illo quod largioris discussus esse possit materia, multisque comprobatur exemplis; *Quodcunque acquiritur pacificationibus iniquis restituendum est in integrum.* Videmus id quotidie fieri in actionibus civilibus. Imagines enim grandium rerum optime cernuntur in speculis contractæ exiguis. Videmus *curias* omnes *Prætorias*, si pars quædam sopiatur prætextu compositionis & transactionis, altera verò astute favorem legis lucretur, vel ad ipsam usque sententiam & executionem: illa tamen summa fora, omnia in statum, in quo prius fuere, reponere, neque ullum respectum ad evictionem aut dispositionem habere. Tandem opinetur nemo, me de bello pro recuperando Palatinatu loquentem, velle ut id fiat *linea recta*, ad illum Ducatum: Nam introspice jus fæciale, exemplaque

omnia, & absque scrupulo videbitur æquum esse: Quod post legationem *ad res repetendas*, atque repulsam, denunciationem etiam & indictionem belli, bellum amplius non sit ad controversum locum alligatum, sed relinquatur liberum prout opportunitas tulerit, invitaveritve.

Ad secundum igitur argumentum procedo, quod erat, *justissimus metus ne subruatur Respubl. nostra.* Suscipitur igitur bellum non solum pro Palatinatu, verum pro Anglia, Scotia, Hibernia, Rege nostro, Principe nostro, gente nostra, & quicquid habemus denique. Sunt autem hic probanda duo. *Primum*, quod justus metus (absque invasione ipsa vel injuriis aliis) sufficiens sit belli revera defensivi causa. *Secundum*, quod justam habeamus nobis ab Hispanis timendi causam. *Justam*, verò dico, *causam*; nam bene JCti definiunt, *justum metum*, *qui cadit in constantem virum*, *in rebus privatis*, *&* *justum metum*, *qui cadit in constantem senatum*, *in causa publica*. Non ex umbratilibus levibusque suspicionibus & longinquis conjecturis; sed ex manifesta damnorum imminentium prævisione.

De primo audiamus secula disserere. *Thucydides* in introductione ad magni Peloponnesiaci belli historiam inquit, genuinam ejus fuisse causam Athenarum incrementa & Lacedemoniorum metum: nec veretur asserere Lacedemoniis inde bellandi necessitatem impositam: quod defensivum arguit bellum. Verba ejus sunt hæc: *Verissimam quidem*,

dem, sed minime sermone celebratam arbitror extitisse belli causam, Athenienses magnos effectos, & Lacedemoniis formidolosos, necessitatem illis imposuisse bellandi: quæ autem propalam ferebantur utrinque causæ, istæ fuerunt &c. *Sulpitius Galba* Consul Romanis suadens, ut præveniant bello Philippum Macedonum Regem, qui magno tum instructus erat exercitu, intendebatque quosdam ex Romanorum confœderatis oppugnare, audacter affirmavit, non intelligere quæstionem; qui hoc pro offensivo habeant bello. *Ignorare videmini mihi, Quirites, non utrum bellum an pacem habeatis, Vos Consules (neque enim id liberum vobis permittit Philippus, qui terra marique ingens bellum molitur,) sed utrum in Macedoniam legiones transportetis, an hostem in Italiam recipiatis. Antiochus* cum invitaret *Prusiam Bythiniæ* Regem (eo tempore Romanis confœderatum) ut secum adversus eosdem arma jungat, proponebat ei justum metum ex nimio Romanorum incremento capiendum, comparans eos igni, continuo absumenti, & de regno in regnum serpenti: *Venire Romanos ad omnia regna tollenda, ut nullum usquam orbis terrarum nisi Romanum Imperium esset; Philippum & Nabin expugnatos se tertium peti, ut quisque proximus ab oppresso sit, per omnes velut continens incendium pervasurum.* Ubi bene meretur observari, quod cum regnis ambitiosis (quæ ad summas adspirare Monarchias notum est, & omnibus occasionibus quærere imperii sui extensionem) *crescant argumenta justi metus.* Ideoque in consiliis de

bello contra Turcam gerendo, sæpe magno cum judicio ostensum est; Christianorum Principes & status sufficientia habere pro invasivo bello argumenta, non religionis causa, sed justi metus ergo. Nam sicuti apud Turcas fundamentalis lex est, Christianos oppugnare solum legis suæ propagandæ causa; ita Christianis non nisi perpetuus belli impendentis metus relinquitur; ideoque omni tempore quo opportunum videtur, prævenire Turcas possunt. Demosthenes omnia deridet bella, quæ hostem non præveniunt; comparans illos, qui aliter belligerant, rusticis in palæstrâ certantibus, nec antequam icti fuerint, advertentibus: *Ut Barbari pugiles dimicare solent, ita vos bellum geritis cum Philippo: ex his enim qui ictus est, ictui semper inhæret: Quod si eum alibi verberes, illico manus transfert; ictum autem depellere aut prospicere, neque scit, neque vult.*

Clinias in Platone ferociter loquitur, pacem inter gentes non dari, sed unamquamque opportunam tantum aliam oppugnandi expectare occasionem. Et in hac sermonis temeritate ista latet civilis prudentia: Unamquamque remp. debere sibi cavere, & prævenire potius, quam præveniri. Verba ejus sunt: *Quam rem fere vocant pacem, nudum & inane nomen est: revera autem omnibus adversus omnes civitates bellum sempiternum perdurat.* Bene quidem novi, verba hæc objectionem, non decisionem constituere atque refutari deinde: Veruntamen (ut dixi) tantum continet veritatis, quod si universalis malitia, &

ad.

ad bellum apparatus (quæ Clinias malè in omnibus fingit gentibus) ad justum usque provehantur metum, jam amplius pax non erit, sed pacis tantum nomen.

Iphicrates Athenienſ. ad bellum gerendum neque justum belli metum poſcit, & Cliniæ conſentit. Nam in tractatione pacis cum Lacedemonibus apertè infit, pacem eſſe non poſſe, *niſi Lacedemonii ea omnia largiantur quibus conceſſis, Athenienſibus amplius nocere non poſſent, licet vellent.* Et ut verum eloquar, hic fuit omni in ævo ſummus prudentiæ apex in fortibus ſapientibusque conſiliis: invigilare ne reſpubl. adjacentes invaſione, incremento, confœderatorum ruina, mercaturæ attenuatione, ſimilibusque noceant reipub. cui miniſtrant: Et quandocunque ejusmodi enituit caſus, illico bello redimere eundem, nunquam autem pacem ſubleſta paciſci fide. Memoria dignum, imo & recenti hæret memoria, illos Regum Triumviros, (*Henricum VIII. Angliæ, Franciſcum I. Franciæ & Carolum V. Imperatorem atque Hiſpaniæ Regem*) tempore ſuo tam fuiſſe providos, ut ne terra, vel unius palmæ amplitudinem exæquans, ab alterutro acquireretur; mox enim duo reliqui omnem intenderunt nervum, ut ex æquo ſtatuerent Europæ bilancem.

Parem his diligentiam navarunt ante ipſos Ferdinandus Neapolitanorum Rex, Laurentius Mediceus, Florentinorum Dux & Ludovicus Zfortia Mediolanenſium, fœdus ſancientes (ex quo Guicciardinus ſuam orditur hiſtoriam, ac ſi æra eſſet felicis in Italia ſtatus)

ſtatus) imprimis adverſus ingruentem Venetorum potentiam deſignatum; ita tamen ut confœderati ſemper ſe intuerentur invicem, obſervarentque ne alter increſceret. Ut igitur finiam; quanquam Scholaſtici (reverendi aliàs viri, aptiores tamen ad dirigendos calamos, quam gladios) exiſtiment offenſivum bellum quodcunque, debere eſſe ultionem; ultionem autem præſupponere invaſionem præcedaneam vel injurias: attamen nunquam ad hunc, de quo loquimur, deſcendunt metum juſtum; neque tantæ ſunt authoritatis, ut definire poſſint quæſtionem, adverſus omnia ſeculorum exempla. Nam revera quamdiu ratio eſt ratio, juſtus metus juſtiſſima erit prævenientis belli cauſa: præſertim autem, ſi caſum ingrediatur certiſſima notitia de gente ad Monarchiam adſpirante, novasque regiones ambiente: Tum certe reſpubl. alias prima expectare verbera neceſſe non eſt, neque reprehendendæ ſunt, ſi Poliphemi ſortem, quæ erat devorari poſtremo, ſubire nolint.

Porro autem obſervo in illo Platonis loco nuper allegato (vel ex opinione quæſtionem determinantis, non verò objicientis) juſtum metum pro juſtiſſima haberi belli invaſivi cauſa: licet metus non procedat ex vitio Reipubl. invadentis. Nam traditur ibi, quod ſi Reſp. ex proprii corporis ægritudine timeat ſeditionem ſeu motus inteſtinos, poſſe eam exonerare humores illos vitioſos bello externo tanquam Medicina opportuna. Suaſit hoc *Gaſpar Colinius* Franciæ Admiralius

Carolo

Carolo IX. fortiter ipsum ad Belgicum incitans bellum, quo civiles in Gallia extinguerentur motus. Sed neque hoc consilium successit feliciter; neque ego hanc omnino defendam thesin: nolo enim Politicos armare adversus Ethicam: ancillatur Ethica vera Theologiæ & Religioni. Revera S. Thomas (cujus ingenium inter scholasticos latissime patuit) suum imprimis stylum adversus depravatos flectit affectus, in bello prædominantes, & ex S. Augustino dicit; *Nocendi cupiditas, ulciscendi crudelitas, implacatus & implacabilis animus, feritas rebellandi, libido dominandi, & si quæ sunt similia, hæc sunt quæ in bellis jure culpantur.* Ipseque tamen Thomas de genuinis belli causis differens, relinquit in terminis admodum generalibus. *Requiritur ad bellum causa justa, ut scil. illi, qui impugnantur, propter aliquam culpam impugnationem mereantur.* Nam *impugnatio culpæ* magis generalis est quam *ultio injuriæ.* Et tantum de propositione prima argumenti secundi, videl. *justum metum esse justam belli causam, & præveniens bellum esse defensivum.*

Secunda seu minor propositio erat: Huic regno metuendam esse ruinam ab Hispano. Et hic verum est, metum semper obscurius discerni quam facta: & ex altera parte, metum sæpius ita repræsentari hominum mentibus, ut potius eas caligare faciat, quam aperte cernere. Loquar igitur ea ratione, quam requirit objectum, i. e. probabiliter, modeste & breviter. Neque dedu-

deducam metum hunc ad ea quæ nunc accidunt, sed tantum generalia monstrabo fundamenta, reliqua magis secretis permittens consiliis.

Nihilne est, quod Hispanus magis dilataverit limites suos intra hos centum viginti annos, quam Ottomannus? Non de connubiis loquor vel conjunctionibus, sed armis, occupationibus, invasionibus. *Granada*, *Neapolis*, *Mediolanum*, *Portugallia*, *India Orientalis*, *Occidentalis*; huic accesserunt regno, desiderarunt etiam *Britanniam Gallicam*, *inferiorem Picardiæ partem*, & *Pedemontium*, sed spes decollavit; in hunc usque diem adeo inhiant Valli Tellinæ, ut accipiter alaudæ. Palatinatus etiam in ipsorum est manibus: adeo ut manifestius nihil sit, quam Hispanos adhuc Imperium desiderare, reliquis inter Christianos Rebuspubl. tranquille viventibus. Aspice deinde titulos, quibus has novas acquisiverunt, & adhuc tenent terrarum portiones, & tam videbis varios, & ejusmodi generis, ut (decenter loquar) facile possint formari, nec ullo deficere tempore. Ideoque quot novæ terrarum expugnationes & acquisitiones, tot classici pulsationes, quæ metum aliis incutiant nationibus & ad arma provocent: Titulorum autem facilitas tanto vehementius classicum canit, quanto citius & ipsas innectere suæ potest ambitioni.

Si à generali ipsorum habitu, dominium extendendi suum, descendamus ad particularem, & desiderium quo nobis inhiant, videbimus

videbimus jam bis ipsos hoc tentasse regnum. Prima vice connubio Mariæ Reginæ, altera oppugnatione anno 88. cum vires ipsorum maritimæ & terrestres infirmiores non essent, quam nunc existunt. Illo autem tempore anno 88. Hispanorum Consilia & intentio ex multis observatis, videbantur esse; quoniam bellum Belgicum tam esset indecorum atque diuturnum, ut statuerent, quod, quamdiu Anglia permaneret in eo statu, ut posset succurrere Belgis, se tantum ipsos sint consumturi bello infinito; idcirco oppugnandam & supprimendam esse Angliam; quæ Flamingorum fuerit columen & fulcrum: Et quis quæso spondebit eadem consilia non reditura? adeoque forti constringam periculorum dilemmate. Si permittemus everti Flamingos, erimus nudi atque ornatu spoliati, sunt enim ipsi quasi antepagmenta nostra: si succurremus (ut decet) fortiter ipsosque erigemus, Hispaniam autem non debilitabimus, periclitabimur belli scenam atque in Hiberniam convertemus vel Angliam. Sicuti rheumata & defluxiones in corpore, quæ si emplastrum imponas crassius, causam verò morbi non tollas, ad alium descendunt locum seu membrum. Bis invaserunt Hiberniam, semel sub Pontificis R. vexillo à Dno Grajo cæsi, & deinde proprio suo nomine, à Domino Montejo fugati. Et hoc sufficiat nobis, ut intelligamus, quomodo erga nos affecti sint. Sed objiciat aliquis, hæc vetera respiciunt, nunc alia sunt tempora. Non invasit Hispanus regionem
hanc

hanc ab illo tempore, quamvis vehementer lacessitus à nobis fuerit duabus invasionibus distinctis. Verum est, sed expende, immediate post annum 88. diu fuit occupatus in protectione fœderis Gallici, nec aliis tunc vacare negotiis potuit; Deinde attenuatus vastis continuisque bellis requievit & respiravit, acceptaque reparavit damna. Nunc autem res ad eundem videntur redire statum. Imo majori cum damno nostro. Contigua enim fecerunt Dominia sua, à Mediolano per Vallem Tellinam & Palatinatum ad Belgium usque: Videmusque quomodo sitiant aliarum rerumpubl. ruinam, despicientes fere Germanos, nec, nisi ab Anglia, metuentes oppositionem. Unde necessario sequitur, ut vel permittamus Germanos subverti nostro cum damno, aut expectemus, ut dixi antehac, quid Hispani sint accepturi. Neque internum damnum hic succrescens omittendum. Pontificiorum in Anglia factio magis nunc connectitur, tum quoad dependentiam ab Hispanis, tum inter se, quam ante hac factum. Et hic in considerationem redit, anni 88. actio; tum enim ex literis diversorum secretis apparuit, intendisse Hispanos aliquot ante invasionem annis, factionem hoc in regno, quæ sibi, cum advenirent, adhærere parata esset. Jactitarunt etiam, non dubitare se de Regina, senatuque Anglicano, quin securi sint futuri, harumque rerum minime gnari. Nam, inquiebant, Respubl. Anglicana circumspiciet saltem, num eminens aliquis

Vir

Vir Dux istius esse queat factionis, & nullum inveniens secura deget. Ipsi enim cum plebe tantum atque privatis agere constituerant, per reconciliationes, confessiones & promissa secreta; neque multum de factionis duce laboraverunt. Et hæc genuina fuit causa, cur posthæc seminaria florere inciperent, inque Angliam missiones fierent; (quod anno 23. Elisabethæ factum, quo etiam prima de invasione suspicio enata) tum etiam, nec ante illud tempus, severæ adversus Pontificios condi cœperunt leges. Possunt itaque Pontificii suam immutare gratiarum actionem, & cum gratias hactenus egerint Hispano pro ejus in se favore, nunc ei accepta ferant pericula & calamitates, si quæ ipsis acciderunt: nihil enim causam eorum tam fecit malam, quam de magnitudine Hispanica addubitatio; quæ rationem status jungens conscientiæ atque religionis negotiis, leges adversus eos acuit. Et hicce casus quadantenus videtur nunc reverti, nisi S.R. Majestatis clementia, ut & Reip. superabundet. Ego quidem id opto, vellemque, ut ratio in eos procedendi potius securitatis ergo & providentiæ instituatur, seu ratione status; quam ut sit persecutio religionis causa. Sed finiam; ista breviter enarrata possunt in materia conjecturali & futura docere, quam justam regio hæc timoris causam habeat: prætermissis etiam (ut dixi) præsentibus magisque secretis actionibus.

Tertium pro bello Hispanico argumentum, est justus ob Ecclesiæ religionisque eversio-

eversionem metus; quod minime multis eget verbis. Nam si bellum hoc sit defensivum, (ut probavi) nemo dubitabit, bellum defensivum pro religione contra exterum esse legitimum. De bello offensivo major est disputatio: miror tamen scholasticis deficere verba in defensione belli pro recuperanda terra & sepulchro S. suscipiendi, cum S. Bernhardo deficerent ad commendandum illud. Ego verò qui in hoc exiguo tractatu omitto necessaria, non necessaria hic inserere nequeo. Nemo, inquam, dubitabit, si Papa vel Hispaniarum Rex à nobis exigerent religionis nostræ abjurationem sub pœna belli, æque injustum hoc fore postulatum ac *Persarum Græcis* aqua & terra interdicentium: vel *Ammonitarum* ab Israelitis dextrum oculum flagitantium. Gentiles omnes defensiva sua bella insignivêrunt *pro aris & focis*: Altaria sua cordibus suis præponentes, ita ut in vanum sit, plura de isto loqui. Hoc saltem addendum; religioni ab Hispano magis metuendum, quam ab aliis principibus Pontificiis vel rebuspubl.; nam istis sufficit si in territoriis suis manu teneant religionem suam, nec aliorum regnorum subditis se immiscent. Hispani autem mens fuit tum Caroli V. tum fœderis Gallici tempore, per bellum, & nunc nobiscum per fœderum pacta, immiscere se exteris & declarare, esse se protectorem generalem omnium in orbe Pontificiorum. Ac si eadem cum Ottomanno sentiret & Papæ leges propagare armis vellet, ut iste Mahometis.

hometis. Et tantum de litis justitia; si bellum Regi suscipere libeat: nam omnia quæ dixi, dicturusque sum, docebunt saltem, quid ipsi facere liceat.

Alterum quod expendam est roboris nostri cum Hispanorum libramentum: & hoc quoque plus non intendit, quam quid Rex facere possit: hoc enim duplex est, potest Rex facere quod *justum* est, & quod *Possibile*: de illo jam dixi, hoc sequitur: dixi etiam Hispanum non esse Gigantem, aut si sit, erit David adversus Goliathum. Deus enim à nostris stat partibus. Verum relinquamus argumenta supernaturalia, & more humano atque Politico loquamur: existimo non prævalere Hispaniam Angliæ vel ex iis fundamentis, quibus innituntur omnes, *Experientia & ratione*. Ab experientia initium faciam, hinc enim omnis incipit ratio.

Fortunamne dicemus, quod in bellis omnibus, magnis vel exiguis, quibus annis abhinc multis cum Hispano decertavimus, cum honore & lucro fuerimus superiores: certe fortuna non est: tam enim constans non est. Est aliquid in populo ingenitæ fortitudinis, vel simile quiddam. Ostendam id breviter ex historiis absque auxesi. Hic autem sermo, inquies, decet Campi-ducem ante prælium alloquentem exercitus: assentior: verum nec dedecet idem senatum, de bello incipiendo consultantem. Non tamen loquar ista in Hispanicæ gentis contemtum: existimo enim & ipsam optimos in Europa

ropa suppeditare milites: sed honori saltem nostro cedat, si ipsius fuerimus superiores.

Anno 1578. fatalis ille extitit dies, Joannis Austriaci extinguens gloriam, cui nec ipse diu fuit superstes. Superior is erat exercitu, assistebant ei Parmensis Princeps, Mondragonius & Mansfeldius, aliique Hispanorum Duces optimi, sed de victoria certus nimis, fortiter confœderatorum copias prope Rimenantam aggressus est ab initio, sed post integræ diei pugnam profligabatur, atque cedere cogebatur, cum magna suorum strage, cursuque aliarum actionum penitus interrupto; idque fortitudine & alacritate imprimis Anglici & Scotici exercitus, Ducibus Johanne Norisio & Roberto Stuardo Equitibus: exercitus hi ad confœderatos tantum pridie venerant, longo difficilique itinere defatigati; & (prout memoratu digna in omnibus historiis erit circumstantia) milites, magis solis ardorem, quam algidum mortis timorem sentientes abjecerant armaturam atque vestes, in indusiis solis pugnantes: omnesque delevissent Hispanorum copias, nisi Comes Bossuvii tardus fuisset in persequendis Hispanis. Verum sufficiebat istud ad castigationem Austriaci, intuitu insidiosæ de pace tractationis, qua quamprimum adveniret, imposuit confœderatis. Hujus autem diei felicitas (præter omnium historiarum testimonium) eo certius Anglis Scotisque adscribi potest, ex prælii (in quo multi fuerunt Scoti

Scoti atque Angli) cum alio comparatione, ante ſemeſtre prope Gemblacum confecto, ubi pauci exiſtentes Angli & Scoti, & hi ab ipſis ſociis ſuis in confuſionem acti, Johanni Auſtriaco reliquerunt victoriam.

Primum belli fulmen ab Hiſpania, vel Roma, in Hiberniam anno 1580. miſſum eſt. Nam Stukelii intentio in Africam tranſibat; Sanderi autem & Fiz Mauritii tentamina olebant inſaniam. Hoc anno Hiſpanici & Italici exercitus ſub Pontificis vexillo & San-Joſephi imperio invadebant Hiberniam, numero 700. aut plures Smervici in Kerey appellentes. Exiguus certe numerus ad debellandam Hiberniam, Pontificique ſubigendam: non enim aliquid intendebant minus: Verum afferebant arma, quæ millibus quinque præter ſeipſos ſufficerent; Providebant enim de iis Hiberniæ rebellibus: propoſitumque ipſis erat in deſolata quadam regione conſidere & ſe circumvallare, atque donec majora advenirent auxilia expectare; ſiquidem ipſos ſubito hanc audere oportuit expeditionem, ex ratione quadam ſtatus, ad expeditionem iſtam non pertinentem; eratque hac Hiberniæ invaſione interrumpere Anglorum conſilia atque divertere ab auxiliis in Belgium mittendis. Eligebant ſibi locum extruebantque fortalitium, Del Or cognominatum. Et hinc excurrebant ad fortalitium ſuum, ſubinde ac beſtiæ in ſpeluncam revertentes. Deinde verò obſeſſi à Grajo tum Pro-Rege, copiis minoribus,

P quam

quam ipsi intra fortalitium haberent; temerarie quidem, sed festinandum erat, antequam ad ipsos intrarent rebelles; & post quatuor dierum obsidionem, duasque vel tres eruptiones, jactura Hispanos manente, dedebant semetipsos absque conditione: adeo ut non sufficerent Anglorum milites captivis singulis. Et quia Pro-Rex quovis momento metuebat rebellium assultus, navesque deessent, quibus transportarentur captivi, omnes percussit gladio; quod tamen indigne tulit Elisabetha Regina.

Anno 1582. accidit memorabilis ille apud Gandavum receptus; quo nulla gloriosior extitit belli actio. Nam opinione belli peritorum, receptus honesti præliis inferiores non sunt; utpote habentes minus fortunæ, plus disciplinæ & fortitudinem parem. Trecentos equites, & ter mille pedites Anglos (Norisio Ductore) Parmensis adoriebatur cum septies mille equitibus, totoque Hispanorum exercitu in procinctu stante: Hic Norisius se recepit cum suis, perque milliaria aliquot, planitiem etiam, usque ad urbem minore cum virorum strage, quam hostis eum persequens, devenit. Duxque Andegavensis & Auriacus insignem hanc ex Gandavi muris intuiti sunt actionem summa cum admiratione.

Anno 1585. prospera in Indiam occidentalem Drakii & Cartilæ expeditio subsecuta; in qua prætereo S. Jacobi & S. Dominici, oppidorum in Hispaniola, inopinam potius oppressionem, quam occupationem.

Sed

Sed illam Carthagenæ tantum adducam, ubi Hispani de nostro audiverunt adventu, armarunt se etiam, & fecerunt difficillimum. Accessus enim ad urbem per augustam patuit viam, ex utroque latere mari coarctatam: ipsa urbs vallo mœnibusque munita erat, milites autem eam oppugnantes, & à fronte sclopetis feriebantur, & ex latere altero è navibus petebantur: sed progressi sunt nihilominus nostri, urbemque expugnarunt, sat multis refertam copiis. Expeditionem verò Francisci Draki susceptam anno 1587. ad destruendam Hispanorum classem in propriis ipsorum littoribus; ut asserere nequeo, aliquo constitisse atroci pugna; ita minimum inde colligere libet, vel quam infirmi domi sint Hispani, vel quam tardi ad agendum. Cum permitterent exiguæ Anglorum classi invadere seu ingredi portus suos, inde à Gadibus ad Caput sacrum & hinc usque ad Cascain, & incendere, mergere atque auferre quæ possent; perdiderunt autem ex magnis plurima, & minimum quinquaginta vel sexaginta navigia secum abduxerunt minora; idque in conspectu Castellorum, & fere intuente magno ipsorum Admiralio (optimo Hispanorum Thalassiarcha) Marchione de S. Cruce: ita ut ne quidem ad pugnam exire vellent. Et recordor Drakium libero militum stylo, de hoc dixisse opere, quod vellicaverint Hispaniæ regis barbam.

Invasio anni 88. meretur paulo exactius considerari: est enim præsentis ævi miraculum.

lum. Hispanorum classis fuit maxima ex iis, quæ unquam innatarunt æquori: licet enim plures numero olim fuerint naves, attamen neque tam magnæ extiterunt, neque tanto belli fuerunt instructæ apparatu. Intentio erat non tantum invadere, verum debellare penitus hoc regnum. Naves erant 130. ex quibus bellicæ insignes 72. erant instar turrium seu Castellorum Oceano innatantium; milites in istis erant 30000. Hæc autem classis quinque annis ad minimum structa est. Divino quoque innitebatur auxilio; recepit enim à *Sixto* P. R. benedictionem, eratque quasi *Apostolica missio* ad reducendum regnum hoc sub Romanæ sedis obedientiam. Inque certius sanctæ expeditionis signum, duodecim ex his navibus, Apostolorum adipiscebantur nomina. Sed non immerito crediderunt Angliam expugnari non posse, nisi & terræ continentis fluvii mari se conjungerent: ideoque in Flandria paratus erat exercitus 50000. militum veteranorum, Parmensi ductore, optimo ætate sua belli Duce post Henricum IV. G. R. Hic maritimo jungendus exercitus pandis imponi debebat navibus sub alis & protectione classis magnæ militaturus: non enim de victoria dubitabant. Contra vim istam parabantur ex parte nostra naves fere 100. non tam magnæ; sed agiles magis & veloces, præter 30. naves ad fretum custodiendum destinatæ. In continenti etiam in promptu erant exercitus duo, præter copias alias numero 10000. in oppidis, littoribus vicinis

vicinis, dispositas in plaga meridionali. Exercituum vero alter ex 25000. peditum equitumque consistens, destinabatur ad repellendum hostem, si forte in terram ascenderet: alii verò 25000. milites Reginam comitabantur atque custodiebant. Erant & alii milites descripti, per integrum regnum, non tamen in unum collecti. In exercitus imperium committebatur illustribus duobus viris, sed aulicis potius & politicis, quam militiæ expertis: junctis tamen ipsis aliis & expertis & fortibus Fortuna belli expeditionem hanc ab initio fecit ludicram: Hispanorum enim classis Mense Majo ex Coronæ portu solvens dispergebatur atque retroire cogebatur tempestate; Nostra paulo serius prodibat Pleymutho, atque usque ad Hispanorum littora provehebatur, tum quia volebat Hispanos aggredi, tum quoniam retrogressos esse sciebat: Verum addubitans, ne forte Hispani ad littora pervenirent Anglicana, dum à se quærerentur, Pleymuthum quoque redibat circa Julii medium. Illo tempore plausibilis (sed falsus) rumor non tantum ad Admiralium nostrum, verum & Reginam pervenit, Hispanos non posse hoc prodire anno; nam cum classis nostra in procinctu esset ut dissolveretur, multique militum exirent in terram: Invincibilis Hispanorum classis (sic enim arroganter appellabatur per Europam) in occiduis conspiciebatur littoribus. Inopinatum hoc erat, nam ut dixi, militum multi excesserant, navesque dimitti debebant. Nihilominus Admiralius

ralius tot solum navibus, quot subito paratæ erant, obviam iis processit; licet ex 100. navibus vix 30. in pugnam proderent: his & illis quæ subveniebant quotidie, aggressus est fugavitque Hispanos; qui ex magnanimitatis defectu (ipsi dicunt mandati) pugnam declinantes in gyro tantum oberrarunt, majoribus minores defendentes naves, & sic ad Caletum usque aufugerunt. Nostri per 5. vel 6. dies arcte ipsos sunt insecuti & pugnantes assiduè multos necaverunt, duas maximarum navium ceperunt, aliasque plurimas ita perforarunt, ut mergerentur: & verbo, clade affecere fere internecina; Nostris interea damni nequicquam recipientibus, aut exigui saltem. Prope Caletum anchoris firmaverunt tandem naves Hispani, terrestrem expectantes exercitum, qui neutiquam adveniebat. Hinc fama, Parmensem Ducem subdole suum distulisse adventum; ast fabula; id enim ab Hispanis obtendebatur, partim ex invidia erga Ducem; erat enim Italus, filiusque ipsius Portugalliæ corrivalis: præprimis autem ad declinandam tantæ cladis ignominiam. Unica ergo ipsorum est excusatio, Thalassiarcham suum limitatum habuisse mandatum, non pugnandi antequam accederet exercitus terrestris; non Parmensem ex privatis opem detrectasse causis. Sed revera peregrinum hoc fuit mandatum, peregrinaque erga mandatum observantia; in ipsa sanguinis sui effusione, cum nostri tam fortiter ipsos adorti essent, componere manus, nec semet defen-

defendere, quod vel contra ipsam naturæ necessitatisque est legem. Dux verò Parmensis eleganter ad hanc allectus est Angliæ invasionem; non enim minus promissum est, quam Angliæ regnum, quod veluti feudum seu beneficiarium sub Papæ dominio teneret absoluto, & Hispani protectione. Præterea, Parmensem diu & posthæc in dignitate mansisse sua, favoreque Hispaniæ Regis usum, apparet ex iis, quæ ipsi in Gallia perficienda sunt commissa. Manifestum quoque est, venisse ipsum, navesque conscendere voluisse. Sed hic versatur rei cardo, classis Hispanica advertens, quanta acciperet damna, inferret nulla, ob agilitatem nostrarum navium exiguitatemque, nautarum etiam peritiam; deinde quod ipsa gubernaretur ab Admirali exiguæ fortitudinis atque experientiæ; amisisset etiam binos Ducum optimos, Petrum de Valdez & Michaelem de Oquenda; non ausa est pugnam experiri, sed unice terrestribus confidit copiis. Ex altera parte terrestris exercitus transportatio ipso deficiebat fundamento; nam cum Hispaniæ senatus plenam spem concepisset, classem suam fore maris Dominam, sufficienter posse custodire nec non protegere transportationis navigia: contrarium vero eveniret, classis fugaretur, nec semetipsam servare posset incolumem: porro Belgæ includerent terrestrem exercitum triginta navium classe, opportune resistentes; hæc, inquam, cum ita se haberent, coactus fuisset transvolare Parmensis in Angliam, nul-

lum enim præsto fuit navigium, neque nauta. Quanquam & hoc verum sit, Parmensem adhuc classis expectasse adventum, vel eo tempore ipso, cum in Oceano oberraret Septentrionali. Sed revertamur ad classem, quam reliquimus prope Caletum subsidentem. Inde (ut Walterus Raulegus solebat dicere) pyrobolis fuit abacta. Erat enim tantummodo stratagema ignitarum navium absque viris, venti favore ad ipsam missarum, quibus adeo territa est, ut rudentibus dissectis, anchoris fugerit relictis. Postmodum biduo vel triduo Gravelingæ imminuit, sed magna iterum clade affecta est, cum illa nostra classis, maris angustias custodiens, adveniret, alterique se jungeret. Hinc Hispani majori indies terrore percussi, videntes etiam plures suorum naves mergi quotidie, omnem abjecerunt animum; & loco ejus quod *Thamesis* ingredi debuerint *Ostium*, *Londinum* versus (ut primo intenderunt) septentrionem versus navigarunt, amissam quærentes fortunam; sed & hic nostri eos prosecuti sunt, donec ob pyrii pulveris defectum cessare cogerentur. Scotiæ halitum seu aërem ferre nequierunt Hispani: neque ut invasores appellere in Hibernia, sed clara saltem fecerunt littora quædam suis naufragiis. Et sic septentrionem versus provecti, quamdiu victores sibi imminere crederent, non redierunt, donec securos se scirent; Oceanum denique transfretantes in Hispaniam reversi 80. navibus amissis, & majori hominum numero. Et hæc fuit Ca-

tastrophe marini illius gigantis, scil. Invincibilis classis; quæ neque tuguriolum in continenti nostra regione incendit, neque navigiolum ademit in æquore, sed per solitudines borealis oceani vagata secundum S. Scripturam: *una via contra nos processit, septem verò coram nobis fugit viis*; adimplens solum quod Astrologus dudum vaticinatus erat: *octuagesimus octavus mirabilis annus*: aut potius demonstrans (vel in posteritatis admirationem) mira Dei judicia ut plurimum gentem manere magnam & ambitiosam.

Anno sequenti 1589. non concedebamus Hispanis respirandi otium, sed provocantes fiebamus, invadentes ipsum Hispaniæ meditullium. Non quidem hic optatum consequebamur effectum, qui erat, Don Antonio in Portugalliæ restituere regnum; attamen vix alia actio melius nobis magna Hispanicæ Potentiæ revelabit secreta: quæ Potentia videbitur potius consistere in milite veterano (qualem his fere 120. annis habuerunt in promptu, ad omnes inter Christianos occasiones) quam in robore Dominiorum seu Provinciarum. Nam quid magis contemtibilem reddit Hispanorum in continenti terra Potentiam, quam quod 11000. militibus Anglis inexercitatis & navibus 26. bellicis, cum aliis ad transfretandum navigiolis, duorum mensium spatio occupavimus muris conscensis oppidum non minimi momenti, oppugnavimus aliud, magnum in terra fugavimus exercitum, & denique quod impediti ponte firmiter munito, in

tribus diversis regni ipsius locis exercitum expofuimus, septem dies in regni meditullium processimus; pernoctavimus tribus noctibus in Metropolis suburbiis; profligavimus exercitum incolis spectantibus; occupavimus fortalitia duo in limitibus sita, & discessimus non alia militum nostrorum jactura, quam ex morbo. Et recte dictum est, nisi quatuor impedivissent illius expeditionis infortunia (quæ erant: rerum promissarum defectus, præsertim tormentorum: vana Antonii spes de populi affectu & subsidiis: classis quæ in Tago ad Lisboam usque pervenire debuit frustratio: & denique morbi per integrum serpentis exercitum ob ingentem æstum, militumque ingluviem) successu non fuisset destituta, sed penetrassemus Lisboam usque. Verum sit hoc utcunque velit, abunde tamen orbi demonstrat, Anglos non multos Hispaniam invadentes posse certam victoriæ spem habere; ad minimum nancisci ad tuto remeandum literas propempticas, vel si mavis, salvum conductum.

Anno 1591. memorabile accidit prælium Navis Anglicanæ, *Vindicta* cognominatæ, gubernante eam Richardo Greavilo Equite. Memorabile, inquam, & supra fidem, ad imitationem fere Heroicæ cujusdam fabulæ. Clades quidem fuit, ast victoria præstantior: fuit enim instar Simsonis plures in morte cædentis, quam in vita. Navem hanc 15. horis, veluti cervum canes, cinxerant & oppugnabant 15. ingentes Hispanorum

norum naves, ad classem 50. navium pertinentes, quæ è longinquo spectavit prælium. Inter illas autem 15. pugnantes erat magna S. Philippi navis 1500 tonnarum capax, Apostolorum maritimorum Princeps, lætata cum Vindictam effugere posset: quæ ducentis tantum militibus nautisque, quorum 80. ægroti decumbebant, instructa, tam diu sustinuit prælium, duasque inimicorum naves ablegavit in abyssum, præter alias quassatas, & virorum stragem, & capta quidem est, sed pacto non vi: Hostibus ipsis admirantibus Gubernatoris fortitudinem, & integram navis tragœdiam.

Anno 1596. secundam in Hispaniam suscipiebamus expeditionem, feliciter nos ducente *Roberto Essexiæ Comite*, una cum *Nothingamio.* Erat ea instar fulguris, nam intra horas quatuordecim Hispanorum classis disjiciebatur, atque Gades capiebantur: erat autem classis 50. navium, præter minores ei ministrantes; tanto autem cum terrore fugabantur, ut Hispani tandem in semetipsos sævirent, atque comburerent naves proprias, rates vero beneficio littorum, breviumque liberarentur solæ. Civitas autem elegans, munita, ædificiis opibusque referta, apud veteres famosa, nunc autem ob infortunium hoc in ore omnium, diripiebatur incendebaturque, clementia tamen incolis exhibita. Verum subita victoria non magis admiranda, quam Hispanorum patientia; qui licet ibi per aliquot

moraremur dies; non tamen sunt nos adorti, neque posthæc unquam vindicarunt cladem hanc, aut damni reparationem exegerunt.

Anno 1600. fiebat prælium Neoportense in Belgio, Archiduce & statibus invicem decertantibus. Hoc autem prælium unicum est, quod plurimis his annis confectum est. Nam prælia in bello Gallico fuerunt frequentia, in Belgio autem rara, prout defensivum requirit bellum. Exercitus utrinque erant pares. Statuum prævalebat quidem numero, sed alter Hispanorum militum fortitudine; erant enim selecti. Adoriebatur illum Archidux, præveniebatque, mox diligentiæ celeritatisque suæ consecutus fructum. Nam aggressus Scotos, forte octingentos & à reliquo dirimens corpore, per viam, quam sternere suis jusserat, penitus delevit eos, honeste cum cedere non possent, & turpiter fugere nollent, sed potius locum sanguine insignire suo. Hoc prælii initium animum addidit Hispanis, sed hebetavit gladios, in universum deinde exercitum arroganter strictos. Ipsum prælium subsecutum, non festinavit cædem, neque fortuna diei ex paucarum copiarum nece dependit, sed processit distincte per turmas singulas, non sine successus ambiguitate, *stat pedi pes, densusque viro vir.* Sed accidebat erroris quiddam apud Germanos, nimia quorundam festinatione, quo tormentorum impediebatur exoneratio. Exitus tamen erat ejusmodi, ut Hispani profligaren-

garentur, ex ipsis ad 5000 cæsis. Istius diei gloria tam ab inimicis, quam à Germanis, accepta ferebatur Anglis, de quibus *Franciscus Verus* Eques in hujus prælii commentario testatur, quod ex 1500 (plures enim non aderant) octingenti fuerint cæsi, & (quod fere circa victores videtur impossibile) ex reliquis septingentis, nonnisi duo solum illæsi extiterint milites. Hic autem est *Verus*, qui eximio honore affectus, ab Auriaco Principe regendum die illo accepit militem: secundasque partes Frater ejus Horatius Verus Eques; nec obscura tunc fuerunt Eduardi Cecilii & Johannis Oglii aliorumque servitia.

Anno 1601. subsequebatur ad Kingsalium in Hibernia prælium. Ex hoc discet aliquis, quamdiu Hispanus in Hibernia vivere possit: scilicet non ultra trimestre, aut quadrimestre ad summum: Licet omnibus potitus esset commodis; neque potuisset imaginari quisquam, (expensis copiis, quæ adversum eos ducerentur exiguis) tam subito profligatum iri. Nemine resistente Kingsalium occuparunt Hispani Septembre declinante, 150. enim milites Angli præsidiarii deseruerant oppidum istis appropinquantibus, Cives verò receperant tanquam amicos; erant autem ipsi ad 2000. Veterani sub Johanne de Aquila olim militantes. Oppidum licet bene erat munitum, non tamen defuit Hispanorum industria, ad melius muniendum, juxta artem suam, qua pollent, fortificatoriam. Tempore illo inso-

lescebant rebelles, primis freti successibus. Licet enim Pro-Rex Montejus, atque Georgius Careus Momoniæ Præses, multis ipsos affecissent damnis, attamen clades, quam nuper acceperant Angli ad Blakwater; & transactio (nimium ipsis benigna) cum Essexiæ Comite facta, in recenti tenebatur memoria, statuit recuperare urbem antequam succurrerent alii, Menseque Octobri obsedit per tres & quod excedit menses brumales, in quibus excurrebant quidem sæpius Hispani, sed repellebantur etiam cum suorum jactura. Mense Januario novæ ab Hispania veniebant cohortes 2000 ductore Alonzo d'Ocampo. Horum auxilio freti Tironius & Odonnel colligebant copias suas 7000 militum, Hispanis non numeratis: & prodeuntes aperto marte, liberare volebant urbem, cumque Anglis confligere. Sic res ibi se habebat. Angli verò numero 6000 defatigati brumali obsidione, circumdati exercitu se numerosiori, recenti etiam & animoso ex una, & urbe bene munita atque fortiter defensa, ex altera parte, primum in Hibernos Hispanosque se ostentantes fecerunt impetum; inter quos, rebelles scilicet & Hispanos, non alia visa est differentia, quam alterum aufugisse ante prælium, alterum mox secutum esse. Qui vero in oppido conclusi tenebantur Hispani, tam bene meminerant cladis suæ acceptæ in excursibus pristinis, ut neque subsidiariæ cohortis fiducia prodirent. Tandem consummata Anglis cessit Victoria, 2000. ex hostibus

bus cæsi, novem tormenta capta, in quibus sex Hispanica: captus etiam Hispanorum Dux d'Ocampo; tam exigua cum Anglorum jactura, ut (quemadmodum confidenter potius quam credibiliter asserunt) unus tantum occisus fuerit Richardus Gream Vexillifer, quamquam non paucis vulneratis. Cladem hanc illico civitatis deditio subsecuta est per transactionem; qua etiam pactum, ut omnes Hispani, etiam ex aliis fortalitiis omnibus, magis adhuc vel solo situ munitis, excederent i. e. Castelhaven, Baltimore & Beerhaven. Et hi cum sono quidem tubæ abscesserunt, ast revera non nisi convitia in Hiberniæ regionem atque populum ebuccinarunt: in tantum ut d'Aquila in publica pacis tractatione diceret: *Diabolum Christo in monte omnia terræ regna ostendentem, eorumque gloriam; omisisse omnino Hiberniam, sibique reservasse.*

Hic subsisto, prætermittens pauca alia fortitudinis fortunæque Anglicanæ hac ætate testimonia: qualia præbent Parisiorum suburbia, Ravelina, Drusa Normanniæ, & quædam in Britannia ac prope Ostendam actiones, aliaque: tum quoniam illorum quædam non fuerunt Anglorum cum Hispanis conflictus, nec recensita æquant. Verum quidem est, ex omnibus horum temporum ausis, Francisci Draki & Johannis Haukini Equitum, in occidentalem Indiam navigationem infelicem fuisse: ast non infringit assertionem nostram, quæ erat, nos Hispanis prævaluisse: ex morbo enim om-
nes

nes detinente, ut apparet ex amborum Gubernatorum Draki scil. & Haukini morte, oriebatur hæc infelicitas. Terrestris autem Panamæ invasio erat malo & immaturo consilio cœpta: innitebatur enim falsæ persuasioni, ac si ad Panamam aditus melius non fuissent muniti, quam Drakus ipsos reliquerat. Verum neque hic nostri cladem acceperunt, sed retrogressi sunt, cum robur suum adversus primum tentassent propugnaculum, atque cognovissent duo adhuc superesse alia. Verum quidem est, quod classem nostram 14 navium ægrotis tantummodo refertam & ducibus orbam, in reditu Avellaneda 20. ingentibus stipatus navibus Hispanicis adortus fuerit; Sed nullum hic prælium, præterquam quod Hispani ipsam tantum ad promontorium Cape de los Corientes leviter ad pugnam invitaverint, atque sine jactura dimiserint ulla: & quanquam novi quid esset, quod Hispani impune lacesserent Anglos, non tamen Avellaneda veritus est gloriari, non alia de causa, quam quod è longinquo præstolatus fuerit Anglos, inde scil. à Promontorio de los Corientes usque ad S. Antonii, sermone militibus Hispanisque familiari, dicens se fugasse Anglos.

Pergerem nunc ad alia, nisi removenda foret objectio, conclusionem ab experientia, distinguendo inter præteritum & præsens tempus, infringens. Dicet enim aliquis, illis temporibus, de quibus locuti

sumus

ſumus, non adeo potentem fuiſſe Hiſpaniam uti nunc; Angliam verò tum potentiorem. Conſideremus ergo hanc temporum diſparitatem absque præjudicio, & apparebit, pro Anglia nunc militaturam. Ut etiam evitemus generalia, comparationem temporibus adſtringemus certis, & quidem ſtatum Angliæ Hiſpaniæque in anno 88. cum præſenti. Iſta vero pertractaturus non immiſcebo perſonarum comparationem, e. g. Principum, Conſiliariorum, Belli-Ducum, Thalaſſiarcharum, qui olim fuerunt & nunc exiſtunt, utrobique. Sed acquieſcam tantum Reipubl. exercitibus atque negotiis expendendis. Non tamen ideo perſonalem prætermitto comparationem, ut de noſtra diffidam præſtantia, ſed quoniam nihil proferre volo, quod adulationem vel cenſuram modernæ gubernationis redolet.

Primo, in confeſſo eſt, Hiſpanos non plures quiete poſſidere regiones, quam anno 88. Quoad vallem Tellinam autem & Palatinatum obſervetur Politicorum regula: regiones noviter occupatas eſſe potius oneri quam lucro. Ex altera verò parte, Anglia Scotiam habet unitam & Hiberniam ſubjugatam, ditatamque colonis; quæ inſignia ſunt incrementa.

Secundo, anno 88. Galliæ regnum ſeipſo ſufficiens (multo magis aliis confœderatum) ad oppugnandam Hiſpaniam, in ſe diviſum erat, & Ligiſtæ, ex Hiſpano plerumque dependentes Regi dictabant leges.

Jam

Jam vero unitum sub rege juvene & forti, ipsi parebit integrum, si modo voluerit ipse: est enim æque Navarræ Rex ac Galliæ, nec amplius jam captivus, quamvis duplici confœderationis vinculo Hispano adstrictus.

Tertio, anno 88 Romanam tenebat sedem vehementer fulminans Monachus, omnia miscens: & tandem ipsi etiam Hispaniæ inhians, sed morte præveniebatur. Jam verò in eam conscendit homo, probe electus, nulla ratione Hispano obstrictus, homo legationibus statusque negotiis innutritus; qui multa habet ex Principe, ex Monacho nihil: Et licet Pontificialem sedem vehementer amet, plus tamen diligit Tapetes, i. e. Italiam ipsiusque libertates ex æquo.

Quarto, anno 88. Daniæ Rex Anglis erat ignotus, magisque erga Hispanos pronus. Nunc vero sanguini nostro insertus, atque in Palatinatus controversia implicitus est. Tum etiam Venetiæ, Sabaudia, Principes & civitates Germaniæ, obscure metuebant increscentem Hispaniam, ex generali solum apprehensione ambitionis ejus. Nunc autem timor augetur, dum vident Vallem Tellinam & Palatinatum ei parere, per quas provincias propius ad ipsos accedit.

Quinto & ultimo Belga (Hispani adversarius perpetuus) nunc multo plures, quam Hispanus habet naves, opibus etiam potitur majoribus: cum possibile non sit, Hispanos

nos nunc ditiores esse quam 88. anno. Nam tempore illo Hispanus non nisi cum Belgis bellum gerebat, quod jam ordinarium factum erat: Nunc autem junctum ei est ob Vallem Tellinam & Palatinatum dissidium. Atque sic temporum comparationem finio, status secreta non attingens: Sed illum styli characterem mihi servans, de quo Seneca dicit: *Plus significat, quam loquitur.*

Ad alia nunc transirem, nisi foret necesse, detegere hic errorem communiter receptum adversus omnes temporum rationes atque experientiam. Videlicet: Hispanum semel intrantem; raro vel nunquam egredi. Verum hoc minime verum est. Nuper pedem fixerant in Brivatibus vulgo Brest, aliisque Britanniæ locis, quæ deseruerunt iterum. Tenebant *Caletum*, *Arelatum & Ambianum*, sed reddiderunt aut ejecti sunt. Deinde & Versaliam tenebant, sed jam deseruerunt: Nuper Vallem Tellinam occuparunt, jam autem aliis concrediderunt: Quid de Civitate *Ormuz* fiet, quam cepit Persa, videbimus. Ita ut si de hac posteriore loquamur ætate, videntur potius inhiasse multis, quam obtinuisse constanter aliquid. Annis autem superioribus, (omitto enim quæ acquisiverunt in Africa, & dereliquerunt) cum magnus eorum Imperator Carolus Germaniam ferè conclusisset pugno, cogebatur tamen discedere Isburgo, (quasi larvatus & ad facem) omniaque, quæ acquisiverat in Germania, relinquere

quere; unde fortassis enatum hæreditarium jus nuper acquisiti Palatinatus. Et jam dimitto argumenta ab experientia annalibusque desumta, quæ mihi persuadent, Hispaniam non fore superiorem nobis, si Rex bellum suscipere voluerit.

Rationis argumenta sunt plurima; indicabo tantum præcipua, breviterque explicabo tanquam in germine. Situationem prætereo, quamvis levis momenti non sit. Anglia, Scotia, Hibernia, nobisque arcte confœderati Belgæ, adjacent sibi invicem, nec nisi per mare adiri possunt, aut minimum transfretando flumina, quæ naturæ sunt munimenta. Hispaniæ autem Provinciæ, adeo sunt dispersæ, ut amplam largiantur belli scenæ electionem, lentaque iis promittant partibus auxilia, quæ forte an occuparentur. Tria sunt imprimis belli robora: *milites*, *pecunia*, *& confœderati*. In militibus observentur virtus & numerus: de virtute nihil; collige ex dictis eam: nec antiquorum observatio mendax. Hispani fortitudo consistit in intuentis oculo. Angli autem consistit circa cor militis. Fortitudo gloriosa, diversa est à fortitudine innata. Sed mittamus ista atque de numero loquamur. Hispania incolis non abundat, tum quia solum sterile, tum quia indigenæ minuuntur expeditionibus in terras nimium dissitas: unde pro miraculo habitum, videre decem vel duodecim Hispanorum indigenarum millia in exercitu. Et certum est (ut supra dictum) secretum po-

tentiæ Hispanicæ consistere in milite Veterano, collecto ex omnibus nationibus, & dudum hic illic adhibito. Si ergo infortunata quædam ipsis accideret clades, ægre numerum supplerent. Narrant de Legato Hispanico, qui *S. Marci Venetiis* Gazam conspiciens in terram diu defixit oculos, interrogatusque cur id faceret, respondit: *se attendere num etiam thesaurus iste radicem habeat, ut dissipatus iterum succrescere queat) instar thesauri domini sui.* Sit hoc utcunque verum de ipsorum thesauro, certe exercitus vix radice gaudet: vel ad summum tali gaudet, quæ parce & lente germinat. Habent quidem Walones milites proceros; sed exigua horum est terræ portio. Ex adverso vix in orbe uberior militum scaturigo & seminarium quam Anglia, Scotia & Hibernia; unitæque Provinciæ; ita ut licet subitaneo delerentur bello, suppleri tamen & subito possent.

Pecunia quidem maxima Hispanicæ magnitudinis est portio, nam ea veteranum alit militem, & est unica Europæ Resp. quæ divitiis pollet. Sed vel hinc patet magnitudinis ejus infirmitas. Magnitudo eorum innititur thesauro, thesaurus ex Indiis affertur. Indiæ autem (si recte consideretur) sunt accessorium ejus, qui mari dominatur: adeoque axis illa, circa quam versatur eorum magnitudo, facile diffindi vel diffringi potest ab illo, qui prævalebit in Oceano. Judicet autem amicus vel inimicus, annon

magna

magna Britannia, unitæque Provinciæ, in æquore Hispanos superare queant: & hoc si fiet, rupta est illius magnitudinis catena. Sed demus, Hispaniam esse tam opulentam, ut non liceat nobis ratione opum ad bellum descendere; respondeo, monetariam officinam & apud nos resonare, in populo etiam palpitationem cordis itidem bene resonare: Deinde cum bella plerumque sint paupertatis causa, hoc è contrario bellum (si maritimum) erit lucri plenum & impensas restituens: adeo ut si fortiter incipiamus, bellum deinde semetipsum sit propagaturum. Distinguantur igitur necesse est, *Herculis* terrestris labor, & *Jasonis* navigatio, aurei velleris causa suscepta.

De confœderatis nõn præsumam scire quomodo principes, Respubl. & consilia in Europa hodie erga Hispaniam affectæ sint. Istud enim in secreta involat, à quibus in hac disputatione integra abstinui. Sed loquamur de apertis & manifestis. Materiam quidem litis & zeli video, non verò amicitiæ & fiduciæ, apud omnes Respubl. erga Hispaniam. Penes Gallum est æmulatio ob tres Provincias isti subjectas, *Navarram*, *Neapolim*, & *Mediolanum*, & nuperam litem ob Vallem Tellinam. Video singulis 30. vel 40. annis emergere Papam, qui Neapolim ad Ecclesiam reducere cupit: quales fuerunt Julius II. Paulus IV. & Sixtus V. Quod Germanos attinet existimo, prægnantioribus

bus nunc impelli rationibus, ut fœdere se jungant Gallo, Britanniæ magnæ, aut Daniæ, ad defendendam libertatem suam, ejiciendumque Hispanum omnemque militem exterum, quam annis 1552. & 1553. quo tempore fœdus inibant cum Henrico II. G. R. eadem de causa contra Carolum V., qui magnam Germaniæ partem subjugaverat, Principum discordia, quam ipse disseminaverat, usus. Et hoc fœdus omne tulit punctum, ejecit enim Hispanos, Germanisque restituit libertatem antiquam & gloriam. Indiam quidem occidentalem adhuc quiete Hispanus possidet, nec ullos hic sentit inimicos præter Anglos, illam quoque tentantes, veruntamen video Principes eò intendere animum, existimantes Hispanorum in eam jus esse saltem monopolium, magnæ imaginariæ possessionis. In Africa occidentali Æthiopes, Valencia expulsi, ipsorumque confœderati adhuc instar nubis tempestuosæ impendent Hispaniæ. Gaborius in Oriente, & ventus anniversarius Austriam infestans. Persia quoque capessivit adversus Hispaniam arma, & Ormum ademit. Unusquisque novit, existimare Venetos, parietem ardere proximum, si Hispani teneant Vallem Tellinam. Sabaudiæ Dux nuper demum didicit, fœdera cum Hispano non patrocinari adversus Ambitionem Hispaniæ. Bavarus etiam didicit, merita & servitia Hispanum saltem de die in diem obligare. In his omnibus tamen non pernego, posse Hispaniam hæc sui ingenii mala

la temperare speciali callidaque negotiatione sua: saltem quod instar ægri corporis tandem aliquando erumpant: adeoque confirment: destitui Hispaniam certis fidisque confœderatis. Concludam igitur verbis status consiliarii in Hispania hodienum viventis, nec sine sale prolatis. Loquebatur autem ad Regem modernum, ex occasione quadam sic inquiens: *Domine, hoc tantum in Majestatis Vestræ solatium dicam, habere eandem duos solummodo inimicos, quorum alter mundus est universus, alter ministri Majestatis Vestræ domestici.* Et sic etiam secundum absolvi membrum, quod erat comparatio virium S. R. Majestatis nostræ cum Hispanicis, si bellum foret suscipiendum.

ORA-

ORATIONES

In Parlamento, Camera Stellata, Banco Regio & Cancellaria habitæ, à

FRANCISCO BACONO,

Barone Verulamio, Vice-Comite S. Albani.

ORATIO

In Parlamento recitata, Anno Eliſabethæ 39. ratione ſubſidiorum.

PLaceat Vobis (*Domine Prolocutor*) Oportet me rationem habere temporis, quod jam præteriit, ita tamen ut conſiderem materiam, quæ magni momenti eſt. Magnum hoc negotium ab initio graviter proponebatur: egregie deinde ſuadebatur, urgebaturque: ille etiam qui poſtremo locutus eſt, multum ei impendit temporis, nec ſine cauſa. Ego itaque locuturus de eodem, multo iis inferior ero. Attamen quoniam Domus hujus mixtura requirit, ut in ejuſmodi negotiis ſententiam ſuam dicant æque ex vulgo aliqui, ac Viri in authoritate conſtituti: Dicam pauca & talia, quæ neque Ærarii, neque Conſilii Regii ſpectent ſecreta; decet enim me ſermo magis plebejus. Neque in me ſuſcipiam laudare inſignia ſpe-

cialisque Reginæ beneficia, ex prudentissimo ejus felicissimoque regimine in nos defluentia, ut iis Vos ad retributionem excitem. Nam nullus id pro merito efficere potest, & Regina juxta magnanimitatem suam beneficia sua collocat, sicut Gratiæ diplomata liberrima, *absque aliquo inde reddendo*. Nullam expectat mercedem, (quam seipsam) præter amorem & fidelitatem. Neque nimis arcte regni hujus statum considerabo, quomodo se habeat ad materiam subjectam, respectu tributorum. Quanquam demonstrare possim (quæcunque tandem aliorum sit opinio) nunquam subditos alios majori gavisos esse libertate, atque oneribus pressos minoribus: Et sive exteros intueamur hoc tempore, aut retrospiciamus ad priora patriæ nostræ secula, nos insignem tributorum differentiam reperturos esse, confido. Sed præterire nunc ista libet; non ac si vererer referre vobis calamitates exteras, aut aperire monumenta tributorum, dudum oblivione sepultorum, quod alias ubi comparatio instituitur, necessarium foret: Sed quoniam hac in domo oratio tantum in genere suadere debet, specialia vero tractare commissiones decet. Neque in Reginæ modum erogandi pecuniam commentabor, utpote quam non immensis nonnecessariisque profundit donationibus, nec pretiosis inutilibusque impendit triumphis, & similibus magnificis rebus; sed in solam conservationem, protectionem & Honorem Patriæ insumit. Non enim licet mihi tam arro-

arrogantem esse & Reginæ ponderare actiones: quas admirari potius decet quam interpretari, aut edisserere, quamvis & optima cum intentione. Certus autem sum, quod opes à Vobis ad Reginam delatæ, sint quasi vapor, ex terra ascendens, qui in nubem condensatus, non diu ibi permanet, sed cito in eandem recidit terram; & quid tum, si guttæ ejus aliquot super Galliam decidant destillentque aut Belgium? Hoc ipsum enim est quasi fragrans odor honoris existimationisque, qui manet gentem nostram apud universum orbem. Verum insistam ego solum naturali & inviolabili Legi de conservatione sui.

Veritas est, *Domine Prolocutor*, eaque familiaris, quod securitas atque sui conservatio præferri debeat lucro & incrementis. Illa etiam consilia quæ conservationem spectant propriam, comitem habeant necessitatem; Illa autem quæ deliberant, quomodo aliis sit benefaciendum, suadere tantum possint. Lucrum semper est, neque damnum ulla ratione infert, quando in fine computationis cernitur, securitatem acquisitam esse. Indicia veritatis hujus reperiuntur ubique. Ægrotus libenter aliquam sanguinis sui partem dimittit, ut reliquus conservetur. In mari navigans libenter aliquam suorum bonorum partem ejicit, ut reliqua conserventur. Agricola concedit aliquam agri sui partem sepimentis & fossis, ut reliqua defendantur. Imo, *Domine Prolocutor*, disputator si sapiens sit, concedet quædam

etiam sibi adversa, eum in finem, ut reliqua opinionis suæ tanto melius defendat. Verum locus hic præcipit non pertractare materiam hanc quasi locum communem. Edisseram igitur quod probatum est, & vel in me efficax fuit: scio enim vos pariter esse affectos. Post Parlamentum ultimo coactum quatuor acciderunt Reipublicæ, satis vulgata omnibusque vobis cognita, & me judice regno huic perniciem minantia. Non tamen ista loquor ceu timore correptus; scio enim me Anglorum loqui Heroibus; sed intuitu necessariæ providentiæ. Scio enim regna & Respublicas cum statuerunt arma suscipere adversus se invicem, impedimentis quatuor retrahi ab attentatis suis.

Primum horum est, quando rebus domesticis occupantur, coguntur hic quasi *aliud agere*, & sic à consiliis bellicis divertere

Alterum est, quando destituuntur loco ad accessum seu invasionem commodo.

Tertium, quando considerant negotii difficultatem atque invasionis inhonestatem, vel etiam carere se apparatu sufficiente.

Quartum, quando Respubl. ob Principis senium inepta redditur ad actiones discriminis motuumque plenas; istaque affectio non exasperatur provocationibus quibusdam aut contemptu. Jam placeat Vobis examinare, annon remotis his quatuor impedimentis, pericula increverint, &, quidem vi illorum, quæ acciderunt nobis nuper, ex quo scil. ultimum sedit Parlamentum.

Illicò post illud Parlamentum *Galliæ Rex* pristinam deseruit religionem; ideoque & plebejus intelligere potest, lites inter Galliam & Hispaniam agitatas, facilius nunc componi posse; majoremque ex iis quæ aguntur pacis spem elucescere, quàm antehac: Hanc si subsecuturam ponamus, videbimus; Hispaniam magis aptam fore ad exserendum in nos odium suum.

Notum deinde est, post Parlamentum illud Hispanos occupasse illum accessus Anglicani locum, qui in nullius antehac Hispanici Regis fuit manibus, Caletum videlicet: quod respectu status, & valoris, utilitatisque suæ omnium certè opinione nihil aliud est, quam pulsare fores nostras.

Post ultimum quoque Parlamentum illud Hiberniæ ulcus, jam antehac erumpens, nunc majori cum furore sævit, serpitque; quod non potest non incendere Hispanorum ambitionem, qui jamdum experti sunt, quam rigidæ complexionis sit regnum istud, atque difficulter alias invadi queat: ideoque ut rheumata & humores solent, verisimile est, posse ulcere hoc corrumpi & illud, quod apud nos infirmum est maleque affectum.

Denique palam est nunc, multisque in posterum erit seculis, quod duabus his expeditionibus maritimis Hispaniæ Regem lacessiverimus, atque exposuerimus contemptui, adeo ut imaginari quis nequeat, posse eum vindictæ cogitationes omittere.

Hic igitur accidentium illorum concur-

ſus, quorum alia tendunt ad liberationem inimicorum noſtrorum, alia promovent eorum intentionem, alia excitant alliciuntque eos, alia laceſſunt & calcar addunt, non poteſt non minari nobis periculorum incrementum, idque magna quadam proportione.

Denique tantum unicum Domui huic argumentum proponam locupletandi ærarii cauſa, idque tale eſt.

Video homines alacriter & fortiter procedere, quando obtinuerunt quod optarunt, atque à quo retenti fuerunt hactenus. Ego ipſe recordor in hoc nobiliſſimo conſeſſu, & aliis regni hujus locis, homines admodum fuiſſe pronos in bellum invaſivum. Tum dicebamus, bellum defenſivum eſſe inſtar uſuræ conſumentis mordacisque; volebamus igitur omnino eſſe aggreſſores invaſoresque. *Habes quod tota mente petiſti.* Annon perſequemur nunc vota noſtra? præſertim cum guſtaverimus tam ſuaves & felices deſiderii noſtri fructus:

Prima harum expeditionum invaſivarum feliciter ſucceſſit; occupavit portum celebrem in medio ſinuque terræ hoſtilis ſitum: ad eamque deſperationem adegit Hiſpanos, ut igni ſe tradiderint ipſi, Indicamque ſuam claſſem, quaſi in ſacrificium grati DEO odoris, ob immanem barbaramque crudelitatem in miſeros exercitam Indos, exuſſerint: Confudit etiam computationes eorum, ita ut proxima quæ audirentur nova, enarrarent proteſtationes adverſus Cambii literas,

literas, & quod fidem fefelliſſent mercatorum plurimi.

Expeditio poſterior magno animo adverſus ventorum tempeſtatem ſuſcepta fuit, omnesque difficultates alias, &, prӕterquam quod Hiſpanos alio divertit, atque immenſos eis cauſata fuit ſumptus, inſtar Tartarorum ſeu Parthorum arcus nocuit, quo feriunt etiam eos, qui ſunt à tergo. Effectus etiam ejus admodum ſenſit Gallia Belgiumque, ita ut vicini noſtri confœderatique meſſem ejus largam meſſuerint; & cum vitalis Hiſpaniӕ ſpiritus ad cor rediret, exteriora membra artusque tremuerint, nec reſiſtere valuerint. Nos vero perfectam habemus conſignationem omnium nobilium aliorumque, qui tum exiverunt redieruntque, ut & navium absque perſonarum cӕde, navigiorum naufragiis, diminutioneque alia quacunque. Hique ſunt felices effectus noſtri tam diu, tamque vehementer deſiderati invaſivi belli.

Sed ut finiam, *Domine Prolocutor*, non dubito unumquemque aſſenſurum, debere ſubſidia noſtra duas has habere notas: alteram, quӕ agnoſcat regni pericula in ea proportione, qua increverunt ab ultimi Parlamenti tempore; alteram, quӕ demonſtret ſatisfactum eſſe deſideriis noſtris ardentibus invaſivum bellum inchoando.

ORATIO
FRANCISCI BACONI EQUITIS,
Ab inferiori Parlamenti Domo Electi, ut offerret Regi libellum Supplicem, Annonæ Præfectos concernentem, Anno primo & secundo Jacobi. Sessione I.

NOn latet Majestatem Vestram (Rex Serenissime) quod Imperatores Romani, ad illustrandam gloriam decusque suum, titulis suis addiderint terrarum gentiumque, quas vicerant, nomina, cognominarique voluerint: *Germanicus*, *Britannicus*, &c. Posthæc autem *Patris Patriæ* successit appellatio, ceu omnis humanæ gloriæ fastigium; immediatè præcedens *Augusti* vocem seu titulum. Et sic indicare voluerunt se quodammodo affines esse (respectu scil. officii sui) gloriæ divinæ. Posset Majestas Vestra optimo jure plurima ex aliis assumere agnomina, appellarique, *Germanicus*, *Saxonicus*, *Britannicus*, *Francicus*, *Danicus*, *Gothicus*, &c. pertinent enim ad Maj. Vest. non sanguinis effusione (ut ad Romanos) sed consanguinitate: commeant in Majestatis Vestræ Persona nobilissima Regii sanguinis variorum in Europa regnorum fluenta, atque uniuntur. Agnomen tamen nullum Maj. V. magis decet, quam *Patris Patriæ*, quod non tam Scriptio titulorum, quam regiminis innuit

innuit forma. Haud necesse est ut dicamus Majestati Vestræ, quæ Julio Cæsari sunt dicta. *Quæ miremur habemus, quæ laudemus expectamus.* Agnoscimus (idque sine adulationis crimine) invenisse nos in Majestate Vestra magna & admirationis & laudis argumenta. Magna nos cepit admiratio, ex quo hoc sedit Parlamentum, admissos in præsentiam Vestram, audientesque vocem vestram regiam, de duobus illis, i. e. de reditu Francisci Goodvini Equ. & Unione disserentem. Videbatur ex altero illo, quod erat quæstio legis maxime subtilis; & ex posteriore, quod erat status quæstio maximè sublimis, impleri illud Scripturæ, de Regum sapientissimo dictum: *latitudinem cordis ejus fuisse quasi arenam, quæ est in littore maris.* Arena enim, quamvis est ex maximis in terra corporibus, attamen consistit ex corpusculis seu partibus minimis. Ita, inquam, videbatur nobis ex duobus casibus istis, à DEO Majestatem Vestram præditam esse tanta capacitate, ut comprehendere sagacique intellectu assequi possit negotiorum maxima, nec non discernere minima. Quoad laudes vero Bonitati debitas, non possumus non grati agnoscere, quod M. V. *infra orbem anni vertentis* conata fuerit unire Ecclesiam, in se divisam: augere nobilium numerum, valde imminutum: & liberare populum ab oneribus, quibus opprimebatur.

In operum horum Bonitatis Vestræ postremo, quod liberationem solatiumque

populi concernit, comprehenditur etiam delegatio, cujus vigore nunc coram Majestate Vestra compareo, narraturus gravamina ex mala Annonæ Præfectorum administratione enata, atque aliquatenus distincta ab iis, de quibus nunc tractamus deliberamusque. Verum est, *Equites*, *Cives*, *Municipes* in Parlamento congregatos, repræsentare populum, tertium regni ordinem seu statum: ast esse potest, quamvis allaboremus fideliter perficere seu adimplere eorum qui nos elegerunt, desideria, ut in multis loquamur juxta sensum opinionemque nostram. In hoc autem gravamine, quo misera maxime plebs premitur, Nobiles autem minus; humillime precamur Majestatem Vestram, ut intelligat, se audire non opinionem nostram, sed ipsissima plebis suspiria & querelas, viva ipsiusmet voce, non per eam repræsentantes, prolatas. Nam non est in hoc regno gravamen magis universale, continuum, & exitiosum populo, quam istud. Permittat igitur M. V. clementissime, ut primo exhibere possim, quam fideliter ac reverenter hic egerimus: deinde, petitionem proponere nostram: & tertio addere quasdam rationes motivasque, Regiam Majestatis Vestræ considerationem & commiserationem submisse expetentes. Persuademus autem nobis, nunquam imperasse Regem, qui antecellat Maj. Vest. ingenii intellectu, cordisque affectu, in bonum solatiumque adamatorum subditorum suorum directis.

Quoad

Quoad primam, non desideramus in adhibendo remedio derogare Majestatis Vest. Autoritati; neque imminuere aut in quæstionem vocare ejusdem jura regia. Desideramus saltem abusuum emendationem, & executionem legum priorum, ad quas nati sumus. Et quamvis peregrinum in Parlamentis non sit, novis gravaminibus nova quærere remedia, attamen in his, (quæ si non specie, gradu tamen & summo excessu plerumque nova sunt) contenti erimus legibus antiquis: & rogabimus saltem eorundem confirmationem, atque vivificationem per executiones; & tam longe absumus ab innovationis & arrogantiæ prurigine.

Quod vero attinet Curiam viridium vestium, quæ Regiæ Maj. Vest. Familiæ providet; & antiquam & venerabilem esse censemus; Curiæ aliæ inserviunt Majestati Vestræ quatenus est Persona civilis, hæc autem quatenus naturalis est. Verum libet, Rex Eminentissime, uti libertate ea, quæ permittitur subditis mœrorem suum coram Rege gratiosissimo effundentibus: nec dividiæ erit, allegare similitudinem, cuidam ex Patribus alia in materia usitatam; nec inepte nostrum referentem statum: desumta ea est ex urticæ foliis & radice. Folia venenata sunt, uruntque cum attrectantur manibus. Radix autem sine veneno aut malignitate est: verum enim vero, ea est radix, quæ ista profert atque educit folia.

Jam succedat petitio nostra: quæ non alia est, quam ut Majestatis Vestræ benignitate

liberemur ab Annonæ Præfectorum injuriis, quæ in tres dividi queunt species. *Primo* exigunt, quæ minime exigere decet. *Secundo* plura recipiunt, quam quibus M. V. fruitur. *Tertio* accipiunt modo illegitimo: modo directe & expresse variis legibus vetito.

Quoad *primum* fas est eorum immutare nomen; Non sunt Receptores, sed Taxatores: nam pro eo quod providere Majestati Vestræ tenentur, taxant populum *ad redimendam vexationem.* Exigunt & extorquent ab eo diversas pecuniæ summas, nunc summatim, nunc per stipendia annuatim pendenda, *ne noceant.* Accipiunt etiam ligna, quod per leges minime licet; Ligna, quæ sunt decus & fulcra domuum, quibus pepercerunt diu coloni, inque proprium reservarunt usum, ideoque omni pretio majora æstimant: si autem adempta, damnum non facile resarciendum causantur. Ista surripiunt, non absque eversione atque ruina habitationum atque domuum subditorum Majestatis Vestræ; nisi fortasse transigatur cum eis juxta desideria eorum; Si vero Nobilis domi existens fortiter ipsis resistat, expectabunt donec peregre abierit, & villicus aut servus alius tantum præsto fuerit, cædentque arborem, antequam Dominus adverterit. Utuntur porro peregrino admodum injustissimæque exactionis genere: exigunt portorium à subditis in singulas libras, ipsis à Majestate Vestra debitas: ita ut pauper pro fœno suo, ligno,

aut

aut pullitie (quæ fortassis ægre dimisit, atque retinuisset libentius, quam vendidisset) sibi ademtis, neque justo pretio, verum æstimatione pro lubitu, poscens debiti solutionem ex libra 12. denarios perdere insuper teneatur, imo ad eam etiam provecti sunt iniquitatem, (uti fertur, licet sit incredibile; nisi quod de ejusmodi personis omnia videantur credibilia) ipsos duplex requirere portorium, prima vice quando debitum contrahitur, altera cum pecunia numeratur.

Secundo accipiunt plus quam M. Vest. opus est, suntque homines multiplicandi artis optime gnari. Affirmant enim Viri integræ famæ, harumque rerum experti, egoque coram Maj. V. (cui omnem debemus integritatem, non solum relationis, sed etiam subjectionis) tuto asserere queo, quod non sit libra hac ratione in M.V. commodum redundans, quæ non tres libras incommodi seu damni subditis inducat & gignat, præter animi ægritudinem. Et ut eo securius hoc perficiant, quid faciunt? Cum statuta diversa stricte injungant, ut quæcunque recipiunt, describantur atque consignentur, eum in finem, ut ex collatione & revisione fraus eorum patefiat, plane intermittunt consignationem istam.

Tertio illegitimus eorum receptionis modus, tam est multiplex ut potius tantum enumeratione quarundam partium egeat, quam enarratione singularum prolixa. Circa pretium: secundum legem tenentur accipere

re illo pretio, quo cum subditis convenire queunt: accipiunt autem violenta atque arbitraria æstimatione. Secundum legem æstimare seu taxare debent, judicio vicinorum in villis: ipsi vero taxant secunda vice in aula: & quando subditorum armenta gracilenta atque infirma adducuntur, quod ob itineris longitudinem aliter fieri nequit, denuo taxant atque vilius, quam antehac. Secundum legem accipere debent intra solis ortum & occasum, ipsi vero amant crepusculum & noctem, tempus maleficis opportunum. Secundum legem non licet accipere in viis regiis, (istæ enim regiis Privilegiis, & statutis expressis excmtæ sunt.) Verum ad ista non attendunt ipsi, non sine M. V. legumque manifesto contemtu. Secundum legem exhibere tenentur commissionem suam, Commissionis autem forma legibus circumscripta est. Commissiones seu mandata quæ isti afferunt legi adversantur; & quoniam ejus sibi sunt conscii, ostendere nolunt. Sunt & innumera alia, quorum ut quædam nunc recensui, ita eorum præcipua, deliberato consilio sunt scripto consignata, operâ quorundam ad id deputatorum, & approbata totius Domus consensu; magis specialiter & ad vivum expressa, quam ego referre queo: nam & ipse ego per secundam tantũ accepi manum, quoniam superius commorabar. Est autem scriptum ab iis collectum, qui medii habitant inter exactiones hominum istorum, populique gemitus: ideoque colligere licet, ipsos quam optime nosse omnes circumstantias.

Jam

Jam restat, ut pauca addam verba ad permovendam M. V. Pauca inquam verba, & vere pauca. Neque enim tanta facinora aggravare opus est; Neque tanta gratia, qualis sponte à Maj. V. regia procedit bonitate, artificiali persuasione eget. Duo saltem M. V. sunt proponenda. Exempla scil. inclytorum Maj. V. Prædecessorum, in hoc olim imperantium regno, qui omnes inde à primo, qui regionem hanc maximis donavit privilegiis, aliquas adversus hoc facinorosorum genus condiderunt leges. Ille autem præprimis sistendus, qui ob magnitudinem, sapientiam, gloriam & diversorum regnorum unionem M. Vest. imaginem refert, tum quoad Virtutem, tum quoad fortunam: *Eduardus Tertius*, suo in regno septem diversas hac in causa leges sanciens. Alterum sit ipsius DEI Exemplum, pronunciantis: *Se non habiturum insontem, qui assumserit nomen Domini DEI sui in vanum.* Rapinæ enim istæ omnes perficiuntur authoritate regii M. V. nominis. Speramus igitur quod M. V. dupliciter reos habitura sit homines istos: primo quoniam opprimunt populum: deinde quoniam id faciunt authoritate maximè Venerabilis adamatique Majestatis Vestræ nominis. Concludam itaque *Pindari* dicto: *optima res aqua*: non ob excellentiam suam, verum ob usum maxime communem: & sic è contrario hæc Annonæ præfectorum causa (si non est maxime flagitiosa) attamen est maxime communis, & generalis præ aliis in Regno flagitiis.

Superest

Superest autem ut vi mandati, quo teneor humillime libellum hunc supplicem offerre Majestatis Vestræ manibus regiis; ita etiam maxima cum submissione plebis nomine flagitem, ut M. V. sicuti gratiosissime dignata est me audire loquentem, ita prolonget patientiam suam, atque scripti hujus, quod majoris est ponderis, lectioni attendat.

ORATIO

quâ FRANCISCUS BACON, In Domo Inferiori recenset Orationem à Comite Salisburiensi habitam; & aliam etiam à Comite Northamtoniæ, in Colloquio, petitionem Mercatorum adversus Hispanicas vexationes, examinante.

Parlam. 5to. Jacobi.

PLaceat Vobis, *Domine Prolocutor.* Nulla quidem ratione me obstrictum sentio ad enarranda, quæ in nupero de *Hispanorum vexationibus* colloquio sunt pertractata; neque enim loqui mihi tum concedebatur, neque relatio demandata erat. Veruntamen, quoniam ad eam trahor expectatione tacita, quæ (quantum quidem novi) non alio innititur fundamento, quam quod visus fuerim diligenter annotare dicta, animus mihi est (si notæ illæ, in meæ tantum memoriæ subsidium conscriptæ, Domui huic relationis loco

loco esse queunt) non denegare vobis manipulum illum, quem collegi festinans. Ast fateor, aliquem ex Regiis Consiliariis præcipuis verba fecisse, orbem rerum maximum complectentia: ideoque supra vires fore meas, ex orbe hoc concinnum formare globum, aut quasi in mappa delineare singula.

Occasio sermonis, quem nunc enarrare constitui, Comiti data fuit per responsionem à nobis redditam, circa emendationes in *legum hostilium* propositas scriptum: hoc enim negotium paucis his dimisit verbis: Nolle se, ut responsum expectemus ulterius, quoniam Domus superior in mandatis non habeat disputare de eo. Pergens deinde, ad hoc descendit negotium, dixitque; quod locuturus de aliqua nostra propositione, uti & nos de illorum aliqua disserueramus, optaret, ut simili brevitate dimitti posset. Prævidit autem se respondendo ingressurum viam non solum longam, verum & difficulter inveniendam, & difficulter tenendam. Hoc enim negotium ita esse pertractandum, ne summa Regis lædatur potestas & authoritas, ac deinde ne suspiciones malignæ utrique subrepant Domui. Sperare igitur se, dixit, verba sua benignos habitura interpretes: nosse se enim, sermonis contextum, negotiique immensitatem, posse elicere verba etiam ab intentione sua alienissima. Ideoque se confidere magis innocuæ opinioni suæ, favorisque sui documentis, quam proprio circa verba sua studio atque solicitudini.

Hæc

Hæc præfatus, rem ipsam aggrediebatur Comes, & triplici consideratione exhibebat: dicebat enim, velle se considerare Petitionem,

Primo, ut procederet à Mercatoribus.

Secundo prout ab his Domui Inferiori oblata fuerit.

& *Tertio* quomodo ab hac commendata fuerit superiori.

Harum Considerationum prima mox subdividebatur in Personas, materiam quoque, & petitionis partes. Circa Mercatores petentes octo (quantum memini) observavit, tria ab initio de Mercatorum conditione in genere, & quinque deinde de Mercatoribus in specie nunc querulis.

Observatio generalis prima erat, Mercatores duum esse generum. Alii quærunt lucrum (ut est in versu) *per saxa, per ignes, Extremos currit Mercator ad Indos*: Seque exponunt aeris tempestatibus, quasi exilium subeunt, & suam deserunt patriam, non timent arestationes cum bella geruntur, submittunt se exterorum injustitiæ atque rigori pacis tempore: aliaque innumera adeunt pericula. Sunt vero & alii tutius quidem, at minus generose negotiantes; reprehendebat neutros, priores tamen censebat majore dignos esse honore.

Secunda observatio: Mercatorum querelas utplurimum errori esse obnoxias; vel ideo, quod plerumque ex relatione loquantur, quæ per manus delata plures, ex longinquis regioni-

gionibus absque veritate affertur: ita ut fraudulentus factiosusque institor sæpe numero magnas causatus fuerit tragœdias absque fundamento ullo. In cujus assertionis gratiam sub sermonis sui finem narravit, aliquem in Archipelago negotiantem, questum esse de navis suæ arresto, atque à Regis Consiliariis importunè literas desiderasse expostulatorias circa eam. Consiliarios autem quosdam, qui bene noverant præproperarum ejusmodi querelarum indolem, forte fortuna respondisse; conjecturantes tantum, non alicunde certiores facti: *Sodes! quid dices si navis tua, quam detineri arresto quereris, libere domum versus naviget?* Idque sic evenit: nam homo iste post sex dies Dominis illis renunciavit, navem suam navigando redire.

Observatio generalis tertia: Quamvis concedendum sit, opes salutemque mercatorum bene congruere cum divitiis ac statu gentis communi; præsertim in Insula; attamen nimis familiare mercatoribus esse proprii sui commodi causam facere causam Reipublicæ totius.

Sequuntur jam *speciales observationes* circa Mercatores in Hispania atque mari mediterraneo negotiantes; agnoscitque Comes honorificè atque tenerrimè, gravamina illa esse & magna & multiplicia: mereri etiam commiserationem atque auxilium; Veruntamen cogi se aperte fateri ipsos mercatores plerumque calamitatis suæ authores esse. Nam postquam sublata esset societas

illa,

illa, quam *Monopolium* appellare placuit; atque speciali hujus Domus intercessione libertatem adepta erat; tantam inter ipsos securam esse confusionem atque omnis ordinis perturbationem, ut non tantum in multa impingant, offendantque, verum etiam in prosecutione litium negotiorumque suorum imprudenter agant, ut nisi Legati Residentes (qui sunt oculi Regis apud gentes exteras) deserant munus suum, fiantque mercatorum Procuratores & Sollicitatores, vix proficere queant. Et quod majus est, tanta nunc est in mercatura confusio, ut tabernarii & opifices illic mercatores existant; qui nullis regulis devincti, pessimis artibus in officiis ibi constitutos corrumpant, atque eorundem favorem emant: Unde Mercator inclytus opes suas illuc impendens, cogitur eorundem insistere vestigiis atque indigna ratione mercari favorem, seu jura sibi debita, vel ex amicitia inter Principes constituta.

Observavit *secundo*, haud verisimile esse, illic Mercatores affligi, quoniam nunquam antehac majori frequentia isthuc fuerint negotiati: nam certe, si vexationes tam essent intolerabiles, tamque continuæ, ut ajunt, magis remissionem in negotiatione ipso facto, quam ejusmodi fervidas procurassent verborum querelas.

Tertio, solere Mercatores (bona quidem intentione) at non levi præsumtione, occasione privatorum gravaminum urgere negotia, ad bellum directè tendentiá. Ejusmodi

damna

damna subditorum privata, justitiæ permittuntur ordinario modo administrandæ, vel ipsis Fœderum pactis, quæ his non obstantibus inviolata manent: non enim possunt inter Reges de bello & Pace transacta ejusmodi exiguis rumpi confiscationibus: non magis quam si inter virum & virum occasione rupti contractus quomodocunque, admitti regressus omnis debeat.

Quarto invertisse eos decentem petitionis ordinem, direxisse enim ad *pedes* non vero ad *caput*. Nam considerato, quod non novam desiderent legem, in sui auxilium, sed intendant bellum vel pacem; decuisset ipsos Regem adire, ad cujus Regium judicium, potentiam & officium proprie pertinet, discernere, quod desiderant ipsi: potuisset deinde referri in acta, quod fuisset concessum, agique gratiæ pro eo, quod obtinuissent.

Quinto quod sicuti non direxissent petitionem suam prout decebat, ita neque suæ propriæ institissent methodo, prout cœptum erat. Nam dirigentes petitionem ad Regem, Episcopos atque Pares, ad Communitatem etiam in Parlamento congregatam, innuunt se eandem Paribus obtulisse petitionem, quod falsum, & adversus non tantum propriam ipsorum inscriptionem, verum etiam opinionem nostram; existimavimus enim (ut videri licuit ex sermonibus aliquot à nobis in colloquio quodam habitis) obtulisse eos, singulas utrique domui petitiones. Et sic habetis observationes istas octo, partim generales, partim speciales, quas Illu-

stris

ſtris Comes protulit quoad perſonas petentes, earumque circumſtantias.

Petitionis materiam in tres diviſit partes, quarum

Prima exhibet querelas, de injuriis, quas ipſo facto perpeſſi ſunt.

Secunda querelas de legum injuſtitia, ut appellari queunt, i. e. de legum, ſecundum quas negotiationes fiunt, inæqualitate.

Tertia remedium deſideratum per literas repreſſaliorum.

Injuriæ quas ipſo facto ſunt perpeſſi, admittunt iterum ſubdiviſionem ſecundum loca diverſa, aut enim navigant in Hiſpaniam, Indiam vel Archipelagum.

Erga navigantes in Hiſpaniam tantam expreſſit commiſerationem, attribuitque eorum profeſſioni & ſtatui, ut exiſtimare poſſint, ſe ab ore tali in tanta virorum illuſtrium corona, magno affectos eſſe honore, conſecutoſque ſolatium, (inſperſit autem iſta integræ orationi ſuæ, ex *abundantia cordis* procedenti;) veruntamen quatuor etiam excuſationes ſeu potius extenuationes harum injuriarum produxit.

Prima erat injurias illas haud eſſe gradus ſummi; eſſe enim tantummodo dilationes & proceſſus amaros, non autem ſententias iniquas aut condemnationes directas. Hic recordabar, quod olim ab inſigni Epiſcopo dictum audiveram: quod Curiæ licet Juſtitiam in abſynthium non transforment, corrumpendo; attamen in acetum convertant diffe-

differendo. Et ejusmodi differentiam Comes adhibebat, quæ certè distinguit *secundum majus & minus*.

Secundo dilationes has acceptas ferebat non Hispanorum malitiæ, aut quod sint mente à nobis alieni; verum genio populi & indoli; Superbus enim est populus, ideoque dilationis amantissimus; talesque sunt superbi omnes, voluntque observari rogarique. Præsertim autem curiarum multitudini atque varietati ascribebat, & innumeris consiliis regiis, quæ multas requirunt relationes necessario dilationibus conjunctas: ut nihil dicam de locorum distantiis. Hæ autem omnes Hispanorum procrastinatione occasionem proverbio dedere illi, ut puto, apud Italos frequentato: *Me Venga la morte di Spagna*: *Veniat mors mea ab Hispania*: nam sic certè tardè adveniet.

Extenuatio *Tertia* depromebatur ab hominis indole. (Nemo subito fingitur.) Licet enim belli inter nos Hispanosque flamma extincta sit: adhuc tamen fumat torris, ejusque restinctio ultima permittenda tempori.

Verum *postrema* injuriarum imminutio erat validissima: eaque talis. Earum plurimas non sustineri absque aspersione culpæ, præbendo occasionem hac ratione.

Est in Pactis, Hispanos inter & nos sancitis, articulus, quo prohibentur mercatores nostri importare in Hispaniam merces Belgicas; sive natura productas, sive manu factas. Ita ut Pannum Anglicum in Belgio

tan-

tantummodo tinctum, non possit in Hispaniam deferre Anglus. Et ratio est, quoniam ejusmodi opificia, licet res officinis necessariæ (materialia vulgo vocant) aliunde apportantur, ipsis præbent lucrum atque sustentationem, quandoquidem eorum vulgus hac ratione ad artes exercendas allicitur. Fruuntur etiam circa pretium lucro; & peculiari in transportatione gaudent more: quibus omnibus Hispanorum prudentia eos privare satagit, non tantum intendens Belgarum negotiationem destruere, verum etiam ad suam reducere obedientiam. Articulum hunc Mercator Anglus, aut non intelligit, aut non intelligere vult. Sed tractus, fune triplici ex amore, odio & lucro contorto, ex Belgio merces istas in Hispanorum regna transfert, atque sic in ista se conjicit Arresta atque incommoda.

Quoad navigationem in Indiam asserebat Comes, ita se rem habere. Hispanorum prudentia thesauros illos ejusmodi occlusit seris, ut neque confœderatis, imo neque subditis ad eos pervenire liceat. Hinc etiam *Galliæ Rex* qui æque ac nos Hispanis nunc amicus est, expressis conditionibus hinc arcetur. Portugalli quoque, quibus omni satisfacere modo annisi sunt Hispani, arcentur pariter. Tam ibi *pervigil Draco est, aureum hoc custodiens vellus.* Verum enim vero, tanta fuit S. R. Maj. magnanimitas in Pacificatione ejusque conclusione nupera, ut nullatenus annuere voluerit articulis, subditos suos ab hac negotiatione excludentibus:

tibus: ceu Princeps agnoſcens, haud ullum ejusmodi jus acquirere Hiſpanorum Regem potuiſſe & *Romani Pontificis Donatione*, cujus minime ſuſpicit authoritatem; vel titulo informis imperfectæque occupationis quarundam provinciarum, quaſi eis reliquæ ſubeſſent. Sed firmiter apud ſe conſtituerit, quæſtionem hanc aliis reſervare temporibus opportunis. Eſt igitur navigatio talis neque prohibita, neque permiſſa: & de ea transactio tantæ teneritudinis & exiſtimationis ſeu gloriæ, ut qui attentant eam, pericula ſubire neceſſe ſit. Imo affirmabat Comes porro. Quod ſi vel hoc tempore S. R. M. annuere velit excluſioni, mox liberè dimiſſum iri naves. Addebat autem pariter: aliquorum offenſas & noxas pejorem reddidiſſe caſum hunc, quam eſſet ſe ipſo; nam ſi conſideremus poſtremam in *Virginiam* claſſem, negotiationis & colonorum deducendorum cauſa eo miſſam; ubi Hiſpani nihil poſſident, jam piraticam exercere videbimus. Teſtatur id *Binglejus*, primus qui ſe mercaturæ exercitium eo extendere, coloniamque deducere velle indicavit, aſt jam pirata exiſtit: ideoque quæſitus, nondum tamen deprehenſus eſt, licet navis ejus in Hibernia fuerit capta.

De navigatione in mare mediterraneum, ajebat illuſtris Comes, querelam, duas tantum complecti actiones: detentionem ſeu arreſtum navis, cui nomen *Triall* (*Judicium*) in *Sicilia*, & alterius cui nomen *Vinegard* (*Vinea*) in *Sardinia*. Primam autem detineri,

quoniam habeatur pro piratica. Alteram, quoniam bombardas atque pulverem pyrium Turcis advexisse credatur. Processus circa navem priorem ad Mercatoris instantiam in Hispania resumptus est: Estque favor raræ benignitatis; adversatur enim directe libertatibus & privilegiis Siciliæ. Ad posteriorem, licet (si verum est, quod refertur) inglorium sit genti nostræ (ut apparet ex iis, de quibus Legatus Gallicus Constantinopoli residens jamdum expostulavit, nostri Regis Legato & hanc & alias instrumentorum bellicorum in Turciam importationes objiciens) factum ejusmodi, nihilominus Legatus in Hispania residens per literas indicavit, satisfactum iri nobis, quatenus quidem fieri potuerit. Et in his navibus binis maxima revera mercium jactura constitit: reliqua enim exigua fuerunt harum navium intuitu. Atque tantum complectebatur Comitis Oratio, de injuriis quas ipso facto sunt perpessi.

Quoad Legum injustitiam, i.e. Hispanicarum Legum rigorem in Cives nostros illuc negotiantes, talia proferebat Comes. Esse illas non noviter sancitas, aut in gratiam populi nostri vel temporum nostrorum constitutas, verum istius regni leges antiquas. *Suus cuique mos*. Ideoque ut peregrinantes oportet extrema quæcunque perferre, Climatum aerisque temperiem, ubi transeunt; ita & Mercatores oportet experiri legum extremitates, atque temperamenta rerumpubl. apud quas negotiantur. Adjiciebat-

que

que Salisburienſis Dominus, nec noſtras leges Anglicanas immunes eſſe ab ejuſmodi querelis apud exteros, in ſpecie quoad cauſas maritimas, & prædationes, & ſubitaneam mutationem proprietatis, quam vindicat ſibi Thalaſſiarchiæ forum, circa bona in piratarum manibus reperta. Scire tamen nos debere, Hiſpaniæ Regem magni facere gentem noſtram, atque literas dediſſe ad omnes ſuos Portuum officiales, miniſtroſque alios, declarando, velle ſe ut cives noſtri omni libertate indulgentiaque fruantur, cum additione gratioſiſſima, quod præ aliis favore ſint afficiendi luculentiſſimo. Quæ verba qualiſcunque tandem ſubſequatur effectus, non ſubitaneis peremptoriiſque compenſanda ſunt conſiliis, ſed expectandum, donec tempus declaraverit contrarium.

Ad *tertiam* petitionis partem, quæ remedium per literas repreſſaliorum ſiſtebat, videbatur illuſtris Comes deſiderare, ut intelligamus inconvenientias ejus, duas prægnantes ob oculos ponens exceptiones, quarum prima: remedium eſſe plane incompetens atque vanum; poſterior: fore pernicioſum mercatoribus noſtris; & per conſequens univerſæ Reipublicæ.

Quoad Remedii infirmitatem optabat, ut conſideremus, quodnam fuerit Remedium Statuto Henrici VII. (cujus nunc expetitur executio) in ejuſmodi caſu ſancitum: ſcil. ut pars læſa querelas ſuas primo deferat ad Secreti Sigilli Cuſtodem, & ab ipſo literas

accipiat ad partem lædentem, restitutiones solicitantes. Mercibus vero vel navi sic nondum restitutis, tum demum impetrandas esse à Cancellario repressaliorum literas, qui remedii circulus nihil aliud promisit, quam infinitam infrugiferamque dilationem: prius enim probabiliter non effecit quicquam, veluti permittens processum lædenti in regionibus exteris. Dicebat itaque Comes, Statuto huic medelam esse afferendam, si casibus ejusmodi subvenire velimus id fieri solet per literas certificatorias, attestationes, & ejusmodi alia ad notitiam requisita: non vero per dependentiam ex Sigillo privato, parti cuidam inservienti, quam fortassis in India occidentali quærere oporteret.

Circa remedii pericula, jubebat nos considerare & examinare bona Mercatorum in utroque regno. Bona enim Hispanorum, quæ à Rege nostro occupari possent, esse exigua. Ingentia autem esse bona Anglorum in Hispania: ita ut si repressaliorum literæ concedendæ forent ad satisfaciendum aliquot hic vehementer urgentibus, omnia Anglorum bona in Hispania existentia exponerentur confiscationi & Arestis: nos vero ex adverso exiguum, aut nihil haberemus ad sarciendum ejusmodi damna. Atque tantum *Domine Prolocutor* memini ex eleganti Oratione illa, quoad primam partem, quæ erat consideratio petitionis, ut procedit à Mercatoribus.

Sequitur jam pars secunda, quæ considerat

rat petitionem huic oblatam Domui. Ubi Comes illustris postquam honorifice meminisset, se gravitatem, capacitatem atque officium, communiter in Domus hujus rebus gestis deprehendisse, nihilominus tamen petiit, ut consideremus cum ipso, quomodo obstetricatio petitionum ejusmodi, privatas concernentium injuria, sista tria evitare possit incongrua: Injustitiam *primo*, *deinde* supremæ Regis absolutæque circa bellum ac pacem Potestatis, derogationem, & *tertio*, præjudicia quædam ratione status.

De injustitia manifestum est, neque negari potest, nos unam solum audivisse partem, cum regula: *Audi & alteram partem*, non respiciat formalitates, sed essentiam justitiæ, vel ideo cum oculo utroque clauso pictæ, aure vero utraque aperta. Utramque enim audire partem, & respicere neutram. Si igitur accideret, ut justam pronunciaremus sententiam, posset *justa* dici, ast minime *juste prolata*, cum alteram non audiverimus partem.

Circa Derogationem arbitrabatur, nos non minus agnoscere eam quam ipse: Angliæ Regem (inter alias prærogativas minime inficiandas) gaudere potestate absoluta circa bellum suscipiendum pacemque pangendam. Neque noviter eam Regi fuisse concessam, sed antiquæ constitutionis in hoc regno esse, innumeris probavit ex historia exemplis; eorum præsertim Regum, qui ad S. R. M. maxime accedunt dignitatem: dicebatque nolle se fidem suam fulcire

ciphris, temporumque articulis; facilem enim hic esse lapsum, seu in calculis chronologicis errorem; sed tantum asserere perfecte vera esse, quæ dicturus sit, atque ex monumentis fide dignis deprompta: moxque appariturum, Petitiones in Parlamentis ad Reges, S. R. M. Prædecessores, factas, atque materiam Pacis Bellive immiscentes, vel tantum eo moventes, vix admissas fuisse, successu certe caruisse, atque rejectas fuisse per responsiones dilatorias, reservando rem totam suis Status Consiliis, aliquando literis suis, aliquando beneplacitis suis, deliberationi ulteriori, & similibus: Regibus istis sic manifestè declarantibus, velle se materiam ejusmodi unicè suæ reservare potentiæ ac voluntati.

Anno 18. Eduardi I. conquesta est domus inferior de subditis Comitis in Flandria, cum petitione vindictæ. Regis responsio fuit; *Rex nihil aliud potest, quam eodem modo petere*: intellige à *Comite Flandriæ*. Nemo dubitabit, Eduardum sat potentem fuisse, ad bellum cum Flandriæ Comite gerendum, attamen respondebat, *se nihil aliud posse*: innuens bellum esse rem transcendentalem, nec dependere ab ejusmodi controversiis.

Anno 4to Eduardi III. Domus inferior petiit, ut Rex velit ferire fœdus & inire pacta quædam cum Brabantiæ Duce. In hac petitione continebatur etiam aliquid circa pecuniam. Respondit Rex: quoad pecuniam ipsos deliberare posse, atque rem examinare; ast quoad pacem velle se agere, ut sibi visum foret.

Anno 18. Ejusdem, Domus itidem inferior desideravit, ut liceat sibi examinare & agere adversus mercatores quosdam extraneos, tanquam Reipubl. hostes. Respondit Rex: velle se ut res maneat in statu quo, donec sibi placuerit alia circa eam præcipere.

Anno 45. Ejusdem, querebatur populus, negotiationem cum Orientalibus esse sibi iniquam (querela præsenti quoque inserta petitioni) petebatque immutationem aut emendationem. Respondit Rex: Maneat sic, donec occasio suaserit aliud.

Anno 50. Ejusdem: opem Regis adversus Hispanos implorabat populus, uti & nunc implorant: Respondebat, velle se dare literas in eorum subsidium i. e. intercessorias. Hic literæ sunt petitoriæ, non repressaliorum. *Nihil potest, nisi eodem modo petere.*

Eodem anno de Belgis querebantur mercatores Eboracenses: petebantque, ut naves eorum aresto detinerentur, tum in Anglia, tum Caleti. Respondebatur: *Debere illos hæc deferre ad Consilium Status, adepturosque remedia rationi congrua.*

Anno 2. Richardi II. Mercatores, littoribus accolæ, questi sunt, Hispanos varias suorum deprædasse naves. Respondit Rex, velle se ex Senatus sui consilio istis mederi.

Adducebat etiam Comes alia duo exempla, primum ex 2do Henrici IV. ubi querela instituta fuit adversus Mercatores *Genuenses*. Posterius ex undecimo Henrici VI. ad-

versus Mercatores † *Stilliardenses*, quæ omitto, quoniam non alia hic fuit responsio data.

Porro duo promebat argumenta, pro adstruenda Regis prærogativa & Coronæ decore. Horum alterum Regis supremam in Ecclesiasticis concernit potestatem, alterum ponderum & mensurarum definitionem. Quoad primum accidit regnante Richardo II. ut populus quereretur de usurpationibus atque nimia Pontificis R. authoritate. Respondit Rex, se mandasse Consiliariis suis, ut hac de re cum Episcopis agant.

Anno 18. Eduardi I. ponderum inæqualitas accusabatur: ad quæ Rex: *Vocentur partes ad placita Regis & fiat justitia.* Unde liquet, Reges in hoc regno solere causas in Parlamentis propositas ad proprium suum remittere forum, ut cognoscantur decidanturque. Belli autem & Pacis negotia, ut ex prioribus apparet instantiis, reservare *in scrinio pectoris sui*, nec nisi à Consiliariis status intimi admittere consilia.

Claudebat autem hanc instantiarum enumerationem, alia insigni ex 17. Richardi II. Principe non æque glorioso neque potenti: attamen cum offerret inferiori Domui tractationem de belli pacisque negotiis, hæc modeste se excusavit; regerendo: *nolle se præsumere de rebus tam excelsis.* Ex his igitur omnibus inferebat illustris Comes, quod, uti *dies diem docet*; ita hæc exempla possint monere

† *Sunt, ni fallor, ferramentorum Mercatores Londini, in foro Steelgard habitantes.*

monere prudentes viros, ut omittant petitiones, quæ neque Principi gratæ auditu, neque desideratam unquam sortitæ sunt responsionem.

De Præjudiciis, ex tractatione belli & pacis in Parlamento oriundis, non dubitabat, animadvertere hujus Domus prudentiam, ex quibus ea dependeant. Nullus enim Rex provide & opportune bellum suscipiens, omittit expendere vires suas, revocare mercatores suos, primam invasionis captare opportunitatem, & alia, quæ si propalentur, irrita sunt & vana. Res igitur hæc, quæ est *Imperii arcanum*, intra velum delitescere, recte permittetur. Adjiciebat etiam, haud bene sibi cognitum, annon in jamdum dictis, prolixo affectu ad nobis satisfaciendum prolatis, edisseruisset specialiora plura, quam necesse fuisset. Quanquam fatebatur etiam, Parlamentis indicata fuisse belli pacisque negotia, in genere duabus hisce de causis. Cum Rex vel Consiliarii intelligerent, utile esse declarare Zelum, propensumque in populum affectum: aut cum indigeret Rex pecunia aliisque in belli sumptus subsidiis. Ideoque si bellum immineret, certi esse queamus, nos de illo audituros: sperat enim Comes, quo S. R. M. nos repertura sit non minus promptos ad sumptus in illud conferendos, quam fuimus in suadendo.

Jam ergo, *Domine Prolocutor*, quod attinet ultimam Orationis Ill. Comitis partem, petitionem scil. à nobis superiori domui

commendatam, hæc à Patribus referebat. Velle ipsos optime interpretari desideria nostra, profecta potius ex sensu Regiarum virium, & injuriarum, quas ab Hispanis passi essent Cives nostri, imo ex Sapientia abundanti, quæ declararet promtitudinem nostram assistendi, si necesse foret, S. R. Majestatis futuris consiliis: (quæ declaratio admodum foret commoda, Regique gratissima subsidiorum oblatio, si modo illa publicata essent consilia) inde potius, inquam, profecta, quam ut intentio esset nostra, hac festinata propositione involare aliquatenus in summam Regis potestatem: quod facile ab illis fieri posset, qui prompti magis sunt ad malas, quam bonas ex desideriis nostris eliciendum conclusiones. Nolle autem Pares, ajebat quoque, neque posse eundem nobiscum ingredi cursum, nedum approbare. Ideoque concludebat, optimum fore, si contemplemur conditiones pacis postremo cum Hispanis initæ, quæ peregrinæ admodum videri queant, serio eas consideranti. Nulli exercitus è Belgio sunt revocati, nulli exercitus novi (spontaneos intelligo) illuc ire prohibiti. Pacem igitur Rex servat, ast subditi, omnes si volunt, bellum exercere queunt. Ideoque sic nobilcum cogitare possimus: quod Rex ille, qui nulla cessit terra pacem pangens, nolit etiam perdere provinciam quamcunque, justissime provocatus, sed bellum potius suscipere honestum. Interea autem tantum scire nos deceat: Non plura hic efficere posse

Regem,

Regem, quam affligere Hispanos, & sic adigere ad restitutionem. Ab Hispaniarum autem Rege nihil expectandum præter promissiones elegantes, velle se nobis satisfacere; Eventus autem horum præstolandus.

Atque sic, Domine *Proloc.*, recensui Illustrissimi Comitis Orationem; cujus (ut sæpius dixi) Orationes, si consideremus munus ingeniumque ejus, sunt veluti lux insignis i. e. juxta binam lucis operationem Domum hanc & illuminantes & exhilarantes. Et quanquam posset existimare aliquis, nunc, quod dici debeat, residuum non esse; attamen & aliam recensebo orationem, rerum ornatusque plenissimam. Non vero repetam, ne iniquus in orationem videar elegantem, recensendo eam auribus attentione jamdum fessis.

Illustris Comes alius in rebus magni momenti suo quoque fungens munere, peroravit, talia præfando. Persuasum sibi esse, differre utramque Domum *credulitate* potius & fide, quam intentione ac votis. Possit enim esse, quod Pares non credant relationibus, æque tamen desiderent emendationem.

Dicebat porro, Mercatores ejusmodi esse homines, qui non solum suscipi debeant, verum etiam intercessionibus sint digni. Cohonestabat etiam appellationibus decentissimis: esse scilicet instauratores inopiæ nostræ, opum nostrarum authores: Neptuni Eleemosinarios, & fortunæ filios.

Posthæc ajebat: quæstionem hanc nobis videri novam, ipsis antiquam: asseverabat etiam, Regem non frustra cardui referre emblema, cum lemmate: *Nemo me lacessit impune*: & quod veluti regnorum unio sui ipsius potentiæ notitiam, sic etiam amoris affectusque nostri unio, gravaminum nostrorum sensum, in ipso procuret.

Argumenta deinde producebat quinque, ostendendo cur Domus superior non possit in eandem nobiscum consentire petitionem. Primum erat ex constitutione Domus nostræ desumtum, dicebatque, eam esse mere Democraticam, utpote ex Provinciarum Equitibus & oppidorum Civibus collectam, qui domesticis alias vacantes negotiis inter eos habitant, quorum gratia huc missi sunt: ideoque privata pollere prudentia statui suo congrua, non vero apta ad examinanda & definienda Status arcana; quæ pro circumstantiis variant maxime. Addebat igitur superioribus de prærogativa exemplis ex 17. Richardi II. ubi Domus inferior nolebat immiscere se belli pacisque negotiis: respondens, *nolle se præsumere de tam sublimi & ambigua materia.* Et quamvis agnosceret Comes esse in medio nostrum ingenia apta ad introspicienda Status negotia, istud tamen soli personæ accidere, non vero asserendum officio: Res vero accipiendas secundum institutionem, non vero praxin.

Secundum argumentum erat, quod & Philosophorum regulis, & Lege Civili, ordinatio belli & pacis sit absoluti imperii:

speciale coronæ decus seu flos; qui tam charus nobis esse debet, ut si necesse sit eum sanguine rigemus nostro. Nam si flores isti vel negligentia, vel facili benignaque concessione marcescerent aut exciderent, sertum, ut gestetur amplius, vix dignum fore.

Tertia ratio erat; Reges adeo libenter imitari *Primum mobile* ut neque velint mutuato moveri motu. Licet enim libentissime perficiant, quæ intendunt ipsi, veruntamen præveniri petitionibus neutiquam velle. Ejusque præclarum Eduardi III. allegavit exemplum, nolentis annuere populo petenti, ut Principi nigro Walliæ Ducatus Dignitatem conferret. Quanquam posthac sponte ipsi hanc concesserit dignitatem.

Quartum argumentum erat: Posse iniquum videri Regem inter ejusque virtutem stare medios: subditorumque potius esse officium à regiis ministris demere honores, atque Regibus addicere, quam à Regibus auferre atque eorum Ministris asserere: quod eleganter admodum *Joabi* muniebat exemplo, qui cum obsideret Rabbam, atque deditionis certus esset, *Davidi* scripsit, ut veniret gloriamque de occupata reportaret urbe.

Ultima ratio erat, aspergere hoc Regi labem, ac si dormiret, neque attenderet subditorum suorum suspiriis, nisi excitatus Parlamenti fulmine.

Conclusio autem Comitis illustrissimi erat optima; erat enim cum asseveratione conjuncta:

juncta: quod, quantum fieri possit per minas, obtestationes, artes civiles, & argumenta, jamdum hac in causa factum sit ad procurandum remedium: & cum promissione; quod si ratio status ejusmodi quid permiserit, quod Pares uti parati sunt ad impendendum spiritum suum promovendæ petitioni nostræ, ita quoque parati futuri sint, ad impendendum sanguinem suum ejusdem executioni.

Et hæc erat definitio ejus, quod tractabatur.

ORATIO

Ad Regem, à S. R. M. Solicitatore habita, utpote ab inferiori Domo Electo in Delegatum, ut perferret ad Regem instrumentum seu libellum supplicem, populi gravamina continentem.

In Parlamento 7mo. Jacobi.

REx *Clementissime*, Equites, Cives, Municipes in Parlamento congregati maxima cum humilitate exhibent S. R. Majestati Vestræ verbis suis propriis, licet manu mea, petitionem suam atque gravamina. Scripto sunt consignata juxta veterem Parlamentorum consuetudinem: præfatione præmissa juxta morem temporum recentiorum. Idcirco

circo neque necesse neque conveniens foret, ut ego quædam præfando adjiciam; præsertim coram Rege loquens, cujus ingenii acies omnem non necessarium dissipare debet sermonem, uti Sol vaporem. Hoc solum effari cogor: Vidisse nos hoc sedente Parlamento Majestatis Vestræ gloriam in solenni ista Principis illustrissimi creatione. Audivimus Sapientiam in diversis Orationibus excellentissimis, inter nos recitatis. Jam confidimus, quod etiam Bonitatis Vestræ radios sentiemus in benigna ad petitionem istam responsione. Persuasi etenim sumus, quod ea, quæ prudentissimus scriptor *Tacitus* duobus imperatoribus optimis *Divo Nervæ & Divo Trajano* attribuit, dicendo: *Res olim insociabiles miscuerunt, imperium & libertatem*: recte etiam Majestati Vestræ attribui queant. Nunquam enim ejusmodi *Majestatis*, imperio debitæ, Conservator extitit. Neque talis Protector libertatis, subditis propriæ.

Ne sit autem, Rex Serenissime, gravaminum nomen, (triste licet) auribus Vestris regiis asperum. Est tantum *Columbæ gemitus*, ei junctus patientiæ & humilitati, quæ decet amantes fidosque subditos. Atque absit à nobis, in medio etiam gravaminum nostrorum sensu, dememinisse atque ignorare beneficia innumera, quibus unice Majestatis Vestræ gratia, post DEI benedictionem, fruimur: nec non adstringimur, apprecari vitæ vestræ Regiæ dierum plenitudinem, ac Prosapiæ, successionis perpetuitatem

tent in mundi usque finem.

Restat igitur ut petitionibus hic contentis, adhuc unam addam, quæ ad illas se extendit omnes: videlicet, ut si in verbis eorumque forma offendant quædam, atque aliter declaraverimus animi nostri sensa, quam vel oportuit vel libuit, Majestas Vestra contegat ea, involvatque gratiæ velo: acceptet sanam intentionem nostram, eandemque secundet interpretatione benigna.

Tandem decet me, & meis quoque verbis veniam humillime flagitare, licet enim fuere pauca, vix tamen & illa eloqui valuissem ob metum, quo revereor Majestatis Vestræ personam atque ingenium, nisi quadantenus animum addidisset experientia in ministerio accessuque ad Majestatem Vr. meo, quo sæpe ex continua Majestatis Vestræ gratia atque Favore sum usus.

ORATIO

Solicitatoris Regii ad Magnates

habita, nomine Domus inferioris in cujusdam Commissionis Colloquio: eum in finem, ut persuaderet Domui superiori, quo jungat secum in exorando Rege, ut obtineant libertatem tractandi de transactione cum Rege circa Wardos & Tenuras

In Parlamento 7mo Jacobi.

Equites, Cives, & Municipes Domus inferioris demandarunt mihi, ut Domina-

minationibus Vestris exhibeam causas Colloquii à se desiderati, vestroque assensu approbati, in gratiam secundi hujus diei pensi. Fideliter ipsis innotuit S. R. Majestatis responsum, per Illustr. Thesaurarium redditum, ad humillimam suam petitionem, pro obtinenda, tractandi de transactione circa Tenuras, libertate. Et primo quidem valde S. R. Majestati obstrictos sesentiunt, quod cum in *re nova* difficiles soleant esse Principes, Rex tamen benignissime acceptarit propositiones suas: & quantum quidem sapiunt, arbitrantur id decere & Regis Magnanimitatem, causæque magnitudinem, quanquam & ipsi agnoscant, non debuisse se tam celerem sibi spondere responsionem: quicquid sit, quod Sapiens dicat? *Spes quæ differtur, affligit animum.* Norunt enim, officium esse suum, expectare usque dum opportunum S. R. Majestati visum fuerit: & læti præstolantur, ex responsis S. R. M. (quæ tempora disponit, ejusque expendit momenta) spem indies majorem concipientes, abjicientes nullam.

Verum enim vero Causæ hujus Colloquii primariæ (nullis officiorum contestationibus omissis) sunt propositiones duæ, quarum altera excusationem, petitionem altera complectitur. Prior ita se habet. Dominatio vestra, (mi Domine Thesaurarie) in ultima enarratione responsionis Regiæ (quæ juxta Characterem tunc ipsi attributum, imaginem Cæsaris exactissime referebat) genuinam hanc adhibuit divisionem, circa Tenuras

ras considerandā esse *Honorem, Conscientiam & Utilitatem.* Ex his utilitatem adjecit S. R. Majestas ob magnanimitatem suam, nos autem ob justitiam petitionis nostræ. Non enim intendimus nisi bonum honestumque incrementum commodi nunc percepti, non vero imminutionem. Verum (ut libere loquar) ista consideratio sponte subit examen, quando libera conceditur transactio. Ast priores duæ omnino transactionē excludere possunt, aut abrumpere, si admittantur.

De istis ergo quod dicemus, ut recte intelligatur, petimus. Mens nostra neutiquam est, contendere cum S. R. Majestate, de eo, quod summam ipsius concernit potestatem, seu Conscientiam Principe dignam. Novimus enim sufficientes nos non esse ad discernenda ista; seu non aliter, quam ut solent homines agnoscere Solem in simpulo aqua repleto. Ideoque in nostram excusationem obtestamur, DEUS avertat ut scienter asseramus quiddam, alterutram harum lædentem. Atque in his audiri cupimus, non tanquam erudientes seu persuadentes S. R. M. verum liberaturi excusaturique nosmet ipsos.

Quoad primum autem agnoscimus, hanc Tenurarum arborem, (jus intelligo) regiis insertam esse prærogativis, vi antiquarum municipalium legum: munitam etiam variis statutis atque defensam: & magnas hoc ipso die Regi obventiones largiri. Veruntamen si hujus arboris radici, imponi columna possit, ad sustentandam coronam,

&

& æque ac marmor perennis; majori etiam atque certiori cum emolumento, quam ex Tenuris istis perfruendo, speramus nos propositυros esse materiam non ingratam.

Sed loquamur distincte, atque primo de Honore. Circa hunc obsecro Dominationes Vestras, tanquam subjectum quod videri possit *supra nos*, liceat loqui mihi, potius uti capaces sumus, quam per se requirit. Norunt Dominationes Vestræ ex variis compositum esse viris hunc nostrum consessum. Habemus inter nos peritos legis Civilis, quam reveremur & quandoque consulimus. Hi asserere possunt *Legem de Feudis* esse tantum additamentum ad *legem civilem antiquam*, ac Imperatores Romanos in summo etiam Monarchiæ suæ flore semper ignorasse eam; adeoque imperialem non esse. Habemus etiam inter nos *Legis Municipalis* Doctores, qui ostendere possunt, ea tantum ad summam pertinere potestatem, regiasque prærogativas, quæ cum subditis communicari nequeunt: Tenuras vero, quoad rem, possident Dominationes Vestræ omnes, & pauci ex nobis sunt, qui destituuntur iis. Rex revera prioritate seu primis ministeriis ex Tenuris suis gaudet: idque demonstrat, non esse eas summæ potestati unice proprias. Habemus nobiles ministeriis suis mari terraque inclytos, qui possunt docere, quod quando quæritur, quis primus pedem debeat figere in hostili terra, nunquam indagetur, an is equitis fungatur servitio vel Colonus sit. Habemus

etiam

etiam multos Loco-tenentes delegatos à Dominationibus Vestris; multosque Commissarios, qui fuerunt militum Censores, lustratoresque exercituum, & possunt affirmare, ministeria ac defensionem Reip. hoc tempore parum ex Tenuris pendere. Ideoque colligimus, haud esse Regiminis Vinculum, nec honoris calcar, nec obedientiæ frenum: Tempus erat, cum aliis inservirent usibus, idque nomen Equestrium servitiorum indigitat: sed *vocabula manent, res fugiunt*. Hæc autem omnia quæ diximus, fatemur prolata secundum vulgarem nostrum conceptum, & posse prodesse ad nostram excusationem; rem autem totam S. R. Majestatis permittimus judicio.

Quoad Conscientiam, absit ut injiciamus quicquam, quod perturbare possit clarum illum Conscientiæ S. R. Majestatis fontem. Fatemur nobilem esse sub imperii alis protectionem, nec non sub eas congregandam esse generosam familiarum pullitiem; attamen *Naturæ vis maxima; & suus cuique discretus sanguis*. Ideoque liceat mihi priori meæ insistere methodo. Lex municipalis ipsa, optima prudentiæ nostræ regula, vel in hoc ipso casu præfert patris prærogativam, prærogativæ regiæ. Nam si agri deriventur ab antecessoribus ex parte matris ad filium primogenitum, patre adhuc superstite, Pater habet corporis custodiam, Rex minime. Verum quidem est, hoc tantum valere pro Patre, non autem Matre aut aliis, Patris

vicem gerentibus, majoribusque; ast sustinuemur magnam de tutelis & protectione legem, atque de obedientia & officio illorum correlatis; non præcipitur: *Honora Patrem tuum solum*, *sed honora Patrem tuum & Matrem tuam &c.* Deinde Civilis juris periti docere possunt, Prætoriam potestatem pupillorum causa fuisse in usu, licet Tenuræ non essent. Londinenses agnoscunt orphanorum forum, ignorant tamen Tenuras. Verum in his omnibus precamur Dominationes Vestras, ne existiment, nos videri nobismet ipsis esse competentes sive de *gloria regiæ Coronæ*, *aut Conscientiæ scriniis*, judices: sed rem universam Regi permittere, atque ista saltem allegare in nostram excusationem.

Quod petitionem attinet, perseveramus in precibus nostris humillimis, freti amica Dominationum Vestrarum assistentia, ut dignetur S. R. M. aperire nobis hunc ad Munificentiam suam atque benignitatem accessum; ac permittere tractationem. Scimus quidem S. R. Majestatis tempora, nonnisi supremo illo subordinari globo. Sol hoc ipso tempore noctibus æquat dies, ascendetque celeriter. Scimus etiam Salomonis Templum (de quo Dominus Thesaurarius loquebatur) non uno extructum die: & si tam felices queamus esse, ut acquiramus securim, secemusque, & malleum, fabricemusque, scimus non posse id sine tempore fieri. Ideoque quantum quidem consistit cum officio nostro, atque sine insolentia

fieri

fieri potest, humillime desideramus celerem à S. R. M. responsionem; prout tamen visum fuerit ipsi opportunum.

ORATIO
Solicitatoris Regii, suadens Domui inferiori, ut desistat urgere amplius, Denunciationum Regiarum per Oratorem suum sive Prolocutorem receptionem, ut ex Consilio Status intimo, atque à Rege ipso.

In Parlamento 7mo Jacobi.

IN votis meis semper fuit, ut quandocunque Regis negotia, sive ea Honorem, sive Commodum concernant, in hoc pertractanda sunt Consessu, non tantum externum mereantur assensum, verum etiam interne satisfaciant animis nostris. Nam in concentu, ubi labiorum fides, non consonant cordis fidibus, harmonia tandem Discordiâ terminatur. Et huc intendam omnes nervos meos.

Regis summa potestas & Parlamenti libertas, sunt quasi duo hujus regni elementa vel principia: quæ quamvis alterum magis sit activum, magis passivum alterum, attamen neutrum evertit destruitve alterum. Acres acidique humores per evaporationem non excedentes corpore, exulcerant, & in discrimen adducunt Potestatem summam. Ex altera parte si Regis Potestas summa imminuatur

minuatur, aut quodammodo contemnatur apud nos, qui in Monarchia hæreditaria nati sumus (ideoque sperari nequeat, posse remp. hanc alia forma donari, aliterque gubernari) necessario sequeretur, quod similes futuri simus meteoris, seu corpori imperfecte mixto, quæ citò confusionem subeunt, atque dissolvuntur. Ea tamen nunc est felicitas nostra, quod eadem de Rege nostro, quæ *Tacitus de Nerva asserere queamus. Divus Nerva res olim dissociabiles miscuit, imperium & libertatem.* Neque frustra sunt qui in magnis consiliis, cum res tractantur summæ, & alteram oppositionis adducunt partem. Eam autem hic nobis exhibere potest *Apollonii* de *Nerone* Judicium, ita se habens. Cum *Vespasianus* ex Judea in Italiam rediret, suscepturus imperium, transiit Alexandriam, & ex Apollonio, homine tempore illo admodum celebri, quæsivit: Quæ Neronis fuerit ruina? responsum tulit, *Neronem quidem scite lusisse cithara, ast in imperio aut intendisse nimium fidiculas, aut remisisse.* Hic differentiam cernimus inter bonum idoneumque Principem, & malum seu inidoneum: Nervam Neronemque. Prior miscet prudenter summam potestatem cum subditorum libertate: posterior autem pervertit, vel inæqualiter & absurdè miscet. Quoniam igitur gaudemus de Principe tantæ prudentiæ atque moderationis, cujus Majestas nobis æque curæ esse debet, ac ipsi est libertas nostra; consideremus absque omni partium studio, in

quan-

quantum quæstio præsens ejus tangere possit Authoritatem, libertatemque nostram. Et ut aperte fatear quod sentio, dico, Ipsius Majestatem hic maxime læsam fore, libertatem vero nostram nullatenus.

Quæstiones autem duæ sunt: Una, num Prolocutor nosterimmunis sit à perferenda Regis denunciatione, absque licentia nostra? posterior, annon sit unum idemque, si accipiat à Regis Senatoribus, sive immediatè à Rege ipso. Et de hac quæstione primo loquar, in ea enim versatur casus præsens.

Primo autem videamus, quod Regem concernat & deinde nos quoque. Quoad Regem: Negari nequit, quod si nolitis acceptare Voluntatem ejus à Collegio ipsum præsentante, i. e. Status Consiliariis, Vos & coarctetis Majestatem ejus, quoad congruum, & infringatis authoritatem Senatus ejus. Reges omnes quamvis sint Dii in terra, attamen sunt Dii de terra; possunt esse senes, mala valetudine afflicti, absentes denique. His in casibus si non admittitis eorum Senatum, eorum personas referentem, ad quam innumera adigetis incongrua? Imo aliquando ex regulis Politicis, Reges videri nolunt, sed Senatu suo conteguntur. Hoc vero si ipsis adimitur, magna pars ipsorum perit securitatis. Deinde & Regii Senatus infringitur authoritas. Nostis ipsum sine Rege nihil esse. Haud constituit Politicum corpus; est instructus mandatis sigillo munitis. Si à Rege distinguitis eum,

non

non est nisi *Corpus opacum*: recipit enim *lumen de lumine*: & distinguendo extinguit is primarium Status lumen. Nam rectè dicitur: *Consilium non habet potestatem delegatam, sed inhærentem*; & est Rex in Cathedra; ubi voluntas ejus est & decreta; Quæ privatim frequentiori obnoxia mutationi, firma hic fixaque constituuntur.

Jam vero quoad nos: nemo cogitet, id cedere in nostri contemptum. Nam maximi in Europa Monarchæ per Legatos suos à Regis Consilio (si absit ipse) responsa accipiunt. Et si hæc negotiatio deceat Fraternitatem paritatemque Regum; non certè contra eam subditos mussitare decet.

Porro nemo tam imperitus rerum actionumque humanarum erit, existimans, ejusmodi responsa minus firma certaque esse. Supponi enim nequit, homines tantæ fidei, ut Consiliarii Status intimi vulgo sunt, (sive per fidem intelligas providam integritatem, sive concredita ipsis fortunæ statusque bona) unquam erraturos, vel audacter officii sui limites transgressuros. Ideoque concludo, quod hac in causa neque contemptus neque incommodum nobis emergere queat.

Sed quoad ipsum Oratorem, videtur primo ex parte Regis inique inferri posse, ac si arctius possit esse vinculum, quam illud, quo Regi subditus obstringitur. Cernimus officiorum in re familiari gradus, atque differentias inter Patrem & Filium, Dominum & Servum: in Societatibus aliis autem inter plebejos & officiis publicis fungentes, ut Præ-

tores, dispensatores &c. hi tamen omnes Regis parent mandato. Vincula sunt magis arcta, seu specialia, verum non magis constringentia. Dein ex nostra parte nihil refert: nam primo, est tantum quaestio de Canali, qua ratione Regis voluntas nobis debeat innotescere: non vero de materia ipsa. Neque Orator tanto instructus est dominio, ut ea quae de ejus pullulant ore, magis nos premant, quam Consiliarii Status intima. Imo videtur, Regem magnam de nobis concepisse fiduciam, dum non dubitat, voluntatem suam in nostrum os proprium, h. e. Oratorem nostrum deponere, ac si ad Civitatem loqueretur per Praetorem. Ideoque sententia mea est, nos non necessarium hoc dubium minime decere. Est aliquis ingenii labor, qui res claras dubiis involvit. Sed multo melius ille ingenio suo utitur, qui res dubias clarè exponit. Et huc volo intendant homines mentem suam.

ORATIO

Brevis in fine Sessionis in Parlamento septimo Jacobi, suadens subsidia praebenda esse Regi, quae tum adhuc videbantur incerta, ideoque huic occasionem dedere orationi.

Quantum quidem subsidiorum Regi largiendum sit, nunc minime quaeritur. Si quando autem istud in quaestionem venerit,

erit

erit sententia mea, nos ita nunc debere contribuere, ut eo facilius & posthac id præstare queamus. Verum si præsentem rerum intueor statum; existimo gloriæ momenta, quæ S. R. M. præ aliis intendit, requirere, ut sint subsidia nostra instar imbrium illorum, qui sufficiunt ad sedandos ventos, quamvis non ad irrigandam terram.

Id vero persuadere vobis non studebo: ignoro enim quam in formam componere sermonem meum debeam. Si inciperem laudare (quamvis id debitum justumque esset) Regis merita, posset id adulatio indigitari: si loquerer de vinculis, quibus connectuntur Rex & Subditi, dum ille egestate premitur, Domum hanc quasi coarctarem. Si loquerer de periculis, quæ sequi necesse est ejusmodi inopiam, atque in Subditos ingruere, posset tacita dici Comminatio.

Argumenta, ut spero, non sunt necessaria, & melius proficiunt in animis vestris, quam in ore meo. Hoc saltem mihi eloqui liceat. Quod sicuti Cyri exemplum adductum fuit, qui ab iis subsidia desideravit, in quos collocarat beneficia, ita nos meminisse oporteat, esse & beneficia sceptri, æque ac manuum: æque regiminis ac libertatis. Et confido, omnes nos confessuros, ista ad nos devenisse singulos *plena manu*, imo ad eos, quos repræsentamus, ideo uniuscujusque Caput seu genius necesse est, ut sit hoc in casu Consiliarius suus; & uniuscujusque Cor Orator suus. Istæ enim internæ facultates seu domesticæ, plus possunt quam Sermo cujuscunque.

cunque. Permitto igitur, imo opto, ut ea de re fiat quæſtio.

ORATIO

Atturnati Regii, Equ. Franciſci Baconi in Domo inferiori: Cum excandeſceret Communitas, atque commoveretur ob Sponſores, qui putabantur eſſe potentes quidam atque audaces Nobiles, Gratiæ Regiæ captandæ ergo ſpondentes, ſe promoturos Regis negotia, ad ipſius votum.

In Parlamento 12mo Jacobi.

DOmine *Prolocutor*. Hactenus ſilui de Sponſoribus, quorum cauſa, ut video, Conſeſſus hic valde angitur.

Primo, quoniam (ut aperte loquar) non ſatis intellexi, quid ſibi iſtud velit, neque amo loqui de eo, quod non penitus intelligo. Quid, poſſetne privatus audere aliquid pro Communitate Anglicana? æque is auderet quiddam pro elementis quatuor. Certe opus hoc eſt tam vaſtum ac inſolens, ut neque à prudente concipi poſſit: & præſertim in Parlamento novo, cum ſcitu impoſſibile ſit, quis in Parlamenti membrum ſit eligendus; atque cum vel Domus hujus ignariſſimi ſciunt, vel ipſos fores has intrantes neſcire, à quibus ſtabunt partibus, donec audiant argumenta proponi examinarique.

rique. Multo minus asserere quis pro certo potest, quæ navis ex hocce Pelago tuto redire in portum queat. Audivi autem de Sponsoribus variis. Fuerunt qui ausi sunt suscipere in se Coloniam in *Derry & Coleraine Hibernia* deducendam, adeo melius subigendam atque domandam Regionem illam. Suscepere alii in se non ita pridem inhabitandam Regionem inter Occidentem Septentrionemque mediam. Et nunc alii spondent tincturam & texturam pannorum elegantem: & ut breviter eloquar, novitas quæque firmari solet, atque promoveri à quibusdam negotium in se suscipientibus. Antiquum vero in Anglia Parlamentum, quod eodem semper modo, in eademque movetur sphæra, aggredi, meum superat intellectum: anne omnes tingi texique debemus? nec ullus inter nos est purè albus? vel nova indaganda via, per quam Regis dirigenda negotia, juxta acum magneticam antehac non cognitam? vel anne quædam hic extruenda fortalitia, quibus frænentur coërceanturque reliqua? *Domine Prolocutor*. Tantum duo cognovi fortalitia, quibus in hoc Regno Rex patitur. Unum est *Affectus*, alterum *Rationis*, illud cordi imperat, hoc capiti; alia præter hæc non novi. Sapientem puto fuisse Æsopum, qui dixit: muscam in rotæ radio sedentem, sic cum semetipsa locutam esse: *En quantum pulverem excito*? Certe omnis iste turbo ex rumoribus murmuribusque excitatus est, nulli autem solido innititur fundamento.

Secunda, quæ me silentem fecit, ratio est, quoniam hæc, de temeraria sponsione, suspicio vel rumor, nullam certam denominat Personam. Verisimile est manucodiatas in India, quoniam pedibus carent, nunquam considere, sed à vento hinc inde ferri: & ejusmodi hunc esse rumorem existimo.

Et denique, quandoquidem Rex Orationibus binis exemit nobis omnem timoris scrupulum, directè affirmando, non agi tale quicquam, & si ageretur, velle se asserere, non minus id esse iniquum in Majestatem suam, quam in merita nostra: videlicet, si integræ communitatis actiones in paucos transferrerentur. Atque hoc eousque me tranquillum fecit, ut putarim, nondum vapores hos in caput usque ascendisse, quanquam ipsos in corpore æstuare atque fervere sit possibile.

Verum enim vero, quoniam percipio adhuc nubem huic impendere domui, posseque nocere per famam apud exteros, & in regiis auribus; constitui apud me suadere pro integritate mea, quæcunque judicavi saluberrima.

Primo autem dicam rotunde de perniciosis effectibus, quæ huic opinioni de sponsoribus accidere possunt, respectu privatorum, Communitatis, Regis & denique populi universi.

Secundo dicam vobis, quæ secundum meam opinionem sponsio tolerari possit; & quatenus ab intentione bona aliena non sit:

& ex

& ex altera parte, quatenus hæc ipsa de Sponsoribus quæstio, cum intentione bona consistere nequeat, & quo respectu dici possit malitiosa perniciosaque.

Tertio, ostendam vobis, pro viribus meis exiguis, quæ sint media ad terminandam hanc de Sponsoribus quæstionem; non statuendo, quodnam medium unicè amplectendum: sed declarando, quot sint media, per quæ extricare vos possitis, & sic permittam eorum electionem consultationi in commissione.

Et denique ostendam, quomodo res in commissione sint pertractandæ, ad evitandum omne & animorum & temporis dispendium.

De primo cum Scriptura dico, *Si invicem mordetis, ab invicem consumemini.* Si alter alterius famam rodit, unusquisque hinc abibit sicut moneta ex valore suo dejecta, i. e. minore cum existimatione, quam huc venistis. Si, alii putantur aperte favere Regis negotiis, alii vero clam adversari: dicetur, illos esse astutos lusores, qui chartas seligunt; istos vero Pontificios, omnia miscere studentes. Quæ vero ista calamitas, congregamur lædentes famam nostram invicem, loco ejus quod publicũ nos deceat quærere commodũ.

Hoc autem in privatis non tantum subsistit, verum integrum hunc contemtui exponet consessum. Jam audio homines susurrantes, hanc de Sponsoribus quæstionem esse primariam: Similesque facti sumus illis, quos in parabola Jotham sistit. Cum al-

arboribus posceretur vitis ad imperium, recusavit. Oliva pariter: Selegimus ergo rhamnum & in Regem constituimus. Videtur enim ac si bonum gratiæ regiæ vinum non sit in pretio. Oleum etiam quo deberemus inungere atque sanare regni ulcera, rejecimus. Rhamnus vero iste contentionis æmulationisque; iste Abimelech, qui (ut vere dixit prudens quidam nobilis) spurius existit, (nam omnis fama, quæ authore destituitur, est *filius populi*) nobis imperat.

Regis deinde scopo & spei nihil magis ex diametro adversari potest, quam hoc ipsum. Audivistis enim ipsum asserentem tanquam Regem & quidem gratiosissimum, quod non magis intendat subsidium præsens, quam ut demonstret; populi corda jam sibi arctius, quam antehac, unita esse. Jam ergo, si omnia, quæ pro ipso fiunt paucis tantum adscribuntur & quidem clam instructis, diffidentiam id potius gignet, quam benevolum populi in universo regno affectum: ac infamiam potius apud exteros, quam gloriam. Ita ut, (si apertè loqui fas est) satius esset, si Rex novas juberet afferri chartas lusorias, quam ut istas tractet jamdum interpolatas.

De populo, ajo, morem meum semper esse, æque ultra Parlamentum prospicere ac id ipsum intueri. Si illi, qui extra Parlamentum degunt, putent se defraudatos esse ab iis, qui eorum hic sunt delegati & procuratores: possemus quidem eis impo-

nere

nere silentium, atque convincere; verum id fiet tanta cum obmurmuratione, ut ego neque audire velim.

Possunt ista dissimulari, & permitti, ut sanguis clam defluat: verum hoc non est sanationis medium: ideoque vulnus indagavi, sperans vos medicinam applicatures.

Hoc vero ut clarius ostendam, ad secundum propositionis meæ membrum descendere me oportet, atque docere, quæ hoc in negotio à dextra sinistraque sint posita.

Primo si aliquis suasit Regi, ut Parlamentum convocet, atque sic demonstret propensam suam in populum voluntatem; næ is benè meruit, erravit verò neutiquam. Imo siquis pro pietate sua, boni quicquam de Parlamento in genere spopondit; uti verisimile est, fuisse ejusmodi plures, qui cognoscentes Regis inopiam, statuerunt apud se non esse parcos erga eum, aut minus liberales; Talis vir qui de aliorum animis tantummodo ea cogitat, quæ apud se reperit, minime reprehendendus est. Et porro si quis ipsis bona junxit vota, atque suasit: ut Rex consoletur populum, suumque erga eum testetur amorem, limando seu lævigando Regiæ Prærogativæ asperitatem, retinendo ejus solum substantiam atque robur; atque sic instar boni patrisfamilias, de quo scriptum; *protulit de thesauro suo nova & vetera*, i. e. recordatus petitionum propositionumque Parlamenti ultimi, addidit no-

vas: Hic, inquam, Vir bonum seminavit semen; is vero, qui invidia ferit eum, *inspergit Zizania*. Tantum de iis, qui ad dextram sunt.

Ex altera parte, si quis mediate vel immediate persuasit Regi aut aliis, Parlamentum esse, ut *Cato de Romanis* dixit, instar *ovium*, quarum grex facilius propellitur, quam singulæ; & eos, qui in hoc sunt consessu, licet prudentes existant, cæteros facile sequi, næ is Regem privat honore, subditos vero gratiarum actione: nam hac ratione vilescit in oculis Regis Parlamentum, & subruitur Rex regnumque. Iterum si aliquis venditabit, sufficere ad faciendum populum, si quando ad nos Rex mittat pro forma, fucum faciat, & elegantes nobis narrari fabulas sinat; næ ejusmodi animadvertet, Consessum hunc scitè falsa dignoscere posse lumina; & inanem esse procum: quandoquidem est amor sincerus in subditorum præcordiis radices agens, qui Regi ministrat. Et hæc est opinio mea de iis, qui fortean Parlamentum suaserunt. Jam expendamus (aperte enim agere constitui in singulis) si aliquis dubitavit de Parlamento convocando, existimans optimum pro Rege fore, si experietur suas vires, num scil. solus per se subsistere possit; & dico, quemcunque honestum integrumque virum potuisse hoc sibi persuadere; nam ut videtur eventus non admodum ostendit contrarium. Sed deinde si quis existimet, non esse privatos, qui hunc queant cogere Consessum, neque fucum,

qui

qui placeat eidem; iste, inquam, licet sermo ejus tendere videatur ad animorum demissionem, attamen prudenter loquitur. Ast, sit venia verbis, si quis ex eo, quo convocatum est Parlamentum, tempore, aut ex eo, quo consilia cœpit, sategit Parlamenti piam intervertere in Regem voluntatem, asserendo, paucos tantum relaturos gratiam, reliquos autem pro mancipiis haberi, & fraude circumventos esse; ea etiam, quæ à Rege proponuntur, fieri tantum ipsos inescandi gratia, paucorum ministerio; aut denique in vulgus propalarunt, esse Parlamentum consarcinatum, eum saltem in finem, ne aliquid perficiatur, sed dissolvatur congregatum, (ut ludentes solent novas arripere chartas, quando veteres suspectæ sunt redditæ.) Hæc, inquam, sunt machinationes & consilia putida, maligna, seditiosa.

Jam remedium potius indicabo, (saltem ut ab initio feci) quam perspicuè tradam. Tres tantum novi vias: Aut fiat ad Regem delegatio declaratoria, aut protestatio severa inter nos, aut inquisitio diligens. De postrema dico, nolle me rejicere eam, modo scirem ubi initium capessendum, terminusque statuendus esset. Sæpe vidi rumores magis turbare animos, quam rem ipsam in apricum productam. Ad fumum oculi caligant, ex oriente vero flamma illuminantur. Verum si examinemus, necessario quidam accusabuntur: ast cujus facinoris fiet accusatio & quomodo? potest enim id fieri & male & bene, in tantum qui-

quidem, in quantum ab albo nigrum distat: deinde expectandum erit, quantum ingenue sint confessuri, quantum negaturi astutè. Quid ex ipsorum confessionibus educere poterimus? quid contra negantes faciemus? Revera infiniti hoc erit operis; & defatigabimur citò.

Delegatio ad Regem præ aliis mihi placet; ita tamen ut caute & considerate perficiatur: nam si Regi exhibebimus hujus corporis naturam, qualis est, absque velis & umbris eam contegentibus, existimo, quod & in ipsius cedet honorem, & nostrum verget commodum.

Quanquàm autem inter nos quicquam agere velimus, non video lucrum inde captandum: quoniam ultra nos non procedit. Si tamen Vestrum aliquis ostendere possit quicquam eum in finem, non adversabor. Hoc saltem puto fore optimum: Cogitet potius hic amplissimus Consessus, omnia ista ex rebus provenire malè intellectis: quam credat, certum quoddam subesse fundamentum, atque deinde protestetur, remediumque adinveniat. Nunquam vidi Protestationes, Professiones & apologias valde fuisse fortunatas; augent potius suspicionem, quam tollunt.

Postremum igitur est, ut pertractentur ista in Commissione, serio & modestè; ubi etiam vellem hos quatuor quæstionum gradus observari.

Primò, an omnino aliquid hac in causa faciendum, aut potius silentio prætereundum?

Secundò,

Secundò, an examen instituendum specialissimum?
Tertiò, an contenti esse debeamus protestatione inter nos ipsos facta?
Quartò an delegatio ad Regem instituenda; & quomodo?

Atque sic aperui vobis mentem meam. Scio equidem silere tutius esse, ast fortassis honestius est eloqui. Vetus est verbum: *Nulli tacuisse nocet, nocet esse locutum*: Sed, bona vestra cum venia, David inquit: *Silui à bonis, & dolor meus renovatus est.* Homo si loquitur, ab aliis lædi potest; si vero sileat à bonis, semetipsum lædit. Præstiti igitur, quod mei erat officii. Vobis relinquo perficiendum, quod videtur optimum.

ORATIO

FRANCISCI BACONI,

Atturnati Generalis regii, qua in Camera stellata accusavit Priestum & Wrightum duello decertantes.

DIgnum existimavi hoc loco & tempore accusare coram vobis Duella; ut experirer an consessus hicce possit inhibere & refrænare malum, ut videtur effræne. Sed utinam magis illustres essent, quos defero ad judicium vestrum! tum ut verè digni hoc essent consessu, tum ut demonstrem, animo

mo ſedere meo; absque omni perſonarum reſpectu in hoc procedere negotio. Verùm quoniam hæc cauſa jam ab anteceſſore meo fuit ſuſcepta, nectere moras nolui in crimine indies invaleſcente: neque fruſtra aliquando in republica minores puniuntur, ut grandes moneantur; Solet enim & canis in Leonis vapulare conſpectu. Imo puto Viros proſapia & virtutibus illuſtres omiſſuros tandem ea, quæ vileſcere cernunt, & à tonſoribus, lanionibus, aliiſque infimæ plebis hominibus peragi.

Sicuti verò hujus conſeſſus illuſtris amplitudo magno mihi eſt ſolatio, ſive eam conſiderem in ſe ipſo, ſive prout decet, intuitu S. R. Majeſtatis directionis; ita contendam, ut hujus ſpecialis cauſæ exiguitas generali criminis iſtius pertractatione ſuppleatur, eum in finem ut mea adverſus duella procedendi intentio, & fori hujus ſententia (absque qua ego nihil valeo) innoteſcat, atque hic offendentes ſciant, quid ſibi ſit metuendum. Et ſic quod nunc fit, moniti loco ſufficiat, donec in illuſtriori perſona ſtatuere liceat exemplum, quod metuo ne futura nimis cito tempora ſuppeditent.

Priusquam igitur ea, quæ à *Dominationibus Veſtris* impræſentiarum ſunt dijudicanda, aggrediar, haud intempeſtivum duco loqui.

Primo, de natura & magnitudine criminis hujus.

Secundo, de cauſis & remediis.

Tertio,

Tertio, de legum Anglicanarum justitia, quas hoc in casu insufficientes dicere non verentur aliqui.

Quarto, de hujus fori sufficientia, in quo certa adversus hoc facinus remedia optime reperiuntur.

Et *quinto*, de ipso animi mei proposito; cui ut subvenire dignentur *Dominationes Vestræ*, humillime flagitabo.

Quoad ipsum crimen considerent *Dominationes Vestræ*, quod si vindicta Magistratui adimitur, adversus Dei voluntatem, dicentis; *Mihi vindicta, ego retribuam*; & unusquisque gladium gerit, non defensurus, sed offensurus, privati etiam præsumunt, sibimet ipsis dictare Leges, atque acceptas vindicare injurias; impossibile esse, ut quisquam prævidere possit pericula atque mala inde in immensum emersura. Potest hinc subitanea surgere tempestas in aula ad affligendum Regem, ejusque personam tentandam. Ex duellis cohortes, ex cohortibus exercitus colligi poterunt, tumultus cientes: à personis singulis ad familias possunt transire lites, imo nationes integras, pro varia accidentium natura, quæ prævideri nequeunt; adeoque respubl. fiet quasi infirmum corpus, assiduis inflammationibus & convulsionibus ægrum.

Deinde apud Theologos, & Politicos in confesso est, *crimina ex præsumptione patrata esse maxima*. Alia crimina vel in hoc legi consentiunt, *quod bona sit*, neque audent se

defendere

defendere aut absolvere. Hoc autem directè legi dicam scribit, ac si duæ essent leges, altera togæ, existimationis alia, ut appellant; ita ut *Paulinum & Westmonasterium*, Pulpitum & forum cedere cogantur legi (ut Rex eam appellat in edicto) ordinariarum tabularum, aliique venerabiles consessus. Annalium statutorumque codices cedere coguntur Gallicis, Italicisque rhapsodiis, duella describentibus, quæ si justæ sunt, transeamus ad illa recipiamusque, neque detineamus populum in ambiguo binarum legum conflictu.

Porro flebilis est effectus, si quando juvenes, spe nobilissima pleni, ideoque Poëtis *Auroræ filii* appellati, quibus expectatio & solatium agnatorum nititur, tam futili pereunt modo. Sed magis adhuc deplorandum, si quando tunc tam nobilis inclytusque sanguis ob ejusmodi funditur tricas; ac si in prælio Regi Reipublicæque servientes periclitarentur vitam, ubi unius diei fortuna universi Regni statum immutare valet. Vident ergo *Dominationes Vestræ* quanta hæc sit pernicies. Pacem turbat, bellum spoliat, calamitates privatis inducit, reipubl. damnum, & legi denique contemptum.

Inter *causas* ejus sine dubio prima est, falsus & erroneus de honore & fama conceptus: ideoque Rex in ultimo edicto suo egregiè appositeque *duellorum incantamenta* appellat: nam si recte dijudicemus, non possumus aliter statuere, quam esse magiæ quoddam genus, qua juvenum magnanimorum men-

tes:

tes falsas concipiunt species. Imo dæmoniaca est apparitio gloriæ, pietati, Legi, virtuti, optimorumque temporum & fortissimarum gentium exemplis contraria: ut mox ostendam, traditurus, non modo Angliæ legem talia prohibuisse.

Et ista cum sint flagitii hujus semina, videmus obstetricari eidem confabulationes recentes, ac immaturas cogitationes, quæ tantum prævalent, ut licet homo earundem vanitatem & iniquitatem sobriè persuadeat, attamen vulgaris opinionis impetu, veluti labentis fluminis unda, ad eandem feratur sententiam: nisi velit omnem hominum evitare conspectum aut convictum. Pugnandum igitur nobis hoc in casu est, non cum personis his, vel illis, sed cum vesanis deperditis opinionibus, qui, sicut spiritus, dominantur in aëre.

His addere licet, deperdidisse fere homines veræ *Fortitudinis & Roboris* notiones. Fortitudo distinguit controversiarum causas, & num justæ sint dijudicat: neque hoc tantum, sed & num dignæ sint. Majorisque hominum æstimat vitam, quam ut ejusmodi nugis impendendam statuat. Hominum enim vita neutiquam nugis, sed honestis servitiis, publicis commodis, causis justissimis, & periculis clarissimis consecranda. Sanguinis impendium æque ac pecuniæ prudenter faciendum. Liberalitas non est, unaquaque levissima occasione profundere nummos: atque sic fortitudo non est effundere sanguinem indiguè. Ac tantum de causis.

Succe-

Succedunt *Remedia*; quibus adinveniendis spero præclarum aliquem illustremque virum navaturum operam, opto etiam, ut meum hujus diei pensum sit tantum prodromus operis ab excelsiori, melioriquè manu perficiundi. Sed ut dicam quæ sentio, & quæ hoc decent tempus locumque proferam, ajo, quatuor esse, quæ hisce de rebus cogitans judicavi efficacia ad coercendum hunc duellorum morem fore.

Primum est, ut appareat, ostendaturque in Republ. constans atque firmum abolendi ea propositum. Hoc enim *Domini Mei*, est negotium, quod aut fortiter efficiendum, aut penitus non incipiendum est. Tum enim unusquisque privatus dimittet de suo honore opinionem, quando videbit Reipubl. cordi esse, & pro violatione Regiæ potestatis authoritatisque haberi actiones ejusmodi, ideoque velle easdem reprimere, exemplo *Caroli IX. Galliæ Regis*, qui in edicto suo hæc poni fecit verba: *Regem ipsum in se suscipere omnem honorem illorum, qui dolerent, vel etiam male audirent, ea de causa, quod duello non decertassent.* Ita si statuet Respubl. non puto quenquam fore sana mente præditum, etiamsi fortissimus sit, (ni modo sit furibundus & instar pyroboli,) quin gavisurus sit, videns Legem Reipublicæque statutum liberasse se à vano inutilique discrimine.

Secundo nullâ amplius indulgentiâ hoc foveatur malum, ejusque sementa: sed liberum mihi si, *Domini mei*, aperte loqui, neque sinistre interpretetur quis verba mea.

Actio-

Actiones magni illustrisque Commissariorum officii reverenter suscipio, neque de iis loquor. Saltem de rixarum compositione inter nobiles privatos frequentata, quæ ita opinionibus præconceptis subserviens esse deprehenditur, ut quadantenus hanc duellorum praxin tanquam justam asserat.

Tertio; Ex ultimo Regis edicto prudentissimum felicissimumque (si libuerit S. R. M. eodem uti) adversus hoc crimen remedium cognovi. Innititur crimen hoc falso de honore opinioni, ideoque *in eo quis rectissime plectetur, in quo peccat.* Honoris fons Rex est, ipsius aspectus, accessus etiam ad personam ejus continuat honoris vitam; ab ipsius autem damnari conspectu, maxima omnis honoris ecclipsis est. Si igitur forum hoc personis illustribus, hoc patrantibus crimen, pœnam irrogabit, atque Regis exterminabit aula, Reginæ etiam & regiæ familiæ, existimo neminem ingenuum ejusmodi commissurum facinus, quo in istas dejiciatur tenebras, unde non liceat intueri Domini sui faciem.

Tandem quod propius hunc attinet consessum, videmus radicem criminis hujus esse pervicaciam. Mortem contemnit ipsam, aliarum pœnarum extremum; Justa ideoque, licet lamentabilis, foret severitas, exequi legem absque remissione omni seu misericordia, ut ipsa culpa est capitalis. Severitas in Gallia fuit maxima: nam Rex & Parlamentum sanxerunt, ut occidens alterum extemplo rapiatur in patibulum: Ideoque

Nobi-

Nobiles, etiam eminentes in furcam acti sunt, vulneribus ipsorum sanguine adhuc stillantibus, ne fortean mors inopina præveniret supplicium. Verum sit magis lenis justitia nostra, nec tamen minus efficax. Puniantur hac in Curia actiones ad duella tendentes, (illico enumerandæ.) In ramis lædatur radix tandem enecanda; absque ad extrema Legis descendendo.

Adversus *Angliæ Legem* duo, quamvis ex ignorantia, objici video. Primo, eam non distinguere fœdam hominis cædem ex insidiis factam, & cædem ex honestis, ut appellitant, causis. Deinde non sufficientem in lege irrogatam esse pœnam convitiis, injuriis, mendaciis &c. Verum hæ sunt pueriles & adversus Divinam omnesque alias Leges, exempla etiam fortissimarum inclytarumque gentium exceptiones.

Nam primo nullibi in Lege Divina reperies distinctionem, nisi inter homicidium voluntarium & non-voluntarium. Hujus in gratiam refugii civitates constitutæ: fugere enim cogebatur homicida, & fuga subjiciebatur discrimini, si forte à vindice caperetur, antequam ad sanctuarium pervenisset. Lex quidem nostra subtilem fecit distinctionem inter voluntatem irritatam & deliberatam, seu homicidium in ira & homicidium præmeditate patratum, cum jam deferbuit ira, (ut loqui amant milites.) Indulgentia non indigna cholerica bellicosaque genti; nam revera *ira furor brevis*. Hoc autem iræ privilegium antiqua Romanorum Lex ad

unicum

unicum mariti casum, si adulterum occidisset, restrinxit: quasi hoc solum homicidium pro justo declarari posset. Sed occidere hominem præmeditate, & tum demum distinguere inter turpem elegantemque cædem, monstrosa tantum est hujus seculi progenies, nulla ratione in Divina sive Humana lege fundata. Hoc solum reperi *Cainum* persuasisse fratri, ut secum in campum exiret, ibique occidisse nefarie. *Lamechum* autem jactasse robur suum dixisseque: *velle se interficere adolescentem, utut foret in livorem suum.* Itaque non video aliam intra cædem ex insidiis distinctionem, quam quæ est inter *Cainum & Lamechum.*

Græcia nec non *Roma* fortissimas aluerunt gentes, liberasque respublicas; Unde fortassis elici possit, privatis eo magis fuisse concessam semetipsos vindicandi libertatem. Sed nulla apud ipsos fuerunt duella, imo neque eorum umbra: quæ tamen non omisissent, si quicquam in ipsis fuisset virtutis. Imo (nam ut quidam inquit: *fas est & ab hoste doceri*) memoratu dignum est Turcæ hac de re judicium; nam duobus duello decertantibus, altero interfecto, coram Bassarum Senatu comparuit alter, talibus reprehensus verbis: *Qua tandem ratione duellum aggredi ausi estis? An Christiani non affatim supersunt, qui occidantur? Annon ignoras, quod uter vestrum caderet jactura in Sultanum redundet?*

Sed ignarus non sum esse & duella legibus permissa, quam recte non definio. Alterum est quando in conspectu exercituum privati duo

duo decertant: Romanis id erat pugna per provocationem. Hoc tamen vel ipsi exercituum Imperatores faciebant, vel alii eorum jussu; nunquam autem motu proprio. Sic *David cum Goliatho* depugnavit. Joab etiam dicebat; *surgant pueri, ludantque coram nobis*. Ejusque generis fuit pugna illa Neapolitana inter 12. Hispanos, totidemque Italos, &c. Alterum est judiciale duellum, ubi justitia est in obscuro: Gothi illud introduxerunt, aliæque Septentrionis gentes, quamvis & ante ipsos apud Hispanos in usu fuerit. Atque hoc sorte decernit inter litigantes, quanquam Theologi adhuc de ejus disputent justitia: inquit enim aliquis: Taliter pugnantes videntur tentare Deum, quia hoc volunt, ut Deus ostendat & faciat miraculum, & justam causam habens victor efficiatur, cujus sæpe contrarium accidit. Veruntamen videtur hoc duelli genus lege concessum esse. Ast Galli à quibus procedit malum, non nisi semel viderunt illud adhibitum, nunquam tamen lege sancitum, imo summo rigore in illud animadverterunt; existimant enim crudelitatem esse non posse, quicquid ad istius tendit abolitionem.

Quoad alterum Legis nostræ defectum, similiter respondetur, potuisse vesaniam videri pœnam dictare mendaciis, quæ ipso actu nihil sunt, præter negationes ejus, quod affirmant alii. Legislator ea de causa interrogatus potuisset, ut *Solon*, respondere: Nullam se mendacio statuisse pœnam, quoniam non credidisset, homines eò tam vehementer

hementer offendi. Juris Consulti disceptant, an injuriarum actionem mereatur, & fermè negant. *Franciscus I.* hujus vanitatis primus fuit autor; nam cum Imperatorem provocasset, velletque magnifacere temeritatem suam, dixit alicubi: *Nullum honestum virum posse perferre mendacium.* Iste novæ hujus doctrinæ fons extitit. Quoad convitia notum est ex Orationibus in Senatu Romano habitis, eadem neque hic abfuisse, neque in Græcia: nemo autem arbitratus est, se iisdem fœdari, sed judicavit, inimici esse habitum & stylum: ideoque aut contemsit, aut reddidit, non vero sanguine conspersit.

Neque verbera singula consideratione digna sunt, saltem quod contemptum gignant. Lex Anglicana, aliæque omnes hoc ordine ponunt injurias, convitia, verbera, vulnera, lethum. Et si extraordinariæ contemptus circumstantiæ comitentur ista, ut libelli famosi, fustigatio &c. Severe in tales animadvertit hiece Consessus; verum non unumquodque talitrum est famæ vulnus lethale. Nam justa Consalvi, inclyti illius exercituum Ducis dictum, fama viri *de tela crassiore* debet esse: ne unaquaque re vili rumpatur: ejus contrarium nunc apparet, araneæ enim telæ similis videtur & infirma admodum instar corporis ægri, quod etiam minima sentit, iisque læditur. Atque tantum de legis patriæ sapientia atque justitia.

Quod vero hoc attinet forum, assero, infallibile esse, *quod omne crimen capitale, aut peculatus, quamvis non commissum, sed*

tan-

tantum designatum, *ab hoc consessu sit puniendum*: Sic tentare aliquem veneno, insidias struere in via regia; quamvis crimen non perficiatur, ab hoc plectitur Consessu: imo initia apparatusque facinorum minorum, seu non capitalium, ut subordinatio testium, licet non testantium, aut nihil quod ad rem esset confirmantium, pariter hac in curia pœnas luerunt; ut apparet ex sententia circa *Garnoni* causam.

Jam ergo major propositio cum talis sit, minor negari nequit. Nam omnis loci designatio, est tantum cædis machinatio; utcunque tandem facto suo faciant fucum, nunquam ab hac me dimovebunt sententia. Conclusio enim stat firma; esse hunc casum hic dijudicandum. Ejusque suppetunt exempla. *Acklam* assistens *Ellekaro* provocavit *Warthonum*, non scriptis literis, sed oretenus, & decreto proditum est, vergere pronus, provocationes ejusmodi in Reipubl. ruinam.

Sed satis bene ista sunt cognita; ideoque dico saltem, me post hæc favente S. R. M. hacque curia, huc delaturum omnes illos, qui campum designabunt, licet duellum non perficiant; qui provocabunt literis missis, vel per delegatos: qui deferent literas istas vel oretenus indicent: qui acceptabunt, aut reddent provocationem: qui assistent secundantium, ut vocant, muniis functi: quicunque regno exibunt in aliis decertaturi terris: quicunque resuscitabunt litem scriptis famosis, vel aliis rebus contra edictum Regium. Imo audio quosdam esse duellorum peri-

peritos, qui juvenes eum in finem erudiunt, atque incitant, speroque fore ut quosdam sim apprehensurus. Eritque hoc dubio procul remedium præveniendi duella, atque in flore supprimendi, clementia & prudentia plenum: magisque nos decens, quàm suspensio hominum in patibulum, cum sanguine stillant eorum madentque vulnera, ut in Gallia factum.

Sed finio oroque ut *Dominus Cancellarius* benigne concedere dignetur mandatum *de non exeundo regno*: Si quando audivero, velle aliquẽ transfretare decertandi causa. Ejusmodi enim Gigas mare transilit: vellem autem hic ejus constringere pedem; hic enim de pugna consilium cœpit, licet alibi perficiat. Egregie dixit *Dominatio Vestra* nuper, cum eadem de re loquerer: æque potest aliquis esse *fur de se*, ac *felo de se*, si furtim regno exeat, malum ob finem; nemo enim dubitat, *machinari eum adversus coronam* (ubi Edicti sonant verba) semper enim contra coronam & dignitatem est occidere subditum.

A vobis etiam cunctis, *Domini mei*, flagito, ut in gratiam justitiæ, honoris genuini, religionis item, gloriæ & legis, Regis etiam Domini Nostri Clementiss. contra vesanam insipidamque vanæ gloriæ opinionem agens, & ulterius procedens (quod fortassis irritabit crabrones, quos nihili tamen mei ipsius causa æstimabo, nisi quatenus impediunt ministeria Reipubl. debita) protegar à *Dominationibus Vestris* & adjuver.

Denique ab universis Angliæ Nobilibus

desidero, ut discant æquo se æstimare pretio. *Nam hos quæsitum munus, in usus:* Non aquæ instar effundendus est sanguis. Sciant ergo persuadeantque sibi, nullum ibi honorem, nisi ubi materia digna. Attamen quoad hoc ipsi viderint; mea firma stat sententia. Atque tantum in genere, jam ad rem præsentem.

Decretum sequitur.

QUoniam Camera Stellata antiqua Angliæ lege, judicat omnes criminum (excepto læsæ Majestatis crimine, & aliis adversus statuta delictis) inceptiones, præparationes & designationes, quanquam ipsa non perficiantur crimina, adeoque capite plecti sontes nequeant, sed tantum istæ eorum actiones, ceu malefacta & in Regem Remquepublicam contemptus pœnam mereantur extraordinariam; Benigne audivit eadem Fr. Baconum perorantem & accusantem *Wilhelmum Priestum* scribentem, & mittentem literas provocatorias addito etiam baculo, longitudinem gladii, quo pugnandum erat, referente; & *Richardum Wrightum* literas dictas deferentem ad *Hutchestum*, qui aliqua *Priestum* affecerat injuria, ast provocatus comparere noluit, sed duello tranquillitatem prætulit publicam. Et jubet Stellata Camera accusatos carceribus includere Londinensibus, nec non pendere *Priestum* mulctam 500. librarum: *Wrightum* autem 500. marcarum.

Deinde

Deinde ut innotescat factum istud omni populo jubet accusatos in proxima Sessione Comitatus *Surrey*, publicè in Curia judicibus assidentibus, agnoscere delictum suum, quo Deum, & S.R. Majestatem offenderunt, seque pœnitentes ostendere. Eum in finem jubet etiam Camera hæc Decreti istius verba fideliter consignare, & una cum oratione Atturnati Generalis prelo exscribere, nec tantum in proxima sessione Comitatus *Surrey*, cùm rei isti culpam suam agnoscent, palam legere; verum etiam omnes Assisarum Judices per universum circumeuntes Regnum, secum deferre & in frequentissimis hominum cœtibus publicare. Vult etiam Camera hæc, ut *Dominus Eduardus Cokius*, Justitiarius Angliæ primarius Decretum hocce legibus Anglicanis aliis inserat, & posteritati conservet. Promittit insuper omnem Atturnato Generali his in casibus opem; atque in se suscipit omnium, qui aliqua afficiuntur, injuriam & ignominiam: utpote execrata duella omnia, quæ nunc fiunt, & diversa sunt ab iis, quæ olim permiserunt Anglicanæ Leges, in justitiæ examen & documentum: hæ enim ut publica legis nixa authoritate, juxta ejusdem fieri præscriptum solita fuisse: illa vero ex privatorum nasci infrænata libidine.

In Camera Stellata coram Concilio ibidem 26 die Januarii, anno undecimo Jacobi R.

Thomas Ellesmere Angliæ Cancellarius.

Henricus Comes Northamtoniæ Secreti Sigilli Custos.
Carolus Comes Nottinghamiæ Angliæ Admiralius.
Thomas Comes Suffolciæ Archi-Cubicularius.
Eduardus Dominus Zouch.
William Dominus Knolles Familiæ Regiæ Thesaurarius.
Eduardus Dominus Wotton Architriclinus.
Johannes Dominus Stanhop Vice-Cubicularius.
Julius Cæsar Eques, Ærarii Cancellarius.
Georgius, Episcopus Cantuariensis.
Johannes, Episcopus Londinensis.
Eduardus Cokius Eques, Justitiarius Angliæ summus.
Henricus Hobart Equ. Justitiarius summus in Sessionibus Communibus.

ACCUSATIO,

qua

FRANCISCUS BACONUS EQUES,

S. R. M. Atturnatus Generalis

Wilhelmum Talbot JCtum in Hybernia oretenus accusavit in Camera Stellata ob scriptum quoddam: circa quod interrogatus, utrum Suarezii doctrinam de deponendis occidendisque Regibus excommunicatis, orthodoxam esse statueret; respondit; submittere se sententiam suam Ecclesiæ Romano-Catholicæ judicio: Ultimo die termini Hilarii, Undecimo Jacobi Regis.

Domini mei Illustrissimi.

DEtuli ad vos in prima hujus termini sessione Duella. In hac vero sessione ultima deferam Duellum quod est inter Christianos maximum: illud scil. duellum seu conflictum, quo Principes summi, qui Dei sunt *ordinatio*, in humanæ societatis commodum constituta; & arrogans superbia ac usurpatio Episcopi Romani in temporalibus ad Anarchiam omnino & confusionem collimans, decertant. Ubi nisi præscindatur imaginaria illa Pontificis R. potestas, qua summos Princi-

pes Banditis seu proscriptis æquales facit, & vitam eorum periculis, regna autem prædæ exponit; omnesque hanc potestatem agnoscentes, quam severissimè coerceantur atque puniantur, Regum Christianorum status haud alius erit, quàm damnatorum in Poetarum inferno: *Ibi sedet homo splendidè vestitus, satellitio numeroso circumdatus, opipare victitans &c. Sed gladius ipsius impendet cervici ex filo tenui, omni momento à maledicâ maledictaque manu scindendo.* Revera putabam, solius Dei esse, ad ejusque secreta pertinere judicia: *Solvam cingula Regum*: vel, *effundit contemptum super Principes*, vel denique, *dabo tibi Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea*: & sim. si autem mortalis homo ista sibi arrogat, certe erunt tantum mysteria illius, qui *exaltat se supra omne quod dicitur Deus*; bene observa, non dicit, *supra Deum* (quanquam & hoc quodammodo verum sit: in scripturam enim S. jus sibi vindicat) sed *supra omne* quod vocatur Deus, i. e. Reges Legitimos & Magistratus.

Hoc tamen in duello, Viri Illustrissimi, *Talbotum* istum, qui hic coram vobis assistit, inveni timidum; terra cessit, retrogressus est; verùm ea cum pœnitentiæ & relapsus varietate, ut dicere nequeam, utrum extenuaverit, an verò auxerit offensam suam. Si tamen palam & in conspectu judicum vellet sanius quid proferre, firmiterque amplecti, gauderem, conarerque, ut quicunque obicem poneret Misericordiæ regiæ, ipse

ipse ea indigeret misericordia. Sed Confessus iste nunc juxta justitiæ procedat normam.

Crimen cujus hunc accuso *Talbotum*, nunc ad cancellos captivum, est breviter ejusmodi; *asseruit, atque adhuc asserit, scripto etiam confirmavit, credere se, quod Pontifex R. habeat potestatem deponendi & occidendi reges.* Qui ratione id faciat, tum demonstrabo, quando ad specialem genuinamque deveniam accusationem, ipsius opinionem propriis ejusdem traditurus verbis.

Nam antequam ad illam accedam, cogor *Dominat. Vestris* exhibere, summa imminentiaque, in quibus maxime amandus, maximeque formidandus Rex noster versatur, pericula; & in ipso nos omnes: imo & in quibus utriusque Religion's Principes (communis enim causa est) subsistunt hodie, cum isthæc dissipatur propagaturque doctrina: quam licet sapientiores dealbare velint, adjecta distinctione: *in ordine ad spiritualia;* attamen est tantum illusio. Nam qui distinguit, casum etiam format. Periculum hoc igitur, manifestum licet, ast quoniam hebetudo quædam & lethargus hanc excæcant ætatem; bona cum vestra venia exponere liceat, sistendo specula duo, in quibus relucet. Gallia ministrat unum, Anglia alterum. In Gallia tragœdiæ fuerunt actæ cum regibus binis immediate se subsequentibus. In Anglia repetitæ fuerunt eædem in Regina & Rege sibi succedentibus; ast tentatæ tantum, & gloriosa liberatione

terminatæ. In Gallia Henricus III. in conspectu totius exercitus ante Parisiorum urbem à Monacho Sica interfectus est. Henricus IV. (quem Galli Magnum appellant) qui ab infinitis calamitatibus liberavit subditos suos, & regno reddidit splendorem antiquum; Princeps verè heroicus, (nisi forte exceperis quod à religione defecerit) eo momento, quo quasi equum conscendere voluit, maximum exercitum, qualis dudum in Gallia conscriptus non fuerat, lustraturus, & adversus hostem ducturus: hic, inquam, Rex pariter à Sicario occisus est, sacramento, an fascino? ad facinus istud perpetrandum adducto.

In Anglia *Elisabetha* Regina, bened. mem. clarissimis conferenda Imperatoribus, sæpius ab ejusmodi scelestis tentata fuit. *Sommervile*, *Parry*, *Sarage* & aliis; sed hucusque protexit eam Custos nunquam dormiens. Rex quoque noster excellentissimus, *Jacobus*, cujus indoles mansueta atque clementissima sufficeret ad reprimendam malitiam quamcunque; Princeps quem progenies conservat sua; attamen Rex iste in Throno regio collocatus (septus palmitibus & olivæ ramis) stipatus Nobilitatis flore, & Communitate, in uno momento (ac si particularis Judicii dies fuisset) in cineres redigi atque in quatuor ventos dispergi debuit. Observavi quod cum nuper Judicum Princeps, Dominus meus benignus, de hac sermonem faceret conspiratione, verba defecerint eum; nam licet significantissima
pro-

proferret, attamen ingenue fassus est, & sic omnes fateri necesse est, quod hæc conspiratio superet, quamcumque verborum copiam.

Præterea omittere non possum, quin præter ipsa facta, atque pericula vobis duo exhibeam. Prius est, Via Dei omnipotentis, gladium Pontificis R. in Reges, qui ejus sunt mancipia, convertentis: in hos potestatem ei concedit, protegit autem contra malitiam ejus, qui respuunt tyrannidem ipsius. Posterius est, esse hoc (ut antehac dixi) communem Principum causam; utriusque religionis Principes hic feriri. Ideoque Rex noster Serenissimus meritò prudenterque classicum cecinit, omnesque alios monuit Principes, ut seriò & tempestivè de eo cogitent. Verùm hoc deplorandum, quod isti Romani milites, vel in latus *Uncti Domini* adigant ferrum, vel minimum spinis coronent, i. e. anxias causentur curas, timoresque diros, ne unquam tranquilla sit aut secura ipsorum vita & Respubl. Sicuti igitur periculum hoc utriusque religionis Principibus commune fuit, ita etiam ex æquo senserunt injuriam, seculare suum Dominium affligentem.

Thuanus recenset, quod cum Galliæ regnum excommunicatum fuerit, à *Julio II.* Rex *Ludovicus XII.* alias mansuetus, jusserit auream fieri monetam, imagine sua insignitam, cum lemmate: *Perdam nomen Babylonis è terra*: quam ut refert, & ipse quoque vidit. Adeoque Pontificius Rex iste, tam infensus Pontifici, prævertit *Lutherum* Ro-

mæ Babylonis nomen assignando. *Carolus V.* semper inter optimos Papæ numeratus filios, in temporalibus tamen severè adversus ipsum egit; nam insuper habita Pontificali dignitate, per 18. menses Papam detinuit captivum, in carcere squalido, & vix à Senatu suo moveri potuit, ne in Hispaniam mitteret vinctum: delectatus etiam est minis *Frosbergi* Germani, qui sericeum, quem in sago circumgestavit, funem sæpius ostendit, dicens, se circumferre illum, ut Papam eo propriis suffocaret manibus. De *Philippo Pulchro* notum est, quomodo *Bonifacium VIII.* ad infamem adegerit mortem, mente enim correptus decessit; hic etiam eidem Pontifici, in temporalia potestatem sibi vindicanti, rescripsit: *Sciat Fatuitas vestra.* Non, *Sanctitas.* Titulus merito in similibus repetendus casibus. Revera enim potestatis ejusmodi vindicatio mera est fatuitas & insania. Nulli verò aliarum gentium Reges magis, quam nostri, etiam cum maximè vigeret superstitio, discrimen inter spirituale & temporale observarunt: argumenti loco sit *Eduardus I.* innumeras erigens cruces, & crucem nihilominus præ aliis figens Pontificis Jurisdictioni. Verùm hæc ab aliis elegantiori stylo & sermone sunt pertractata. Ideoque hic subsisto.

Et ut prosequar hujus viri accusationem, eloquar criminis occasionem naturamque. Prodiit nuper *Suarezii* Portugalli & Conimbricensis Professoris liber, hominis audacis & temerarii, & talis, qualem Cicero iro-

nicè

nicè descripsit: *nihil tam verens, quam ne dubitare aliqua de re videretur.* Hic sibi videtur, posse se magisterio suo atque anserino calamo dictare leges regum sceptris coronisque. In hujus viri scriptis doctrina de deponendis occidendisque Regibus altius, quam olim progreditur: magisque artificialiter & positive, quàm ab aliis factum, asseritur. Nam in iis locis, quæ mox *Dominationes Vestræ* legi audient, tres reperio assertiones, non vulgari methodo sonantes, sed (quantum quidem novi) humanis auribus adhuc incognitas. *Prima* est: *Papa R. habet in Reges potestatem tanquam in subditos, eosque deponere potest: non tantum ob crimina spiritualia, qualia sunt hæresis & schisma: Verum etiam ob crimina forensia, nam tyrannicum regimen semper in animarum tendit perniciem.* Hac etiam assertione Reges, cujuscunque sint religionis, ex æquo comprehenduntur, neque excipiuntur ulli. *Secunda* ostendit, quinam sint post sententiam latam executores, eorumque seriem recenset, ne forte desit tam trucis sententiæ minister: ait enim *Rex à Papa condemnatus vel ad depositionem vel mortem, debet pœnam luere, primum mediante illo, cui id Papa demandavit:* isque Princeps exterus esse potest: subditus etiam privatus, vel alius quispiam subordinatus. *Si vero in sententia non sit expresse aliquis designatus, sive in specie, sive in genere, de jure id pertinet ad successorem proximum:* (naturam certè & pietatem decens opinio; nam ut plurimum sunt liberi, fratres, aut consanguinei.) *ita tamen ut successor sit manifestus, &* Ca-

& Catholicus. Si vero sit dubius, aut minime Catholicus, ad regni pertinet subditos: adeoque non deerit unus vel alter. In *tertia* distinguit Tyrannum quoad titulum & gubernationem. *Tyranno quoad gubernationem non licet resistere, aut occidere eum absque sententia Pontificis prævia. Tyrannum vero titulo, occidere cuicunque privato licet.* Et hac positione judicium de regum titulis (quos nunquam tam puros esse puto, ut adversus eos exceptio fieri nulla queat) posuit in cujuscunque privati arbitrium, junxitque judicio executionem, ut possit judicare lethali ictu, sine ulla sententiæ pronunciatione.

Videtis *Domini Illustrissimi* quam monstrosæ istæ sint opiniones, & quomodo binæ illæ bestiæ, Septiceps, Romanus Pontifex, ac Multiceps, plebs scil. unà introducantur, imo in Sacratissimas Regum personas instigentur.

Jam vero, quæ debeo, enarrabo. Excerptæ fuerunt quædam sententiæ, & partes hujus libri (ejusdem cum iis, quæ adduxi, sensus) ab insigni Prælato & Consiliario, certa ex causa; atque observata hæsitatione quadam circa ista (ubi vel dubitare nefas) in *Talboto*, interrogatus est de iis Rege præsente; traditæ etiam sunt deinde ipsi propositiones hæ, ut præmeditate & sedato animo opinionem suam declarare posset. Tum respondit ad ea hoc modo.

Pla-

Placeat honoratissimis Dominationibus Vestris; Ex iis quæ in Suarezii libro legi, intelligo doctrinam esse fidei, ejusque fundamenta Scripturarum interpretationi, & Conciliis inniti. Submitto autem hac de re opinionem meam Ecclesiæ Romano-Catholicæ judicio, ut in aliis omnibus quæ fidem concernunt, facio. Quod verò attinet fidelitatem meam Regi debitam, fateor Regem Jacobum summum in terris Dominum meum, esse legitimum, indubitatumque Regem regnorum Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ: promittoque eidem omnem fidelitatem & obedientiam, quoad vixero.

EX his verbis, *Domini mei*, magni *Wilhelmum Talbotum* reum ago criminis. Sane si propria voluntate, malitioseque in publ. edidisset scriptum simile, majus esset delictum, quam cujus hoc forum capax est. Sed quoniam ex quæstione, à status Consilio proposita, enatum est, ideoque si benignè interpretemur, procedat potius ex obedientia respondendi, quàm ex maligna insolentique intentione, decebat juxta præsentium temporum clementiam, hac methodo coram *Dominationibus Vestris* procedere. Veruntamen bene id percipiant, qui me audiunt:

diunt: Nam revera, si aliquis à Sanctiori Consilio interrogatus edidisset opinionem suam & pernegasset Jacobum Regem esse legitimum; criminis Læsæ M. reus fuisset. Non autem dico, quod ista *Talboti* verba eo assurgant. Ideoque finite ut explicem ista vobis *Dn. Illustrissimi*, ipsique delinquenti aperiam oculos, ut intelligat, quousque sua pertingant verba.

Domini mei, fidelitas à Subdito Regi debita absoluta esse debet, non limitata, neque conditionata. *Elisabetha Barthonia*, appellata vulgò *sancta puella Cantii* asseruerat, *quod nisi Henricus VIII. duceret in matrimonium Catharinam Hispaniæ, per anni spacium non amplius Rex sit futurus*. Et hoc dicebatur læsæ Maj. esse crimen. Nam licet actus hic erat contingens, attamen perduellio præsens est, circumscribere & imaginari Regis perniciem.

Sic etiam, si quis audacter evulget, aut defendat, post Bullam, quæ Regis depositionem indicat, publicatam, Regem non amplius Regem esse; ejusdem is criminis reus erit. Sed neque hujus te accuso. Hoc tantum in latitudine verborum tuorum comprehendi potest: quod si doctrina de Regum cæde sit fidei articulus, submittas te judicio Eccl. Romano-Catholicæ: adeoque fidelitas non simpliciter dependeat ex Pontificis sententia, sed etiam ex illo, si scil. dogmata hæc aut jam habeantur, aut postmodum declarentur esse fidei articulus. Verum *Domini mei Benign.* exiguum hinc lucrum: potest enasci

enasci inde differentia quoad reatum ista asserentis, non verò quoad periculum Regis: Nam idem Papa Romanus, eodem oris halitu, potest utrumque declarare. Adeoque Rex pro re nata, ex ipsius voluntate precario tantum possidet vitam, regnumque suum, subditorumque fidelitas ex Pontificis pendent arbitrio. Et revera tempus est, ut aboleatur hæc de Pontificis R. authoritate in temporalibus opinio: certissimam enim throni regii minatur ruinam. Ne verò existimet aliquis *Talboti* noxam esse non nisi recusationem fidelitatis juramenti, aliud enim est silere, aliud affirmare quiddam: Quoad materiam verò, an sit de fide vel non, ajo, quod attonitum reddet, quicunque hanc implicitæ fidei abyssum introspiciet. Neque objiciat quisquam, exceptionem addi. Nam si *Talbotus* interrogaretur, an ipsi homicidium, adulterium, aut rapina, crimina sint, aut *Mahometi*, *Arii* &c. doctrinam damnet: necesse ne esset addere exceptionem, si res sint fidei (uti nemo dubitat esse, nam Lex moralis est de fide) velle se submittere Ecclesiæ definitioni? Et quis dubitat Principis cædem grandius quid esse, quam homicidium simplex? Sed finiam, nec reticebo *Talboti*, te posthac ad meliorem rediisse mentem: eamque si fovisses, Rex ex immensa bonitate non egisset tecum via juris. Sed resiluisti *sicut arcus dolosus*; atque hac immutatione fluctuationeque tua perdidisti acceptum primæ gratiæ tempus, quæ erat in jus non vocari.

Imo

Imo ulterius progrediar; Fateor ultimam submissionem tuam fuisse satisfactoriam, atque plenam, ast seram nimis.

Regis in eo versabatur honor; in vulgus notum erat, diesque dictus. Attamen quæ præparatio hæc possit esse gratiæ secundæ, i. e. veniæ, me latet. Hoc saltem novi, quod Domini isti benignissimi, juxta suetum favorem suum, admittent te non solum ad defensionem, verum etiam ad extenuationem criminis, quacunque submissione, Deo illam in animo tuo cooperante.

Dominus Sanquirius, Nobilis Scotus, privata flagrans vindicta, atque celsitudini suæ confisus, opera Roberti Carlilæ, Johannem Turnerum Lanistam occidi curavit; Rex autem justitiæ nihil anteferens permittere noluit, ut nobilitas patrocinetur sceleribus, & Dominum Sanquirium 29. Junii 1612. accusatum & condemnatum sub nomine Roberti Creightoni Equitis, capite plecti jussit ante fores aulæ Westmonasteriensis, ubi verè pœnitens obiit. Accusationis autem tempore Fr. Baconus sic peroravit.

IN hac vitæ necisque causa perfecerunt partes suas Juratores: nam post liberam ingenuamque confessionem, eorum cessat labor

bor: & ſic mea hactenus prolata verba de congruo fuerunt potius, quam de neceſſitate.

Mi *Dn. Sanquiri*, grande eſt crimen tuum, nequit extenuari, neque tamen ut aggravetur neceſſe eſt, & ſi neceſſe eſſet, affatim illud expiaſti ſenſu & dolore quem teſtaris tuo, meam aliorumque ſpem excedente.

Chriſtiana hæc tua pœnitentia, eo me adigit, ut ſtatuam, quod ſicut etiam in extremis malis gradus dentur, ita tuum facinus non ſit de ſceleſtiſſimis. Nam ſi ob vineam necaſſes aliquem, prout *Achab* fecit, aut ex invidia, prout *Cain*, certè magis exoſum tuum fuiſſet crimen. Vindictæ cupido Te inceſſit, quæ quo magis hominis naturæ propria eſt, eò magis Divinæ humanæque Leges eam refrænarunt. (*Mihi vindicta*) In eo tamen tibi aſſentiar nunquam, quod generoſa mens difficulter ignoſcat; contrarium enim ſtatuo, videlicet generoſos atque magnanimos viros ad ignoſcendum promptiſſimos eſſe, & infirmitatem, ſeu impotentiam mentis eſſe, ignoſcere non poſſe.

Sed ad rem. Quamvis ad homicidium moventes cauſæ magis minusque exoſæ eſſe queant; Lex tamen Divina & humana eodem puniunt gradu, ut diſcere potes in *Joabi* facinore, qui ex vindicta occidens hominem, Tibi par eſt. Ille enim fratrem, tu proprii ſanguinis portionem vindicaſti: Illius tamen cædes ne impunita dimitteretur, ſeverè præcipiebatur. Et nunc idem Tibi impen-

impendet. Quinque sunt elapsi anni, cum infelix *Turnerus* vel fortuito vel consilio Te offenderet, atque hoc in Te malitiæ semen oriretur. Omnes affectus temporis leniuntur successu, amor, odium, dolor &c. omnis ignis deficit aliquando, ni novus addatur fomes. Quod autem Tu tam diu foveris iram, nec non impotenter ejus sitiveris sanguinem, res certe admodum est mira. Et, ut aperte loquar, existimo, Te potius hunc diuturnæ iræ affectum suxisse ab Italis, aliorumve exterorum quibus cum vixisti moribus, quàm ex aliqua insulæ hujus ratione sive Anglia, sive Scotia.

Jam verò consideres quæso Dei in Te judicium, ut ejus sit gloria. Amicos habes apud exteros, & commorandi apud ipsos media. Facile autem fuisset sive Carlilæ, sive Sicario alii hocce committere negotium, Te permanente ultra Oceanum, atque cædis historiam per literas expectante, spectante insuper tempestatem inde hic orituram. Deus autem hac Te non dignatus est prudentia; sed tradidit manibus Regis, qui ut abundat clementia, ita neque caret justitiæ Zelo.

Porro Lambethum adductus pernegare potuisses, Te hujus facinoris esse authorem. Carlile audaculus potuisset Te insontem declarare, nam qui in perficiendis criminibus sunt audaces, ut plurimum etiam pertinaces sunt in concelandis iis, à quibus acceperunt mandata; atque sic nihil contra Te stetisset, præter suspicionem solam. Deus autem

tem hunc justitiæ obicem removens, ingenuæ confessionis gratiam Tibi concessit, quæ majori Tibi esse debet solatio, quam ullum evadendi consilium, aut medium.

Alia quoque fuere, quæ hujus diei justitiam videbantur moratura, sed avertit ea Providentia Dei benignissima.

Jam verò sicuti Deo asserui gloriam, ita ut & illi asseram, qui isti proximus est, i. e. Regi, finire.

Quamprimum patratum fuit homicidium, atque ad Regis pervenit aures, justa indignatione commotus, providam navavit operam, ut fieret justitia. Mox enim vulgavit edictum eleganti conscriptum stylo, declarans, quod vel oris sui halitu persequatur maleficos. Post longas suas Rex extendit manus (scis enim longas Regibus esse manus,) quarum unâ ad maritimam oram prehendit Grejum, qui in Sueciam navigare cupivit, ast prehensus, prima veritati perhibuit testimonia: alterâ prehendit in Scotia Carlilen, antequam incalesceret domi suæ, atque huc adduxit tàm probè custoditum, ut evadere nequiverit, aut semetipsum enecare, aut silendi addiscere artes; quibus factis, forte hujus diei justitiæ obex poni potuisset. Concludo igitur esse S. R. Maj. revera Dei ipsius Locumtenentem, neque ullam respicere personam, sed Anglos, Scotos, Nobiles, Lanistas (qui ignobili tantùm arti student) æqua apud ipsum frui justitia.

Imo fateri cogor prophetico Regem polle-re

re Spiritu: Nam Carlile & Grejo, Te etiam, mi Domine, fugientibus, nescio qua, magna tamen semper fiducia Rex asseruit; quod ubicunque sint istius cædis rei, velit eosdem protrahere & judicio sistere.

Verùm ad Te revertor, mi Domine; Quanquam grande sit facinus tuum, confessio tamen fuit liberrima, gestus etiam tui & sermones decentissimi: eaque ostendunt, quod licet malignæ ad peccatum tentationi minime restiteris, generosum tamen & Christianum geras animum, dignum nobili illa, ex qua prognatus es, familia. Et hoc est, quod tibi commendo; existimo enim esse certissimum misericordiæ Divinæ atque favoris testimonium; cujus intuitu res omnes terrenæ sunt merces adulterina: meritoque à Te, prout nunc conditio fert Tua, sic æstimandæ.

Plura de his videat Lector in Coki relationibus.

Accusatio J. S. de Benevolentia læsa, in publico Judicum consessu facta à Fr. Bacono Equite, S. R. Maj. Atturnato Generali.

Domini mei benignissimi. Oretenus accusare coram vobis teneor hunc nobilem J. S. Nobilem ut videtur, antiquæ prosapiæ atque famæ: jam verò non alio quam magni delinquentis nomine memorandum. Est ei im

enim crimen ejus, ut summatim loquar, tale. Vir iste consultus non subito; penna sua, neque lubricè lingua sua; neque privatim in angulo, sed publicè, & quasi in conspectu Ministrorum Regis & Justitiariorum proscidit, & conviciis aspersit Regem Dn. meum Clementiss. Angliæ legem, Parlamentum, & innumeros ex S. R. M. benemerentibus adamatisque subditis. Imo convicia sunt ejusmodi, ut videantur ingerere plebi regiminis displicentiam, sovereque murmurationis atque seditionis materiem: adeoque calumnia non est simplex, sed seditiosa, par illi, de qua Poeta: --- *Calamosque amare veneno.*

Ut vero *Dominationibus Vestris* clare demonstrem hocce crimen, primo occasionem ejus, deinde ipsa J. S. verba, & denique accusationis membra proponam.

Recordantur *Dominationes Vestræ*, in Parlamento nupero expectasse nos pro Rege subsidiariam pecuniam, & quidem frustra. Non vero hic audebo de Parlamento ferre sententiam, veritati saltem perhibebo testimonium ubicunque. In inferiori Domo ministrabam, & observabam aliquid: Dico igitur me hic vidisse generalem ad dandum promptitudinem, & quidem ad liberaliter dandum. Personæ fortassis differebant, festinantibus aliis nimium, lente nimis annuentibus aliis. Sed universim omnes contribuere volebant, adeoque rectè dicere queo; *Solo tempore lapsus amor.*

Hæc cum ita præter expectationem contin-

tingerent, nonnulli S. R. M. fideles ministri & subditi ex Clericis, Nobilibus & Anglicis, aliisque hic prope habitantibus, propenso hilarique animo commoti sunt, Regique argumentum alii, pecuniam alii obtulerunt, ceu spontaneam oblationem (& Deo charam; quid vero livor sentiat non novi.) *Liberè* igitur loquar: nemo sit tam perversæ mentis ut existimet, amorisofficiorumque in subditis, quibus *Regi* adstringuntur, vincula, complexa debere esse, non verò singula. Neutiquam ita se res habet, *Domini mei*, sed utrumque observatur. Subditus Regem exorat in Parlamento, nec non extra illud. Rex etiam largitur gratiam suam in Parlamento subditis, nec non extra illud. Nefas igitur non erit, si subditus Regi det in Parlamento, & extra illud. Parlamentum quidem est *intercursus magnus* & flumen reciprocum Gratiæ & Donativorum à Rege in subditos, & subditorum in Regem. Verùm Parlamenta statis tantum coguntur temporibus. Privatis autem semper aditus patet: Ingentes fluvii fluxu & refluxu reciprocantur, rivi autem minores & scaturigines fluunt continuo.

Sed pergamus: Occasio hæc (defectus scil. subsidiorum in Parlamento) ut excitavit amorem benevolumque eorum, qui prope erant, animum; ita consultum videbatur Consilio sanctiori occasione hac & istorum exemplis tentare & illorum mentem, qui distarent longiùs, ideoque scribebantur epistolæ ad Vice-Comites & Justitiarios indicantes,

cantes, quid hic actum fuerit, & precantes, ut & alibi commoverentur opulenti.

Jam vero *Domini mei Benign.* cum venia attentioneque vestra quinque proponere liceat membra, (Numerabo autem ea, quoniam fieri potest, ut alii annotent ea. Solum autem indicabo, quoniam in discursu, ut mergantur & pereant, minimè decet,) & tanta sunt, quæ digna judicem observatione, tum ob Reip. honorem, tum Conviciatorum confusionem. Apparebit etiam inde, quam provide factum, ne quod gestum erat, haberet vel speciem, vel umbram tributi vel exactionis minimam: Et tam procul esse ab introducendo exemplum iniquum, ut potius ex adverso id corrigat, & leniat vel temperet omnem pristinorum exemplorum duritiem atque discrimina.

Primum est: Quæ gesta sunt, acciderunt immediate post Parlamentum ejusmodi, quod liberalitatem profitebatur, impediebatur autem fortuito: adeoque merito dicere possis: *fuisse tanquam posthumam Parlamenti prolem*; & quodammodo firmæ intentionis effectum: Possis etiam dicere subsidium, quo provide subvenire voluerunt, donec aliud cogeretur Parlamentum: aut largitionem simpliciter absque relatione ad Parlamentum, nullatenus autem male interpretari poteris.

Secundum est: Exemplorum hunc fuisse effectum; non fictum aut deliberatum, aut injun-

ctum,

ctum, imo ne commendatum quidem, donec plurimi, nunquam suasionibus, aut consiliis adducti, sed ex mero motu proprio sua tradiderant dona. Ut itaque epistolæ illæ magis novi quid narraverint, scil. quid Londini factum esset referentes, quàm mandaverint quicquam. Scimus autem *exempla ducere, non trahere.*

Tertium est: Haud ista facta esse per mandata, *magno Sigillo* munita. Modus quem innumera probant exempla antiqua, recentia, ut mox audiemus: & sine dubio etiam lege confirmatus; literæ fuerunt tantum moventes, non verò exigentes, & quidem à Consiliariis scriptæ, non ab alia celsiori manu, neque forma.

Quartum: Literæ istæ nulla præditæ fuerunt autoritate publica constringente; nullam enim specialem continent istius negotii directionem; sed bona fide scriptæ sunt, omnia relinquentes industriæ & fiduciæ illorum, qui in provinciis habitant, ita ut nemo earum causa ad rationem reddendam teneretur.

Ultimum est. Nihil coactionis in hoc negotio fuisse; nemo ut fieret optavit, nemo minatus est, si negaretur, neque reprehendit negantes, nemo negantium consignavit nomina, si modo negassent solum, neque notassent atque criminati essent ipsum opus; excusassent se solum, neque accusassent rempubl. quod certe aliud quid est. Nam ob negata subsidia nemo comprehensus est, nemo notatus; Existimo igitur nullum fore

tam

tam ſubtilem diſputatorem, qui hinc poſſit Liberum aufferre Arbitrium.

Concludo itaque puram putam hic fuiſſe benevolentiam, non vero exactionem benevolentiæ titulo velatam, de qua Statuta loquuntur, ut audietis ex uno collegarum meorum. Magna eſt differentia, (quanquam Pilatus eam cernere nollet) inter *Rex Judæorum*, & *dicere ſe Regem Judæorum*, & grandis eſt differentia inter *benevolentiam* & *exactionem quæ dicitur benevolentia*, de qua Dux Buckinghamius in oratione ſua ad civitatem loquitur, eamque definit, quod ſit non donativum ſubditi, benevolè ſuppeditatum, ſed à Rege juxta beneplacitum ſuum deſideratum. Hæc autem *benevolentia* Principis gaudebat prærogativa, videlicet: *voto negativo*, & verbum illud, *excuſa me*, erat ſufficiens defenſio. Miror igitur qua ratione J. S. tam purum potuerit turbare atque contaminare fontem; certè ab ipſius hoc fluxit amarulentia & veſanis humoribus.

Jam ad accuſationis particularia. Poſt provincias alias literæ iſtæ ſenatorum devenerunt ad Juſtitiarios Provinciæ. D. qui earum contenta propalantes juſſerunt fieri congregationes ea de re in civitatibus locisque diverſis ejusdem comitatus, & inter alias in civitate A. Conſul urbis hujus opinatus J. S. utpote civem eximium & opulentum, præbiturum eſſe, & pecuniam, & exemplum bonum, egit cum ipſo mentem ipſius indagaturus. Iſte vero, (ut videtur,) prædæ inhians re-

responsum huic Consuli dedit nullum, sed deliberandi sumpsit spatium; Die proximo, congregationi destinato, abest levi de causa, fortassis ut schedas suas in publicum emitteret; calamum enim arripiens, loco excusationis suæ, seditiosam famosamque in Regem & rempubl. componit accusationem, *à Dominationibus Vestris* jamjam audiendam; atque ad Consulem mittit; ac ne pereat quod scripserat, orat Consulem, ut Justitiariis impertiat, si ita fuisset visum. Audiatis ergo ipsa scripti hujus verba, ne egometipse vel male intellecta male repetam.

Hic Schedæ lectæ sunt.

Domini mei, scio offendi aures vestras, omniumque subditorum proborum, lectione ista: & vehementer doleo ætatem nostram ejusmodi producere crimina. Sed quoniam prodeunt, vehementius adhuc dolerem, si absque pœna dimitterentur vindice. *Non tradite factum*; ut in versu est, paululum immutato: *aut si tractatis, facti quoque tradite pœnam.*

Apparet autem hoc in libello monstrum cum capitibus quatuor, & est soboles illius, qui vocatur mendaciorum Pater, nomenque à calumnia derivat.

Prima est calumnia seditiosa & scelesta; aut (si dicet scripturæ loqui phrasibus) blasphemia in Regem; quem exhibet tanquam perjurum respectu magni & solennis coronationis suæ juramenti, quod quasi Diadema-

tis

tis est vinculum; tanquam Principem violantem & infringentem Libertates, Leges & consuetudines Regni. Stigma Henrici IV. & fomes Richardi II.

Secunda est calumnia, & interpolatio, seu detorsio Legis Anglicanæ crassa atque manifesta: benè dictum, *tortura legum pessima.*

Tertia est calumnia & iniqua Parlamenti accusatio, ac si detrectasset dare Regi quicquam, quod manifestè falsum est.

Ultima calumnia infinitos S. R. M. optimos subditos ferit, qui suam testati sunt benevolentiam, & sponte largiti subsidia: accusans eos, quod cooperentur in Regis perjurium, ejusque sint participes. Imo non hic subsistit, sed pontificalem indutus habitum calumniæ jungit maledictionem. Sed gratiæ Deo sint; abunde didicimus ex scriptura; *Sicut avis ad alta transvolans, sit maledictionem frustra prolatam, in quempiam supervenire.*

Harum *primam* Regem concernentem egomet ipse exponam, & aggravabo, reliquis inter socios meos distributis.

Verùm *Domini mei*, non absque admiratione & stupore considerare queo, qua ratione Angliæ subditus in Regem, cujus bonitas & gratia, prædecessorum omnium æquat, si non superat, possit evomere calumniam; ideoque justam necessariamque nanciscor opportunitatem demonstrandi, *primo*, quomodo se gerat S. R. M. quam J. S. violatarum legum & privilegiorum accusat.

Secundo explicare & aperire noxæ J. S. abyssum. Utrumque brevissimis faciam; nam alteri non sufficio, alterum nimis prosequi nolo.

Nolo autem recitare panegyricum: Rex illo non delectatur, neque ego par sum: Si consiliarius aut Eques istis affectus fuisset convitiis, atque ab amplo hoc consessu restitui fama ipsius posset, non involverem silentio merita ejus debitaque encomia; (ad hunc præsertim pertinentia casum;) merito enim thura adolentur, ubi fœtores olent diffusi. Estne Jacobus R. Libertatum, Legum & consuetudinum regni violator? An non potius horum omnium illustris & constans est Protector atque conservator? Hoc puto consistit in defensione Religionis & Ecclesiæ veræ; in defensione legum regni, quæ sunt subditorum jus connatum, in modesto prærogativæ regiæ exercitio, in æqua & libera justitiæ administratione; & pacis denique conservatione.

Quoad religionem omnium, primo agnoscimus habere nos regem, qui est veræ religionis primarius conservator, per universum Christianum orbem: defendit eam, non solum sceptro & gladio, verum & calamo, quo etiam prævalet. Resuscitavit ipse & fulcivit per integram Europam Reformatæ Religioni addictos, qui ob insolentiam adversariorum, variasque eorum artes & fraudes defecerant atque prostrati jacebant. Concitavit Reges ut Societate inita Sedis Romanæ abjiciant jugum; Ipseque factus est in

Signum, cui vel ea de causa contradicitur.

Neque de Religione loquens omittere possum, quod S. R. M. præstitit in dissita quidem Regione, ast tamen in Ecclesia Dei, quæ est una; & in qua contagium perrepens, etiam maria terrasque transgreditur; *Vorstium* intelligo Hæreticum, contra quem sancto & constanti Rex egit Zelo, dejiciens eum ex cathedra, quam conscensurus erat, pestiferæ atque paganæ Hæresi suæ authoritatem in ea conciliaturus; Mihique firmiter persuadeo in consessu hoc sedere quendam, vel ea de causa largè à Deo benedictum, quoniam S. R. Majestati, tum suam commodavit operam.

Nec Religionis meminisse queo absque ejusdem seminariis, i. e. Academiis Rex uti eruditione antecellit omnes, ita & Regiminis sui benigno influxu beavit studia, effecitque ut magis, quam olim ista seminaria & eruditionis horti excelluerint, tum flore, tum fructu.

De Legibus, quæ genuina sunt sepes & munimen Libertatum subditis concessarum, verè dicere queo, nunquam melius restitutas fuisse. Consentit nobilium voto; *Nolumus Leges Angliæ mutare*; Odit innovationem. Neque universalis propriæ scientiæ complexus facit, ut negligat legum patriarum formam. Nullus unquam (ut mihi persuadeo) sæpius cum judicibus consultavit; Vel vobis ipsis minimè ignorantibus. Judices sunt quasi Regis consiliarii, juramento & antiqua constitutione confirmati; Rex

etiam consilium admittit. Deliberat cum ipsis plerumque cum redeunt ex visitationibus suis & circuitu. Dat ipsis libertatem se informandi atque definiendi negotia secum. In sententia etiam & conclusione formanda plerumque ipsorum acquiescit opinionibus.

Prærogativæ exercitium intra veteres continetur alveos, seu limites; Quædam quæ in Edictis, Commissionibus, & literis patentibus, videbantur abundare, prudentia & cura S. R. Majestatis resecta sunt; Et hac ratione sine dubio prærogativarum Regiarum rivus tanto fortius quanto purius provolvitur; Quæ enim exundant, pessundant aggeres.

Circa justitiæ administrationem inter litigantes observes velim, nihil audiri de magno Sigillo protegente aut differente rixas; Præsidia hic raro conceduntur, nec absque fundamento insigni, aut consensu. Isti illustrissimi Domini, hic confidentes, & Rex, non tractant (sicuti antehac factum est) lites circa *meum* & *tuum* nisi in confesso sit, eas etiam Rempubl. concernere, sed relinquunt Regis curiæ, secundum legem & æquitatem dispensantis. Quoad misericordiam vero & gratiam, (sine qua coram justitia consistere nemo potest) videmus Regem per hos duodecim annos, in candida imperasse toga, absque ulla ferè sanguinis purpurei conspersione. Ibi cernitis Illustrem Hobertum Atturnati fungentem munere septem annis, meque cum ipso ministrantem olim; tam felices, ut nullum de perduellione accusaveri-

verimus, præter Dominum Sanguierium de crimine capitali; maxime insigni, qui unquam accidit, justitiæ actu.

Leges pœnales subditis instar laqueorum imminentes, & quæ fuerunt, quasi *Nemo scit*, Henrico VII. Regi, nunc vix tantum largiuntur, quantùm emendæ sufficit membranæ, cui Regii annales in Westmonasterio inscribantur.

Pacis intuitu videmus S. R. M. quodammodo referre excelsum illud nomen, *Princeps pacis*. Conservavit subditos suos, quousque imperavit in pace, tàm interna, quàm externa. Cum exteris pacem habemus usque ad satietatem: Pacis verò, contra quam Jurisconsulti existimant, esse crimina, vim illatam & luxum, indicium est hujus curiæ in qua ista apparent, otium. Et revera non ullum melius dari potest signum, *omnia bene esse*, quàm Curiam hanc ferias agere.

Verùm hic infinita suppeditatur materia: quare ut abrumpam necesse est, & concludam: non regnasse in gente hac regem, qui suavius observaverit fœdera, conservando libertates, atque promovendo populi sui commoda. O *Fortunatos nimium sua si bona norint*, dicam ergo de Anglis, quos & nosse & agnoscere non diffido, quodcunque tandem pauci, temporum lenitate illecti declament seditiosi.

Factum verò hoc in specie, quo J. S. turbavit pacem, aliorum permitto judicio, dicantque quid Rex facere possit, aut fecerint Reges alii. Ego recensui quid Rex noster &

Domini hic confidentes fecerint; & tam longe abest ab introductione novi exempli, ut potius corrigant atque emolliant pristinorum rigorem.

Nunc autem & tibi J. S. liceat brevissimis exponere crimen tuum. Existimo quidem temetipsum jam cernere illud; attamen, quanquam nullius ambio pœnitentiam, quantum in me est, fovebo eam ubi reperio. Tria autem noxa tua complectitur: *Calumniam, minas & comparationem.*

Calumnia tua est; Regem esse perjurii reum, & temerasse fidem coronationis juramento confirmatam. Quod crimen perjurio gravius? quod juramentum coronationis juramento sanctius? Dimitto hoc, grandius enim est, quàm ut aggravari queat.

Minæ certè maximè sunt seditiosæ. Benè nosti Henrici IV. decretum, utut secreta Dei providentia prævaluerit, stetisse nihilominus per usurpationem: neque dubito, quin si ejusmodi hodie imperaret (prout video te ejus causa etiam per insomnia turbari) in trunco vitam finiret, & loco coronæ in Westmonasterio ipsi imponendæ, corvi insiderent capiti ejus in Londinensi ponte suffixo. Neque quod addis, *averruncet Deus*, extenuat sermonis tui malitiam; non enim præmonitio fuit, re jamdudum peracta, neque apta revocari, sed irritamentum & incentivum populi. Si ergo, exempli gratia, dicerem, tempora hæc posse æquiparari temporibus Henrici VIII. aut aliis, Deusque prohibeat, J. S. ea tibi mortem inferre:

ferre: Certè non existimares blandum hoc esse monitum, sed potius irritationem Curiæ adversus te.

Comparatio tua cum Richardo II. videtur mihi imitari illos, qui in theatrum produxerunt eum, etiam scriptis editis Elisabetha regnante, Regina prudentissima, & admiratione dignissima Sed quæso cur non de Elisabetha vel Jacobo Rege locutus assimilas eos Henrico VII. vel Eduardo I. aut aliis, ad quos accedunt propius? Et utinam omnes caveant eloqui seditiosa per parabolas, tropos vel exempla! In accusationibus etiam *innuendi* vox reperitur, ideoque nec innuendo, nec indigitando, perniciosa de Rege loqui debuisses. Sed hic subsistam: existimo enim turbulentum te esse, & temerarium, non tamen perfidum: Secundum gratiam quoque & misericordiam tecum agitur. Ideoque Dominis his meis, & ut puto cordi etiam tuo & conscientiæ, exponens primariam offensæ tuæ partem, quæ Regem spectat, cætera Legem, Parlamentum & subditos largientes spectantia, Domino Servienti ad Legem, & Domino Sollicitatori relinquo.

Owenus Perduellionis accusatur in Banco Regio à Franc. Bacono Equite, S. R. Majestatis Atturnato Generali.

LÆsæ Majestatis crimen, cujus vir iste reus peragitur, quoad genus & indolem

 suam,

suam, æque est antiquum, ac ulla Lex Anglicana; sed quoad speciem recens: & denique quoad formam, audaciamque in præsenti casu novum & hactenus fere inauditum. Cujus nunc sit opinionis ignoro, accipio autem eum prout accusatus sistitur. Perduellio enim non inscribitur glaciei, ut hac liquescente impressio etiam soluta, seu inscriptio, pereat.

Ipsius criminis evidentia exiguum requirit tempus: tempus igitur locabo optime in plenissima indolis ejus & circumstantiarum expositione: exemplum enim pluris est quàm ipse vir. Quinque igitur Judicibus, Inquisitoribus duodecim juratis, & auditoribus proponam.

Primum sit Regis clementia; novum enim est, & rarum hoc in loco adversus perduellem agere: & mirabitur fortassis quispiam, cur post intermissionem tam longam huic id accidit socio, homini vili, muscæ quasi venenatæ, & seminariorum asseclæ.

Secundum esto perduellionis hujus indoles, quæ Regis tentat vitam ratione perniciosissima; & tantum à conspirationibus aliis distincta, quantum mille manuum elevatio adversus regem differt ab elevatione unius vel paucarum.

Tertium esto, doctrina vel opinio, quæ hujus perduellionis fons est: de qua autem non loquar instar Theologi vel Scholastici, verum instar hominis civili innutritus vitæ. Est autem doctrina ejusmodi, quæ detestationem potius, quam contestationem meretur.

Quar-

Quartum esto criminis gradus: quem omnium, quos novi, maximum esse existimo, & abundare malitia.

Quinto removebo, quæ extenuare possint culpam: non enim simpliciter affirmavit, posse occidi Regem, sed conditionate, si foret excommunicatus; quod exiguam constituit differentiam, tum in lege, tum in periculis.

Regis Clementiam nuper deprædicavi gratissima occasione suppeditata, & adhuc lætus de ea loquor. Jam octo annis & ultra Solicitatoris & Atturnati fungor muniis: hic autem primus est perduellium, quem hoc in foro accuso. Non defuit ex horum subditorum, unde hæc fluit sanies, parte materia Regem irritans. Irritavit eum pulveraria conspiratio, quæ judicium in furorem convertere potuisset: Irritaverunt eum maligni & monstrosi libelli; irritavit insolens papistarum per universam regionem præsumptio. At nihilominus video S. R. Majestatem Julii Cæsaris observare regulam: *Nil malo, quam esse eos similes sui, & me mei:* Nititur malum vincere bono. Res mira, opiniones foventur sanguinariæ, doctrinæ sanguinariæ, exempla sanguinaria, regimen tamen sanguine non est conspersum. Owenus hic licet sit contemtibilis, confirmat tamen exempla deploranda, misellos istos, utut sint spuma terræ, & vilissimi suffecisse ad ciendos terræ-motus per regicidia: & sicuti in peste (est autem perfidia cordis atque animæ pestis) plebejus æque inferre in urbem potest contagium, ac homo nobilis:

ita hic non homo, sed factum considerari meretur.

Perduellionis naturam secundo indagarem, ni abyssus ejus esset impenetrabilis. Ipsa lex civilis inquit: *Conjurationes omnium proditionum odiosissimæ & perniciosissimæ sunt.* Contra hostium invasionem, subditorumque ad istos adhæsionem, possunt se armare Reges. Rebelliones multos prius tollant subditos probos necesse est, antequam Regi noceant: Conspirationes sunt fulguris instar, subito ferientis & vix evitabilis. *Major metus à singulis, quàm ab universis.* Quis se adversus conspirationes potest præparare? Nam ipsa corporis custodia est perpetua miseria. Ideoque & illi qui Legatorum tradiderunt privilegia, & literarum propemticarum (salvi conductus vulgo dicunt) latitudinem, existimarunt: Legatum, vel alium quemcunque literis ejusmodi instructum in regionem aliquam ingredientem, & inibi seditionis materias disseminantem, jure gentium nihilominus impune dimittendum esse: Sed in Regis necem conspirantem, sive vi, sive veneno, justitiæ submittendum esse. *Quia odium est omni privilegio majus.* Imo & in bellis internecinis vel ipsi hostes execrati sunt conspirantes in Principum vitam vel sicarios.

Conspirationes autem sunt variæ; & inter omnes hæc eminet, primo quoniam religionis innititur prætextui, qui instar buccinæ inflammat cor hominis, omnesque commovet lacertos, & audacia temeritateque magis

gis quàm ullus alius armat: Secundo omnium difficillime poteſt evitari. Nam conſpirationes particulares ab uno vel paucis factæ innumeris retardantur impedimentis. Vulgò qui pollet ingenio ad inveniendum, deſtituitur animo ad exequendum; & qui adhibetur facinori aliquando caret audacia, aliquando opportunitate, aliquando conſcientiæ terretur morſu. Sed propalare & defendere licitum eſſe unicuique Regis tentare vitam, venenata eſt doctrina, aut inſtar legionis malignorum ſpirituum; vel tentatio univerſalis, una eademque vice animis irrepens omnium, qui aliqua ratione ad perduellionem inclinant: adeoque quod alteri deeſt, multitudo ſupplet; languet unus, audebit alter; Si uni deſit opportunitas, non deerit alteri; Si pœniteat unum, alter obfirmabit animum; Et tertio denique conſpirationes particulares certas ſuas habent temporis periodos, intra quas ni perficiantur, evaneſcunt: hæc autem infinita eſt, & perpetuam minatur, ſemperque de novo orientem procellam. Atque tantum de facinoris indole.

De tertio, id eſt, doctrina, quâ docetur Regem à Papa excommunicatum & privatum regno, ab unoquoque Adami filio poſſe interimi; Atque hoc eſſe juſtitiam, non verò homicidium; ſubditos etiam à fidelitatis ſolvi juramento, Regem verò prædæ exponi & ſpoliis; dixi antehac me nolle inſtituere diſputationem ſubtilem. Decet potius de ea loqui, tanquam impia, quàm diſpu-

 tare

tare, tanquam de dubia. Meretur potius bellum sacrum, aut Ligam omnium Christianorum Principum, utriusque religionis, quod extirpet atque deleat opinionem hanc, ejusque fautores de terra, quàm pennam aut Sermonem. Pauca igitur eum in finem dicam; profiteor etiam, quod licet & ipse essem Pontificius, me aliter non locuturum; imo majori fortassis eloquerer cum indignatione & sensu. Horribilis enim ista opinio nostrum est commodum; Pontificiorum autem probrum, eritque ruina.

Hoc opinionis monstrum, de tribus manifestis & deplorandis calamitatibus accusari meretur. *Primo* de calumnia, quam Christianæ impingit fidei, aperte enim ferit impietatem & Atheismum. *Secundo* de subversione, quæ subruit politiam omnem & gubernationem. *Tertio*, de calamitate in quam omnes ducit Pontificios, ex quibus qui modestiores sunt, & seducuntur, commiseratione digni sunt.

Circa primum, si quis intueatur fædas & improbas opiniones, consuetudines, aut actiones gentium, Mahummedanorum & Hæreticorum, videbit neutiquam ad illud pertingere cacumen. Prome execrandæ memoriæ exempla apud gentiles; Syllæ apud Romanos proscriptiones, & Triumvirorum posthac, quid erant; exiguus erat hominum numerus, gladio expositus: & quid hoc ad Regem proscriptum, omnesque ipsi adhærentes? Quæ erat merces militis aliquem ex istis necantis? certè exigua pecu-

niæ

niæ portio. Sed quod nunc Regicidæ est præmium? nonne cœlorum regnum? Consuetudo gentilium maximè abominanda erat, quod hominem sacrificarent sacerdotes: verùm an ullibi invenies sacerdotium, quod Reges sacrificaverit?

Mahometanis est religionis suæ fundamentum, propagare fidem suam acinace; bello tamen honesto, non sceleribus aut cædibus clandestinis. Imo reperio Principes Saracenos, à quibus Assassinorum derivatur vocabulum, & qui plura habuerunt mancipia, quorum ope in necandis usi sunt Regibus in Oriente (à quorum uno Amurathes primus occisus, & Eduardus I. Angl. R. vulneratus) dejectos & extirpatos esse communi Mahumedanorum Principum consensu.

Anabaptistæ propius accedunt: statuunt enim Magistratus depositionem, & cantitant: *ad alligandos Reges eorum in compedibus & nobiles eorum in manicis ferreis: Hæc est sanctorum gloria*; * perquam similis seculari potestati, quam sibi Pontifex in Principes arrogat. In eo verò differunt, quod isti furore ferantur fanatico; illi verò damnum inferunt solenniter. *Figunt laborem in præcepto.* † Scil. legitimum ipsis est scelus suum.

Porro defensio qua extenuant delictum suum, illud ipsum aggravat, & ex crudelitate adversus homines conficit blasphemiam in Deum: nam quod dicunt omnia hæc fieri *in ordine ad spirituale*, finemque bonum, homi-

* *Psalm.* 149. *v.* 8. † *Psalm.* 94. *v.* 20.

hominum etiam salutem; directe facit Deum esse mali Autorem; atque similem efficit tenebrarum Principi. Belle consonant illis, qui apud Apostolum dicunt *faciamus mala, ut eveniant bona*: in eandemque ruunt censuram: *quod damnatio eorum sit justa*.

Destrui verò opinione hac Rempubl. evidens est: neque enim istud est protestantium solum Principum infortunium, verum & Pontificiorum; sicuti ipse Rex eleganter ostendit. Imo non solum Principum hæc est pernicies, verùm etiam subditorum privatorumque omnium. Evolvantur historiæ & videatur, quæ fuerint causæ Principum excommunicatorum; & quidem istius tumoris, quo Reges fuerunt exauctorati seu depositi; non solum id factum est propter hæresin & schisma, verum etiam propter vocationem, & investituram Episcoporum aliarumque personarum Ecclesiasticarum, propter usurpationem bonorum Ecclesiasticorum, violationem cleri, seu libertatis. Imo in genere statuunt posse id propter quodcunque fieri peccatum: ita ut differentia qua variant Doctores pontificii, aliis Papæ immediatam asserentibus potestatem, aliis in ordine ad spirituale, mera tantum illusio sit & abusus: omnia enim eodem recidunt. Nam quid est, quod aliqua ratione ad spirituale referri nequeat? Præsertim quando, qui fert sententiam, casum pro arbitrio formare permittitur? Atque sic evenisse tristis testatur experientia. Ejusmodi enim Regum cædes æque Pontificios ac Protestan-

tes

tes feriit; nisi excipias placuisse Deo ita dirigere mirabili providentia sua horum hominum attentata, ut in Pontificiis Regibus finem consecuti sint suum, in Protestantibus autem frustrati fuerint: nisi in unico Arausionensium Principe; quem tamen illo demum necarunt tempore, cum præpropere se junxisset Andegavensium Principi & Pontificiis.

Reliqua desunt.

M. L. S. W. & H. J. accusati de Justitia Regis adversus Westonium procedentis, reprehensa, à Franc. Bac. S. R. M. Atturnato Generali.

Crimen, cujus reos peragam tres istos in judicio stantes grande est admodum, tendit enim ad diffamandam justitiam in capitali causa versantem: est autem ejusmodi:

Novimus Regem excellere in illa Throno Regio propria virtute, quæ *justitia* appellatur. Regalis est virtus, tres alias cardinales virtutes in ministerium adsciscens suum, *Sapientiam* qua detegit & discernit nocentem ab innocente; *Fortitudinem*, qua prosequitur & exsequitur. *Temperantiam*, qua prohibetur Justitia ab ira in persequendo, & à confusione in involvendo quopiam levi de suspicione; & à præcipitando in temporum decursu. Huic S. R. Majestatis Justitiæ Deus occa-

occasionem largitus est, & theatrum quasi erexit in suimet gloriam, cum ageretur de immatura Thomæ Overburi Equitis morte, atque terra ab innocenti purgaretur sanguine. Nam Domini mei, si sanguis solummodo effusus de terra ad Deum clamat, multo magis id faciet sanguis veneno infectus.

Insigne hoc justitiæ opus, quo illustrius est, eo gravius est crimen omnium eam proscindentium. Antequam igitur ad accusationem deveniam, pondus illius quod convitiati sunt ostendam, differens primo in genere de veneficii crimine, deinde in specie de Overburio cicuta sublato, & tertio denique de Regis diligenti ingenuaque industria hoc in negotio, & quomodo hic se gesserit.

Hoc veneficii crimen apprime in illis exhibetur verbis, quæ de*Romano Tyranno elocutus est quispiam, dicens eum fuisse *Lutum sanguine maceratum*. Nam uti est ex maximis quoad reatum sceleribus, ita etiam vilissimum est, vel in ipsorum venena propinantium animis. Conspirationes *magnum aliquid spectant*: hoc autem vile est & abjectum. Et dicam quæ observavi. In omnibus Dei libris (Veteris intellige Novique Testamenti) omnium aliorum criminum reperio exempla, nullum autem veneficii. Mentio quidem fit inopinati veneficii metus, cum ex vite agresti collegissent colocyntidas easque coxissent & exclamassent: *Mors in olla*: reperio etiam venena bestiarum & serpentum:

aliquis [illegible]

Venenum

Venenum aspidum sub labiis eorum: Sed de veneficio lego nihil. Meditatus aliquando sum Psalmi verba: *Fiat mensa eorum coram ipsis in laqueum*: Veruntamen id de amicorum, mensæ assidentium, potius accipi potest perfidia.

Sed pergamus: Crimen hoc duabus instructum est calcaribus, *spe perficiendi*, *&* *spe celandi*: facile enim committitur, facile etiam concelatur.

Noxa hæc est *tanquam sagitta nocte volans*. Non agnoscit quem ferit: nam sæpe huic venenum paratur, ille haurit: ut in *Sanderi* casu, ubi pomum venenatum parabatur matri, sed ab infante prehensum, necem intulit eidem. Et sic in illo facto cujus gratia lex sancita 22. Henric. VIII. cap. 9. ubi unius tantum vel duorum tentabatur vita, toxico in vas exiguum, flore cerevisiæ repletum atque in culina Roffensis Episcopi positum conjecto, unde jusculum vel ptisana confecta, & 17. ex Episcopi domesticis peremti. Imo & mendici ptisanam gustantes enecati sunt. Nemo igitur dicat, inimicos non habeo, ideo neque venenum pertimesco: vel possideo nihil quod aliis livorem ingerere queat; securus itaque vivo: Nam fieri potest, ut ad mensam assideat alicujus, cui venenum propinatur; potest ipsius poculi vel offæ particeps fieri, juxta Poëtam: *Concidit infelix alieno vulnere*. Idcirco graviter, nervosè & rectè in statuto decretum, quod veneficium ejusmodi debeat pro læsæ Majestatis crimine haberi: Nam quodcunque

crimen

crimen in subversionem atque dissolutionem societatis humanæ tendit, naturam læsæ Majestatis induit.

Denique de crimine hoc vere dicere possum; *Non est nostri generis, nec sanguinis*; rarum (laus sit Deo) factum Britannicis in Insulis; neque terra nostra, neque Ecclesia illud patravit unquam; Romæ autem & in Italia reperias licet: hic est regio, aut fortassis religio, cum qua moratur. Si vero inter nos frequentaretur, næ tutius esset in deserto victitare, quam in aula.

Jam ad Thomam Overburium, & quidem primo ejus personam. Novi hominem, excelsi fuit animi, sed judicii minimè discreti; quanquam ut plurimum ad meliora proni: maxima autem, quantum percepi, ejus fuit culpa, quod ex amico suo fecerit idolum. Sed linquamus ipsum; tanquam Thomam Overburium Equitem.

Aspice autem ipsum tanquam Regis captivum in turri Londinensi, & dispice, quomodo se habeat casus. Hic de captivi salute quæstio est: nam si aliquid ipsi accidat (sive hac, sive alia ratione) in ipsam rempublicam redundat factum. Etenim vinctus extra suam defensionem positus est, propria de se ipso cura, licet provida, nequicquam ipsi prodest; sub custodia autem est legis, quæ illius etiam suscepit tutelam. Et est (ut bene nostis) juris regula, omne quod sub legis est tutela, lædi neutiquam neque destrui posse. Idemque decet personas, quæ sub legis sunt custo-

custodia. Et ita hæc quoque circumstantia adauget reatum.

Tandem morti tradere hominem (publica tantum sequor monumenta, secreta verò minimè scrutor) veneno multiplici. Arsenico primum, deinde mercurio sublimato, & isto quidem bina vice; vel ipsa narratio terret audientem. Poëtæ fingunt Furias habere flagella ex venenatis contorta colubris. Et certè posset quis imaginari, has esse istius mortis imaginem: toxici enim varietate, instar tot colubris, columnæ alligatus cæditur misellus.

Sed jam accedam ad illud, quod hac in causa palmarium: i.e. S. R. Majestatis vere regiam, imo Sacram procedendi rationem; uti primo dicendum mihi est, de Justitiæ temperamento, & postmodum de ejusdem robore.

Primo placuit Domino Justitiario summo indicare mihi (id quod mihi fuit auditu gratissimum) quod mandatum Rex omnium primo sibi dederit, & deinde Commissariis hac in causa: res digna quæ aureis scribatur literis. Ita enim direxit Rex negotium omne, ne aliquis, qui innocuus esset, læderetur. Imo non solum absque accusatione aliorum, verum & aspersione eorundem; maximè nobilis & Principe digna fuit cautela. Hominum enim fama tenera res est, & instar Christi tunicæ sit absque sutura, necesse est. Hoc vero in casu eo magis id requirebatur, quoniam illustres duas concernebat Personas, Nobilem virum, quem Rex adama-

adamabat, & evexerat; & uxorem ejus ex præclara oriundam prosapia. Quanquam assentior dicentibus, nullum pomum granatum tam esse integrum & incolume, quin habeat granum putre: attamen indubitanter assero, in illustribus istis schedis, quas propria Rex scripsit manu; & sunt quasi Justitiæ radii, ab ista quæ in ipso splendet emanantes virtute, nihil inveniri putidum, sed æquissime omnia absque præjudiciis fuisse peracta: (sive hic fuit accusatio vera ex una, sive falsa & dolosa actio ex altera parte.) Fuit S. R. Majestatis ingenium *tanquam tabula rasa*, & auris *tanquam janua aperta*, veritati aditum poscenti. Imo vidi ab initio statim (priusquam clarius affulgeret lumen) Regem parum fuisse commotum narratione prima; quam nequidem narrationis nomine dignatus est, rumorem eam appellans, quæ est narratio sine capite.

Circa justitiæ regiæ robur, dico, me neutiquam mirari Reges emittere fulmina sua in perduellionis criminibus; his enim petuntur ipsi, suntque *vindices doloris proprii*. Sed quando Rex *pro amore justitiæ* solum, etiam contra propensæ voluntatis affectum, pro salute populi, tantum suscipit Justitiæ causam; rarum opus est, & laudibus dignum exteris, domesticis. Etenim, quod vere affirmare queo, nunquam hoc in Regno; vel alio quocunque, privati nobilis sanguis, cum *tanto motu regni*, vel quod rectius dici potest, *cum tanto plausu regni* vindicatus est. Si ipsum hoc tetigisset Regem, non grandiores

diores, neque meliores ad examen eligi potuissent Commissarii; Tempus ei destinatum fere in justitium est conversum: populus hic libentius spectatorem egit, quàm mansit in suis officinis. Nulla in inquirendo industria omissa, nullum temporis momentum neglectum: Ideoque cum Salomone dicam: *Gloria Dei celare rem, & gloria regis scrutari rem.* Eo autem major est Regis gloria, quo clarius orbi circa Dominum de Sommerset (cujus tamen causæ non præjudicio, secretorum ignarus; sed tantum loquens de ipso, quomodo lex loquitur, id est, suspecto) ostendit, quòd in causa ejusmodi sanguinaria, licet aliquis sit *annulus in ejus dextera*, (ut scriptura infit) *eum tamen sit evulsurus.*

Jam verò ad specialem horum hominum descendam accusationem, quorum animi dotes & personas veneror atque diligo; singuli enim sunt amici mei: nunc autem illud tantum amici possum ipsis exhibere officium, per quod ad plenam erroris sui perducantur agnitionem.

Primo igitur Dominationibus Vestris enarrabo factum & occasionem ejus: Postmodum audietis proprias eorum confessiones lectas; una cum testimoniis quibusdam aggravantibus: & denique adducam primaria accusationis argumenta; atque defensioni propriæ permittam. Breviter autem id omne perficiam, casûs enim intricatus non est.

Misellus Weston, qui erat hujus venenatæ

cædis instrumentum à claris judicibus ex civibus selectis novendecim convictus est; *billa vera* primo statim die ab ipsis inventa: ipse vero ab initio existebat mutus. Diebus aliquot elapsis placuit Deo mutum ab ipso ejicere Dæmonium, ideoque ad examen iterum vocatus, pro reo habitus est à judicibus juratis clarissimis, juxta confessionem propriam & aliorum testimonia: 31. ergo judicibus sententiam in eum ferentibus mortem subiit. Sed in alterum migraturus seculum Thomæ Overburi Patrem accersivit, veniamque genibus flexis & magno cum dolore animi flagitavit, pauloque post sponte petiit, ut & ad matrem illius tunc absentem sua veniæ petitio deferretur, atque binis his vicibus ex abundantia cordis sui fassus est, se justè plectendum esse, atque mortis reum: & in ipsa denique cum supplicio afficeretur hora, (quæ confessionis omnino obligandæ tempus est) licet à variis tentaretur, uti mox audiemus, iterum fassus est, examina sua fuisse æquissima, nec nisi justè atque honestè secum egisse judices. Hæc est narratio, quam accusatio sequitur, estque talis.

M. L. cujus offensa est solitaria (reliquorum enim complexa est, licet in fine, quasi in centro commeent) eratque interrumpere atque contaminare hoc excellens justitiæ opus, in illo temporis intervallo, quo Weston mutus erat, & examen subibat, nam maxime falsam, exosam, & famosam componit relationem, tot mendacia, quot lineas, continentem, atque propria sua describit

manu,

manu, Domino Henrico Gibb, Cubiculario tradit, quo ad Regis perveniret manus. In ea falsitatis arguit & pervertit omnia, quæ primo die in convictione Westonii peracta fuerant; Imputationis suæ aciem primario in Justitiarium Angliæ summum convertens, cujus nomen quoniam hic occurrit, præterire nequeo, quanquam nec assentari didicerim. Ista saltem dicam & futuris dicerem seculis, si conscriberem historiam: *In nullo negotio virum aliquem, ejusque munus felicius commeasse, quam Dominum meum Cookium, & Dominum meum Justitiarium summum in Overburi causa.*

Verum quod articulatim attinet M. L. calumnias, tum demum monstrabo, quando scriptum illud & examinatio ejus instituetur: non enim soleo glossam ante textum locare. In genere nunc tantum indico, primo M. L. esse Scotum, ideoque minus gnarum legum nostrarum, & formularum. Verum ignoro an hæc ipsius ignorantia extenuet delictum, vel augeat ratione præsumtionis, qua immiscuit se ei, quod non intelligit. Sed dubito an ex ipsius factum hoc prodierit pharetra: fortassis alius astutia hujus viri usa est audacia. Secundo delictum est grande: nam privatus cum esset, hic se ingerere ausus est. M. L. ignorare non potuit, quam illustribus viris causam hanc Rex demandaverit, & quod ab illis expectaverit omnia, quibus commiserat. Commissariorum enim est officium, non solum pertractare negotia, verum & referre: atque hinc Rex certus esse potuit de

rebus singulis non solum bene expensis, sed etiam dextre recensitis. Decuisset ergo M. L. abstinere ab his, quæ non nisi à delegatis designatisque tractari debent manibus. Tertio dico hujus calumniæ in aures regias insinuationem esse præ aliis omnibus pessimam. Verum est quidem Reges posse celare à quibus informentur; neque tum licet alicui inquirere in istos, quousque scrinio regii pectoris occlusi teguntur. Sed quando Rex vult, ut respondeat aliquis de falsa informatione sua; tum certe falsa isthæc insinuatio Regi facta, omnes alias excedit: est enim, (ut materia substrata tropum suppeditet) venenum regiis immissum auribus: Atque tantum de M. L. culpa.

Delictum S. W. & H. J. conjunctim breviter ita se habet. In ipso tempore & loco supplicii, viri isti ad supplantandum vere Christianum Westonii propositum, atque inhibendum justitiæ cursum: & fortassis etiam ad interrumpendum quod sequi debebat: cum aliis equitantes adveniebant, atque turbantes omnia terrentesque, novas Westonio, quasi examinaturi denuo, proponebant quæstiones, è diametro contrarias illis, ex quibus damnatus fuerat. Nam convictus olim, quod peremisset veneno Overburium, nunc interrogatur abs S. W. num Weston peremerit Overburium veneno necne? quæ contradictoria est quæstio. Respondet Weston tantum, *se inique egisse*: atque ad Vice-Comitem conversus inquit: *Num quid non promisisti, quod hoc in instanti molestiæ*

molestiæ omnis expers esse debeam? Sed instabat S. W. dicens, velle se scire illud, quo cum ipso preces fundere possit. Non novi ego S. W. clericum, cui liceat aliquem à communione precum repellere. En verò Westoni constantiam, quanquam sic in lethi portis versantis vexaretur Spiritus; dicebat etenim: *non immerito plector. Dominus meus Justitiarius summus novit mentem meam, manu enim mea tenet scriptam, est vir honestus atque justus judex.* Et hoc S. W. delictum est.

H. J. quæstionem non quidem proposuit, sed alterius quæstione callidè usus est, ac quasi confessionarius esset, precatus est, ut Weston declaret conscientiam suam, atque mundo satisfaciat. Quis quæso hic mundus? Certe alius hic in loco supplicii (Tybur vulgo appellatur) fuit, necesse est, quam in aula vel Londini, nam isti satisfactum campanis, quæ resonabant. Egregia hominum quorundam, aliena curantium, nunc consuetudo est, ut duo vel tres ardeliones sibi mundi approprient nomen; suosque conceptus venditent, ac si generales omnium essent opiniones. Sed quid tandem? cum nihil in Westonium valuissent, H. J. indignabundus obvertit equum suum; (cum ille ex scalis dejiceretur) dixitque dolere se de ejusmodi catastrophe. Et hoccine erat honorare Rempubl. aut ejus defendere justitiam. Alii quidem ferociora ipsius enarrarunt verba, sed quoniam in confesso non sunt, dimitto.

H. J. delictum hoc aliud præcessit: scil;

cum sententia ferenda esset à judicibus; ipse aliam ferre voluit, dixit enim, si ex judicum esset numero, se addubitaturum quid factu opus esset; Saltem quod incertum sit, an locutus ista fuerit, ante sententiam à judicibus latam, vel post illam: Sed neque hic effugii quicquam; sive enim prævenit judicum cognitionem, sive post illam ista protulit verba, ostendit tantum altero se præjudicare ipsis, altero se convitiari eos.

De hoc hominum istorum delicto necesse est, ut demonstrem Dominationibus Vestris, grandius esse, quàm videtur vulgo. Bene novi quod sicuti non habemus inquisitionem Hispanicam, vel justitiam in angulo latitantem: ita neque moris apud nos esse obstruere hominum ora, cum suppliciis afficiuntur, sed liberum ipsis concedi sermonem ad ultimum usque halitum. Verum proveniat hic sermo ex spontanea plectendi voluntate, non quæstionum accumulatione, necesse est. Quæstiones propositæ tendunt ad ulteriorem revelationem vel proprii vel alieni reatus: Sed interrogationes subdolæ, quæ rem judicatam elevant, seu impugnant, minimè sunt ferendæ. Sic etenim erigeretur forum in Tybur, quod recognosceret in foro Regis Westmonasteriensi judicata. Præterea vanum id est & intempestivum: nam hic si denuo affirment crimen, non confirmatur inde judicium prius: neque derogat, si contrarium asserant. S. R. Majestatis justitiam tantum subdit vulgi sermonibus, & plebejorum exponit judiciis.

Magna

Magna igitur hæc sunt, Domini mei, crimina, nisi enim defenderimus justitiam, neque justitia nos defendet. Attendant itaque Dominationes Vestræ examinationi, ad quam observabo specialia quædam, &c.

Summma eorum, quæ Dn. Custos Magni Sigilli Angliæ, suum in Cancellaria occupans locum juxta Mandatum S. R. Majestatis locutus est, postquam Sigillum accepisset, 1617.

PRiusquam curæ hujus aggrediar negotia, tam illustrium testium præsentia illectus, evulgabo summatim, quæ Rex Serenissimus demandavit mihi, cum sigillum acciperem; & quæ ipse apud me statui, regio me conformans mandato. Habeat enim Rex instructionis gloriam; me solum maneat obedientiæ portio; Conspiciantque Dominationes Vestræ & præsentes reliqui, omne, quo in Cancellaria sedebo, tempus (longius autem illud sit vel brevius, Dei Regisque arbitrio) in unius horæ coarctatum angustias. Idque tribus de causis.

Primo, ut Regis satisfiat mandato. *Secundo*, ut mihi ipsi ponam custodiam, actionibusque meis: & ne aberrem recedamque ab iis, quæ in tam illustri professus sum consessu. *Tertio*, ut omnes Cancellariam aut Sigillum adeuntes sciant, quæ expectare possint; & præcordia sua & aures quiete donantes, nihil desiderent, quod adversus

istas sit regulas, gnari responsionem meam ex *nolumus* nunc commutari in *non possumus*. Idque tribus de causis.

Primo, sunt quædam, quorum indoles est consiliorum instar, quæ perficere magis decet, quam evulgare. Sunt tamen ea de quibus dicere constitui ex illis, de quibus loqui nefas non est. *Secundo* nolo amplam hanc panegyrin detinere minimis quibuscunque, longum enim foret; sed seligam maxima, atque *ad summas rerum* tendentia: relinquens specialia publicis tabulis inscribenda, juxta probum proximi Antecessoris mei exemplum, in initiis suis præbitum. *Denique* non præjudicent Imperativi isti, mihi ipsi præfixi, authoritati curiæ hujus, aut sapientibus mihi olim succedentibus. Subjiciantur potius ingenti sapientiæ Domini mei Regis Sereniss. (Principis inter Christianos judices consummatissimi.) Nam si quiddam ex iis, quæ subordinata esse volo ipsius instructionibus, ipsi videbuntur inordinata, emendabo promptissime. Sunt enim *tanquam album prætoris*; qui apud Romanos (Cancellariis nostris simillimi) solebant in exordio describere judiciorum suorum ordinem. Faciam autem id, Domini mei, *verbis masculis*, non floridis aut pictis, sed ejusmodi, quæ decet præcedere facta.

Regis mandatum, quod lucerna est mea, quatuor complectitur.

Primum erat, ut hujus curiæ jurisdictionem in genuinis suis contineam limitibus, neque excedere aut intumescere patiar.

Se-

Secundum, ne existimem magni sigilli ad diplomata affixionem, ex sola consuetudine fieri, cum præcesserint mandata regia; sed matura & plena eam fieri Regis voluntate; ideoque maximam fiduciæ in me locatæ fore partem, si scrupulum seu dubium advertens S. R. Majestati indicavero; inquiebat enim, *quod dubitas, ne feceris*.

Tertium, ne quid differam; civisque sigilli auxilium nactus, absque bonorum suorum dispendio fruatur & gaudeat de Justitia celeri: nam *bis dat, qui cito dat*.

Quartum: ne magno Justitia constet pretio, sed illæ non necessariarum expensarum spinæ resecentur, omnesque exactionum modi, in quantum fieri possit, eradicentur.

Præcepta hæc, (*Domini mei*) sunt æquissima (& prout appellare libet) sacra: adhibeam igitur sacram precum formulam. Benedicat Regi Deus ob magnam ejus de regni Justitia solicitudinem: mihique istius indigno servo largiatur gratiam atque vires ad Præceptorum istorum observationem.

Jam vero ut secundum ea mea formem initia, quatuor istis sequentia hæc respondere volo & esse conformia: & quidem quoad excessum seu tumorem Cancellariæ quinque observare libet:

Primo excedit curia hæc, quando assumit causas, tum quoad materiam, tum quoad circumstantias determinari aptas ex jure communi. Cancellaria enim instituta est ad supplendam, non subvertendam legem. Enumerare autem causas hujus curiæ, atque

describere (differentiis etiam earum adjectis) pensum foret nimis longum. Dicam tamen quod paraverim remedium. Ipsemet curiæ hujus asservabo claves, neque ullum negotium (à quo curia hæc vult immunis esse) demandabo Cancellariæ assistentibus. Sed ipsemet judicabo de illo, aut minimum Cancellariæ magister. Imo porro quemvis martis diem, (qui est dies status) ejusmodi causarum tractationi addicam, ut ante alia examinentur, & cive mox dimisso, curia hæc non promiscuis & confusis detineatur negotiis.

Secundo querelarum tempus observetur. Non accedant ad Cancellariam, donec sententia secundum legem communem fuerit contra eos lata. Hinc isti de *præmunire* strepitus & innumera alia: Et hunc ipsum casum juxta veterum exempla Rex definivit. Verum quidem est, opinionem illam, nullam rescindendam esse judiciorum sententiam, fore admodum perniciosam; multosque subditorum ruinæ, naufragio & exitio traditurum: Nam ut bene Rex inquit: Num confugiet aliquis ad Cancellariam, antequam læsus fuerit? *Valentes non egent medico, sed male habentes.* Verum conservetur potestas isthæc, praxis tamen sit moderata. Erit ergo regula mea in querelis post sententias latas (nisi modo latæ fuerint in *nihil dicit*: quæ personatæ tantum sunt sententiæ, acquisitæ in contemptum ordinis, curiam hanc præcedentis) imo & post veredicta, ut pars querelam instituens captiva detineatur, donec

proba-

probaverit actionem suam: & contra legis communis sententiam, quæ æquitatis est, agat *tanquam in vinculis*, seu suo cum periculo.

Tertius excessus fortassis est, nimis frequens atque facilis concessio, qua legi communi cessatio seu mora injungitur: aut possessionum fit immutatio: hic regulæ meæ erunt.

Nullam ejusmodi concessionem largiar intuitu prioritatis causæ: id est, quoniam ad curiam hanc prius fuerit appellatio facta. Res egregie emendata ultimi Domini Cancellarii diebus, sed frequentata Broomeleji tempore, adeo, ut Daltonius Jurisconsultus libellum famosum pro supplici obtulerit curiæ huic. Nam cernens libellum supplicem tradi die lunæ, arrestum autem legis communis die martis fore, ob prioritatem causæ petiit injunctionis concessionem; & clientem suum, qui egit cum debitore infido, jussit ex cancellaria desiderare solutionem illo ipso die, antequam scilicet debitum suum excideret: atque sic alterum certo prævenire satagebat. Nolo itaque ut incitato ad Cancellariam veniatur cursu, vel etiam ad alias justitiæ aulas.

Neque injunctionem moræ concedam intuitu materiæ solius, quam speciose etiam proponatur; sed respectu rei confessæ, atque defendentis responsione commotus: aut materiæ prægnantis scriptione, vel memoria dignæ: vel etiam ob contemptum, quo defendens non apparendo, seu non respon-

dendo, seu negando curiam afficit. Hic enim defendens ipse resilire videtur à lege communi, & quidem per contemptum minime ferendum.

Circa possessiones injungam nihil, sed relinquam eo in statu, quo fuerunt tempore libelli supplicis exhibiti, imo & anno ante elapso; nisi fortassis vi vel fraude fuerint acquisitæ. Neque immutabo possessiones intuitu transactionum privatarum, sed manebunt usque ad sententiam decretoriam: nisi eadem aperte confessus fuerit defendens, atque insufficientiam suam solvendi usum fructum testatus. Intuitu autem contemptus possessiones adimentur nulli, antequam omnia fuerint peracta in curia, & usus fructus sequestratio facta: tum demum fiet Injunctio.

Quartus excessus est nimis laxa communicatio authoritatis Cancellariatus: & nimis multorum Cancellariorum pro re nata constitutio; nimium acquiescendo relationibus Cancellariæ Magistrorum. Scio quidem (*Domini mei*) Cancellariæ magistros esse viros spectabiles, nec immensum causarum chaos absque illis perfici formarive posse: Fieri etiam potest, ut vel otii sui gratia Cancellarius nimium ipsis confidat. Ego tamen cui insistam viæ, erit isthæc: non omnia magistrorum adstringam relationibus; verum & octidui spatium ad minimum concedam proferendi quicquam contra eas, (quod tamen reverenter atque modeste fieri jubebo) & porro hypotheticam seu conditionatam

constitutionem abolebo penitus, quæ est: quod si Cancellariæ Magister ita retulerit, absque ulteriori deliberatione decidatur: est enim inopinata oppressio, contradictioni spatium non relinquens.

Ultimus excessus est: si quando Cancellarius nimius sibi videtur, & venerabiles negligit Judices, neque vult, ut sibi assistant in causis difficilibus, præsertim ex lege definiendis, aut advocat eos pro forma tantum, nec suspicit opiniones illorum. Hic ergo (*Domini mei*) conservare studebo dignitatem atque majestatem curiæ istius (auctam potius, quam imminutam gravi nec non debita judicum præsentia) neque unquam imperiosus reperiar, aut meo sensu abundans, sed & desiderabo, ut assistatis mihi ope vestra usuro. Imo si quando vos à mea differre videbo opinione, quanquam meum unice sit ferre sententiam; attamen oraculum Regis prius consulam, quam pronunciabo. Atque tantum de temperato authoritatis hujus curiæ usu; in quo ipsius consistit incolumitas; ut corporis intemperantiâ.

Secundum S. R. Majestatis præceptum moras injicit magno sigillo: quæ justæ esse possunt vel ratione materiæ concedendæ; vel ratione modi obsignandi. Ex his igitur adducam casus primarios sex, regiæ tamen submittendos voluntati, atque beneplacito, postquam eidem proposuero. Nam si *iteratum veniat mandatum, obedientia tanto gratius erit sacrificium.*

Primus casus est: si quando obventiones,

pecuniarum summas, aut utilitates alias S. R. Majestas largita fuerit, officium meum erit omnino primum examinare, num Donatio ordinaria atque justa facta fuerit via, per magnos Redituum regiorum ministros, (tum Thesaurarium & Ærarii Cancellarium) atque ipsis consciis: hoc si factum non repererò, suspicabor, in tenebris donationem acquisitam atque modo surreptitio: moras igitur hic nectam, donec S. R. Majestatis voluntas innotuerit clarius.

Secundus, si concessio sit minime vulgaris, neque subscriptum habeat, *Fac simile*; sed informationem postulet; officium erit meum, ab Erudito consilio erudiri, num ei visa fuerit, ejusque habeat documenta; utpote quæ à S. R. Majestate leguntur & observantur. Si vero aliter res repererim illas (quamvis per se iniquæ non forent) justa mihi erit dilationis causa; vel in exemplum, quo homines in via contineantur ordinaria.

Tertius, si largitio (secundum tenue judicium meum) foret contra legem. De quali *Theodosius*, cum urgeretur, dixit: *Dixi, non concessi, si est illegitimum*: Consulam hic Eruditum Consilium (atque eum accersens qui libellum conscripsit, ac reliquos) aut eorum aliquot: Tunc si visum fuerit; indicabimus Regi, vel ego ipse, vel eorum aliqui. Judices enim judicant de largitionibus factis, non faciendis, nisi à Rege consulti.

Quarto, si concessiones sint contra librum Liberalitatis Regiæ, expresso teneor mandato, cohibere eas: donec Rex aut revideat libel-

libellum suum in genere, aut mandet denuo in specie.

Quinto, si tanquam Consiliarius status prævideam incongrua ex concessionibus in Rempublicam defluentia, respectu S. R. Majestatis Honoris, aut populi murmurantis; nullatenus meo confidam judicio, sed vel Regi indicabo vel consilio status intimo, aut ex Magnatibus illi, cui voluero.

Tandem veniæ concessiones; si circa crimen læsæ Majestatis, neglectum deferendæ proditionis, homicidium expressum vel involutum per *non obstante*, aut piraticam, aut præmunire, aut mulctam, aut pœnam aliam quamcunque infligendam, versentur in camera stellata vel alibi, benignitate Divina differam illas, donec S. R. Majestas (quæ Gratiæ omnis fons est) statuerit se inter & Deum (probe cognoscens causam) in quantum abundare debeat Gratia, vel superabundare.

Si vero homines quidam accusati & convicti de latrocinio, perfossione parietis nocturna, &c. consequentur veniam, examinabo, num venia hæc aliqua Judicis Assisarum subscriptione sit firmata, aut delegati alius, coram quo reus fuerit examinatus: sin minus, existimabo officium quoque meum esse, differre eam.

Sic *Dominationes Vestræ* vident, me in his Sigilli negotiis occupatum juxta Regis mandatum velle in luce versari; adeoque sciant homines, ubi me reperire possint: Neque dubito hanc evulgationem posse arcere mul-

tos, ne abutantur Rege, mihique invideant: videbunt enim non privatis me duci, sed generali regulâ regi.

Tertium Regis Præceptum ita observabo, ut mox (si non in instanti) decretum meum subsequatur causæ cognitionem, decretum etiam signatum publicetur. Nam mos fuit nuper, Cancellarii postremi tempore (à quo, quæ imiter, multa didici, atque, non tamen absque nominis ipsius reverentia loquor, quæ evitem) ut post solennem plenamque causæ cognitionem nihil publicaverint in curia; sed compendia fuerint edita, quæ non reprehendo in causis perplexis. Nam fateor me aliquatenus esse cunctabundum: & existimare, quod homo, qui sapientior non fuerit factus ex consilio, quam ex improviso: is neque prudentior sit quinquagesimum agens annum, quam cum trigesimum egisset. Patris mei consueta vox erat, *date mihi deliberandi spatium*. Inveni autem, compendiis ejusmodi confectis causas fuisse oblivioni traditas uno & altero Termino: & revocatas dein ad novam cognitionem tribus vel quatuor terminis posthac sequentibus. Talismodi intermissionis usum non conspicio. Ideoque promitto, me ordinariè publicaturum decretum paucis post cognitionem diebus, atque signaturum minimum in vacationibus post publicationem. Recens enim justitia est suavissima. Neque differre eam decet: ut omnes præveniantur cuniculi; nam hic nihil subdole tentandum; sed omnia quasi in concilio seu coram judicio peragenda.

Porro

Porro quoniam Justitia sacra res est; atque finis, cujus gratia hoc fungor munere, ideoque via per quam in Cœlum ascendo (quæ utut brevior sit, pejor tamen non est) per Dei gratiam (quoad tamen ipse largietur vires) pomeridianum tempus addam antemeridiano, atque binas ex feriis hebdomadas termino, ut absolvantur & perficiantur curiæ istius negotia. Trium saltem Vacationum ferias quadantenus ob status negotia liberas servabo, & artium scientiarumque studia, ad quæ indole propendeo mea.

Superest aliud expeditionis momentum, ex me dependens solo; estque ratio secundū quam mandata fiunt. Vidi affectatam expeditionem in dilationem diuturnam conversam; nam cum relatio ex ore judicis in foro accepta fuit, tumultuarium inde mandatum subsecutum est, & absque effectu id fuit ullo. Hinc quondam aliquis dixit Judex in Cancellaria; se velle uno mane 80. irrita reddere mandata. Et revera irritum hoc erat, nihil enim ad rem erat. Idque est quod 60. 80. 100. in unica causa facit hinc inde dari mandata, & instar Penelopes texturæ, texi retexi. Non tamen volo hac ratione citæ expeditionis venari gloriam; sed cognitum habens officium meum, aliorumque casum, patienter audire, atque taliter agere, ut civis quam citissime actionis suæ contingere possit metam.

Dilationum autem, quæ alios concernunt, magnus abusus est, quando Actor acquirit injunctionem, legique communi

injicitur mora; sic enim in multos protrahetur actio annos. Verum assistente Divina gratia efficiam, ut injunctio fiat pulvinar durum. Nam si video, quod prosequi noluerit quis actionem, fieri poterit, ut excitatus denuo inveniat aut injunctionem suam sublatam, aut causam suam dimissam.

Sunt & aliæ Methodi, quibus insistam adversus non prosequentes, aut segniter prosequentes, sed eis vos nunc morabor minime; nam *summa sequor fastigia rerum.* Et tantum quoad expeditionis materiam.

Jam quoad ultimum Regis Præceptum, circa sumptus non necessarios evitandos, magna ejus portio in præcedenti tractata est membro. Actionis enim prolongatio primario causatur sumtus; sed sunt & alia his remedia:

Primo igitur stricte & severe observabo statutum à Domino Cancellario sancitum, circa immoderatam atque non necessariam libellorum supplicum prolixitatem, responsionum item &c. æque plectens litigantes atque causæ patronos hic deprehensos.

Secundo circa examinationes in curia factas præcipiam examinatoribus (sub pœna privandi muneris sui) ne vanis utantur repetitionibus, aut circumstantiis non necessariis, consignantes ea, quæ apud ipsos deponuntur. Vellem etiam, ut in hoc subvenire possem Commissionibus in provinciis habendis, sed istud fere est impossibile.

Tertio, diligenter perlustrabo quæcunque in Cancellaria scribentur, attendamque ut justum

justum habeant linearum numerum, absque monstrosa scriptionis forma.

Quarto, ne sportulæ exigantur novæ, cavebo, sed secundum statuta pristina. Juris-Consultorum tamen prœmium, ipsorum linquo conscientiæ & merito, ut & arbitrio & gratitudini clientis. Hoc tamen facere possum. Scio JCtos plures hoc secutos esse forum, qui tamen in termino uno vix semel aut bis fuerunt auditi: ideoque clientes magnos potius Consiliarios quærunt & Patronos Gratiosos (ut vocant, nomine, quod Regem magis decet, quam Judices) in quacunque causa, etiam ab Advocato vulgari perficienda. Ut igitur Jurisconsultis in genere subveniatur, & clientes levamentum sentiant, constanter unoquoque die Martis, aliisque diebus statis, post horam nonam usque ad undecimam vel semihoram post decimam ipse disceptantes audiam. Et quoniam loquor de iis, quos audire velim, *Dominationes Vestræ* concedent eloqui, quæ meditatus fuerim. Evenit ut tres nostrum, qui Regis sumus ministri & illustribus fungimur officiis, ex Jurisconsultis simus progeniti: *Dominus Atturnatus* est Judicis filius, *Dominus solicitator* itidem Judicis filius: Et ego Cancellarii.

Jam quoniam tam belle radicem lex agit hoc ævo meo, rigabo eam, eatenus, ut præter insignes istos Causidicos, etiam libentius auditurus sim cujuscunque Judicis filium præ servienti ad legem, & servientis ad legem filium præ Lectore.

Tandem

Tandem ut & Cives levamentum aliquod ſentiant, & rixæ deſueſcant, majores requiram impenſas ab illis, qui male accuſarunt, quam factum eſt hactenus.

Sunt & alii modi ad melius formandam curiam iſthanc circa diplomatum conceſſiones, beneficiorum & aliorum, quæ in tabula deſcribam. Non enim nunc pertractabo quicquam aliud, quàm quod S. R. M^t. reſpicit præcepta. Meum autem eſt ſolatium, quod tali ſerviam Domino, cujus tantum ſim canalis ad derivandam bonitatem ejus in ſubditos, neceſſe eſt. Verum etiam eſt, adſpirare me ad veritatem illius, *Optimus Magiſtratus præſtat optimæ legi.* Sed ſicuti hoc in Rege adimpletur, ita dubito, me eo pertingere poſſe. Habeo tamen exemplum domeſticum, quod imitabor. Ideoque Domini mei; plura quæ dicam non habens, ad negotia curiæ hujus me accingo.

ORATIO

à Domino Cuſtode magni Sigilli in Camera Stellata ante circuitum æſtivum habita, Rege tunc in Scotia degente 1617.

REx omnibus numeris conſummata Declaratione ſua, hoc in loco circa Judices atque Juſtitiarios evulgata, fecit orationem Cancellarii, quæ circuitus præcedere ſolet, eſſe potius Ceremoniæ, quam utilitatis. Nam

Nam ſicuti in ſuo ad Filium ſuum libro, exhibuit characteres Regis & exemplar? Ita in hoc ſermone ſuo ſimile præſtitit circa Judices Juſtitiariosque. Idque oſtendit, quod S. R. Maj. prout excellenter ſufficit regimini ſummo, ita & apprime calleat inferiores officiorum gradus, & juſtitiæ gubernationisque theatra; res in Regibus admodum rara.

Veruntamen aliquid dicendum eſt, ut vetus obſervetur conſuetudo; ſic tamen ut regio inſiſtatur fundamento, & quidem pauciſſimis. Nam ut Salomo inquit alia de cauſa: *In his, quid eſt homo, ut ſequi poſſit Regem?*

Primo, Vos Circuitus Judices eſtis inſtar Planetarum in hoc regno: (minime autem ignominia vos afficio, iſtud vobis impertiendo nomen) & quis dubitat tantum eſſe influxum veſtrum hanc in terram, quantum illorum in orbem univerſum. Agite ergo ut illi, moveamini ſemper atque dirigamini à motore primo, qui eſt Princeps veſter. Popularis judex deformis res eſt: applauſus magis theatricos decent, quam magiſtratus. Benefacite populo, diligite eum, ſecundum æquitatem dijudicate, & ut Pſalmus inquit: *nihil inde expectantes*, neque præmium neque laudes.

Nolo tamen popularitatem interdicens, vos imperioſos eſſe & alienos à Provinciarum Nobilibus: Superiores ipſis eſtis poteſtate; honoris autem gradus differunt parum. Diſcatis etiam; Poteſtatem prævalere maxime, quando urbane geritur.

Secundo,

Secundo, mementote, vos præter ordinariam Justitiæ administrationem vobiscum ferre duo hujus Reipubl. vitra seu specula: est etenim officium vestrum, in hisce visitationibus vestris Populo exhibere Regis gratiam & solicitudinem. Et cum revertimini, exhibere Regi gravamina & offensas populi.

Attendite quæ Rex in suo descripsit libro. *Lucremini reverentiam erga Regem & legem, instruite populum de me* (quod, ut scitis difficile est, ob excellentiam meritorum ejus; conandum tamen) *quanto pro religione movear zelo; quanto ardore contendam, ut Lex vigeat & floreat: ut unaquæque Curia sua gaudeat jurisdictione, ut subditorum singuli se legi submittant.* Et hæc omnia innotuerunt vobis nequaquam leviter, sed per grandia illa & æquissima præcepta à Rege mihi tradita, cum magnum mihi concrederetur Sigillum, ut regerem Cancellariam absque tumore vel excessu.

Porro è re nata hoc ipso tempore vulgus sciat consideretque sanctam Regis curam & providentiam, qua regnum hoc etiam ipso absente gubernatur. Ad clavum enim alterius sedens regni, nec absque negotiis magnis, omnia hic dirigit, epistolis & mandatis, tam exactè & perfectè, ac si omnino præsens esset. Cum Dominis meis Consiliariis intimis, ego, quod verè affirmo, admiratus sum Extensionem & latitudinem solicitudinis ejus circa singula. In Commissione magna adverrit regiminis quendam nervum fuisse contractum: demandavit igitur

tur istius auram. Rationes circuitus postremi exegit à judicibus, inque Scotiam transmitti voluit. Piratarum deprædationes observavit, & observat; iisque obicem posuit. Quæ reformationem aut colonias in Hibernia concernunt, exactè & magnanimiter præcepit. Atque omnia hæc in ipsius absentia.

Sed pauca ex his sufficiant quæ publica sunt, Consilii intimi secreta aggredi vereor: quanquam ignota non sint, quæ in Franciam, Hispaniam, Belgium etiam absens expediverit, vel ex ipsa missione cognita. Concludam igitur necesse est: Deficere Regi regna plura, nam omnibus ipse sufficeret.

Speculum alterum, quo referetis ad Regem civium gravamina, etiam ad vos pertinet. Decet enim ut Rex cognoscat potius ex judicum observationibus revelationibusque, quam ex sermonibus aliis, quicquid pravum est in provinciis singulis: (isti enim norunt regionis veluti pulsum seu palpitationem.) Audio autem (Laus sit DEO) à vobis omnibus, nunquam majorem fuisse in terra hac pacem, obedientiam animorumque prolubium, quanquam & gubernationes optimæ sint instar Crystalli clarissimi, in quo & minima conspiciuntur grana, in crassiori lapide nunquam advertenda.

Jam vero ad specialia quædam accedamus, eaque pauca; Incipere autem me hic oportet Regis ad exemplum à Religione, & inprimis Pontificiorum Ecclesia: S. Augustinus de ejusmodi hominibus inquit: *Esse similes urticæ radicibus, quæ non urunt ipsæ, sed urentia*

pro-

protrudunt folia: Indicate mihi radices istas, & eradicabo.

Quoad religionis negotia autem vobis justitiariis commendo patrocinium ministrorum piorum atque Zelo præditorum. Non tamen Sectarios intelligo, aut novis studentes rebus; sed illos, qui sani sunt atque conformant: pii item & venerabiles. Perpetua enim erit defectio, nisi conservaveritis in communione homines per conciones, sicuti lex per mulctas: nam vulgo spirituales morbi non nisi spiritualibus curantur remediis.

Deinde sinite, ut vobis commendem suppressiones (quantum quidem in vobis est) factionum in provinciis, unde infinita manant mala, atque omnis boni ordinis eversiones; & omnis probi in Aulam servitii, aut in patriam, denegationes. Cicero, Consul cum esset, egregium adversus ista invenerat remedium: (suave sed efficax, atque aptum) *Eos*, inquit, *qui otium turbant, reddam otiosos*. Nihil ipsi agant, neque ulla ipsorum manibus concedatur potestas. Si cognoscam ex vobis esse quosdam in provinciis caput seditionis vel manus, (instrumenta) Ciceronis, quantum in me est, ipsis retribuam præmium.

Sed finiam; Legite Regis librum, cognoscite vosmetipsos, quantum profeceritis; omniaque benè succedent. Et vos Pacis justitiarii finite, ut in specie vobis dicam; Nullum antehac Regem tanto vos affecisse honore, quanto affecit Rex in sermone suo; quod ipsemet

ipſemet dictaverit vobis præcepta, atque vos Legatis ſuis miniſtrisque, proximè ſibi adſtantibus, æquales fecerit. Imò & plura intendit S. R. Majeſtas: nam conatur talem Commiſſionis formam & in Scotiam inducere, exemplo Eduardi III. glorioſæ memoriæ, qui eandem in hoc invexit regnum: adeoque digni non eritis, à quibus tranſcribantur apographa, niſi ſcripti litis absque macula aut labe, vel alia re quacunque Autoritatem veſtram minime decente. Neque aliis hac vice detinere vos diutius libet.

ORATIO

Franciſci Baconi magni Sigilli Cuſtodis, ad

WILHELMUM JONES,

Cum Juſtitiarius Hiberniæ primarius conſtitueretur 1617.

Domine Wilhelme Joneſi.

S. R. Maj. debitè informata Te capacem eſſe ad quæcunque, vocavit te literis ſuis jam revertentem ad Statum gradumque Servientis ad legem: non tamen ut hic ſubſiſtas; verum aſcendas, & locum occupes in Banco Regio tanquam * Juſtitiarius princeps in Hiberniæ regno. Quæcunque igitur dicturus ſum, non conſtruenda ſunt cum Servientis munere (quo tantum in tranſitu fungeris)

* opperrechter.

geris) sed cum illustri dignitate illa, in quam constitueris. Quoniam autem nolo tempus, aliis curiæ hujus negotiis destinatum, in vanum terere, brevi Te per exempla ducam, non longa, per præcepta, via. Officium, in quo nunc ministrabis, felix fuit, ob quatuor ante Te probe illo fungentes, sibique succedentes viros. Assumas solummodo Constantiam atque integritatem *Roberti Gardineri Equitis*: gravitatem, temperamentum & instructiones *Jacobi Lea Equitis*: Promptitudinem, industriam atque vigorem *Humphredi Winchii Equitis*: Sollicitudinem atque propensum in rempubl. affectum, prudentem pariter atque politicam administrationem *Johannis Dentiami Equitis*; neque opus erit aliis te erudire lectionibus. Omnes isti fuerunt ex Lincolniensium Hospitio, prout Tu quoque: Nosti eos, quales fuerint & in principiis suis & in evectionibus ad munia ista.

Verum quoniam non eris solum Justitiarius princeps, sed & Status Consiliarius, in mentem revocabo opus ingens, quod nunc est præ manibus, ut ad illud quoque excitentur cogitationes tuæ. *Hibernia est ex Filiabus Europæ* ultima, quæ à desolatione & desertis vindicata est, colonis multas in partes missis; atque à sævis barbarisque moribus revocata ad humanitatem & urbanitatem. Hoc primarium *Regis* opus est, & quasi *sertum Heroicarum ipsius virtutum atque felicitatis*, denegatum prædecessoribus ejus, ejusque reservatum temporibus. Nondum autem

per-

perfectum est opus istud, sed provectum egregie. Idque confidenter asseverare audeo: quod si pacem largiatur DEUS terris istis, & justitiam: nullus fœnerator possit æque intra septennium duplicem sibi spondere usumfructum, aut fœnus ex fœnore, prout hoc promittit regnum duplicem divitiarum & incolarum thesaurum. Verisimile enim est regnum illud, de quo ante hos viginti annos dubitabant prudentes; num optarent, ut mergeretur aquis; nunc fore instar horti, & sororem magnæ Britanniæ minorem natu. Statuas igitur apud Te necesse est, ut non solum æquus sis gubernator, probusque Justitiarius princeps (ac si esses in Anglia) verum & sub Rege, & vice Rege extruendi, plantandi, colendi & reducendi artifex in Hibernia. Quem in finem tribus te instruam verbis.

Primum ut diligenter attendas tribus coloniis: *Septentrionali*, quæ ferè consummata est, *Weschfordensi*, quæ nunc distribuitur, *Longfordensi* & *Letrimensi*, de qua nunc dispicitur, aut cui nunc metantur. Et hoc à me capias: Coloniarum perniciem esse, si coloni nimium festinant ad exiguum mechanicæ artis commodum præsens; disturbant enim integram operis formam in subsecutura tempora duraturam. Adige igitur eos, ut strictè regulas observent suas.

Secundum. De Regis obventionibus sis sollicitus, atque ut paulatim adaugeantur habeantque dimensum, si fieri potest, amplum, attende: nunc enim exiguæ sunt aut

nullæ: nam difficulter aliquid Regi acquiritur cum uniuscujusque agri exculti fertilesque sunt redditi, sicque parcis Rex alligaretur reditibus.

Ultimum est: (pondere autem primum) ut omnimodo coneris fortiter agere & constanter (modestè tamen & juxta æquitatem) circa ea quæ Religionem concernunt: aliàs enim Hibernia urbana perniciosior foret nobis quam barbara. DEUS autem det Tibi de munere tuo lætitiam.

Hic sequitur Domini Wilhelmi Jones sermo.

Unum ferme oblitus eram, & est quod in solatium tibi cedere queat ingens; fungi te officio sub ejusmodi Vice-Rege, qui (prout existimo) à DEO ordinatus est, ut magnum huic regno afferat commodum. Ideoque dico Justitiarium principem debere ita se gerere erga Vice-Regem, ne aut serviat ipsi instar mancipii, aut factiosè ei se opponat.

Domini Custodis Sigilli Oratio in Ærario ad JOHANNEM DENHAM, Cum inter Barones Ærarii adscisceretur.

Domine Johannes Denham;

REx secundum gratiam & favorem suum elegit Te, ut sis Ærarii sui Baro; & succedas

cedas illi, qui fuit gravissimus dignissimusque regni Judex: Talem enim Baronem Althamum fuisse opinor: Non ex aliorum fide Rex Te elegit, sed priorum servitiorum tuorum intuitu; quæ præstitisti in duobus istis, in quibus porro, occupaberis. Sicuti probum Te ostendisti Judicem inter partes litigantes; ita & fidelem præstitisti redituum regiorum ministrum; tum quando esses Baro princeps: & posthac à Status Consiliis in Hibernia; ubi Consiliarii (prout nosti) maxima ex parte obventiones administrant atque curant.

Atque de his duobus quædam monebo: neque vulgari modo aut loquaci, sed quæ tempus decet præsens & quidem paucissimis: sic enim optime hærent memoriæ.

Primo igitur oportet Te Regis defendere prærogativam, atque statuere, Regis prærogativam non esse diversum quid à lege: Sed ipsam Regis prærogativam esse legem: seu palmariam legis partem, & primogenitum: ideoque conservando illam, legem Te conservare. In corpore humano non alia est membrorum lex, capitis alia, sed eadem omnium.

Proximum, de quo monere constitui, est, ut exactè obventiones habeas cognitas, documenta etiam antiqua & hujus curiæ exempla. Cum decantata illa de cupri minis causa hic disceptaretur, Regique adjudicaretur, non ingenii id præstabatur artibus; ac si Regis prærogativa omnia vindicaret in quaque specie primaria; Leo bestiarum est

 prin-

princeps, aquila volucrum, cetus piscium, atque sic ex mineralibus cuprum: ista enim sunt tantummodo legis illecebræ atque ornamenta. Sed documenta erant fide dignissima, & exempla quæ firmabant sententiam in hac causa latam. Volo itaque istis te duci & armari adversus legis vapores & fumos, qui ex hominum surgunt inventionibus atque cerebellis.

Tertium large se extendit. Ita intendas solicitudinem tuam, atque administres regios reditus, ut in Regem maximus redundet usus fructus, nulla autem in subditum vexatio: nam quando vexatio in subditum est magna, commodum autem Regis exiguum, ægrotat ærarium. Commodum vero Regis si est magnum, vexatio autem subditi exigua, tum bene valet ærarium; e. gr. Si vehementer exigantur regis debita vetusta, debita autem recentia seu nupera, aut negligenter exigantur, aut facilè dimittantur, aut indulgenter habeantur: aut si informationum augeatur numerus, Regis vero portio seu compositionum termini erunt leves; aut si conentur clam Regi acquirere novos agros, quos vero jamdum habet, non benè sint cogniti, neque culti, neque silvæ probè conserventur, (alios omitto casus facilè producendos) omnia ista ærarium attenuabunt. Idque est quod armat homines adversus ærarium, atque ut ausibus suis & machinationibus antiquam ejusdem turbent formam (qua meliorem dari non existimo) excitat. Istud est cantilenæ

onus:

onus: multa ex ſubditorum rapi loculis, pauca in Regis inferri: Ne igitur occaſionem præbeas talia diſſerendi. Certus autem ſum, quod præter Collegas duos Barones, cum duobus ſuperioribus ſervias miniſtris inſignibus, quorum ſcopus præfixus eſt optimus atque honeſtiſſimus. Intendunt enim ſervire Regi, nec ſubditos lædere. —

His accipe, quod porrigo, Diploma Regium.

Baconi Oratio in Seſſionibus publicis, ad Juſtitiarium Hutton, cum vocaretur, ut unus ex iſtis judicibus eſſet.

Domine Serviens Huttoni.

REx Sereniſſimus omnino audiens de eruditione Tua, integritate, judicio, experientia, bonis & exiſtimatione in provincia Tua, dignum exiſtimavit eſſe, ne Tibi ſoli in proprium uſum relinquerentur talenta iſta, ſed evocare Te, ut ipſi ſervias, ejusque populo in dignitate Juſtitiarii Curiæ publicarum ſeſſionum.

Eſt autem Curia hæc quaſi centrum & cor legum regni iſtius: Hic ſubditus certus eſſe de bonis ſuis poteſt per fines & recuperationes: hic fixa invenit remedia per mandata & æquitatis libellos: Hic patet juſtitia non in ſecundaria Privilegiorum janua, ſed in ma-

gna Regiorum authenticorum ſcriptorum porta ex Cancellaria. Hic proceſſuum limes: niſi enim quis in hoc legis centro legi reſpondere velit, ejicitur. Decebit Te igitur omni prudentia Tua & fortitudine regni defendere leges: in quo tamen nolim ſis pervicax, ſed integer, non duræ cervicis, ſed recti cordis; & ponderes, duodecim regni judices eſſe quaſi duodecim ſub Salomonis Throno Leones; robuſti ſint neceſſe eſt ad elevandum ſuſtinendumque thronum. Sed delineem boni Judicis effigiem.

1. Eruditionem Tuam ex libris Tuis, non cerebro Tuo haurias.
2. Bene miſceas opinionis Tuæ libertatem cum reverentia erga Collegarum ſententias.
3. Continues ſtudia, neque ex veteri ſolum agas vivasque penu.
4. Neminis aſpectum timeas; neque tamen & arrogans fias aut protervus.
5. Sis absque partium ſtudio, ita tamen ut affectus eluceant ex morum honeſtate.
6. Sis lumen junioribus eorumque aperias oculos, non tamen naſo trahas adunco.
7. Ne affectes opinionem ſufficientis & expeditæ actionis, impatienter & feſtinanter audiendo in foro Juriſconſultos.
8. Sermo tuus ſit gravis tanquam ab oraculo legis, non verò garrulus neque eruditionem oſtentans per diſcurſus extravagantes.
9. Manus Tuæ, & manuum Tuarum manus

nus (illos qui Te circumstant intelligo) puræ sint, nec corruptæ muneribus: titulis se ne immisceant, neque vices præstent, sive magna sive exigua id concernat.

10. Aulæ jurisdictionem intra veteres contineas limites.

11. Et denique tali in famulos tuos scribasque utaris oculo, quo potius Te timeant, quam de Te præsumant.

Nolo autem in his & similibus esse prolixus, nam quanto diutius Tecum convixi, tanto brevior ad Te meus erit Sermo, benè gnarus, tantis Te huc accedere cum virtutibus, ut quicquid dixero, novum Tibi videri non queat. Plura igitur non dicam, Diploma solummodo trado Regium.

Sermo Cancellarii ad Prolocutoris excusationem.

Domine Serviens Richardsoni.

AUdivit Rex orationem Tuam modestam atque decoram, qua renuisti Prolocutoris suscipere munus. Isti, ut respondeam præcepit S. R. M., quæ nullatenus admittit eam.

Primò enim, si ipsius partis sententia, quoad se, foret in electionibus audienda, sequeretur, ut maxime temerarii essent acceptandi; viri autem prudentissimi, & se cognoscentes optimè, rejiciendi.

Secundo, in tantum acquiescit S. R. Maj. Sapientiæ atque judicio inferioris Domûs, quæ Te elegit, unanimi consensu, ut ipsi iniquum videatur ab ipsius recedere opinione, ea in re, quæ plurimum ipsos concernit.

Tertio, tam eleganter atque concinnè Te excusasti, ut orationis Tuæ forma subruerit ejusdem materiam, aut confutaverit. Annuit igitur Rex electioni, Tuque ut sis Prolocutor, annuit.

Ad ipsam Prolocutoris Orationem.

Domine Prolocutor: Audivit Rex disertam orationem Tuam, materiæ bonæ, voluntatisque propensæ plenissimam. Ejusmodi autem solum à me expectabis responsum, quale occasionem hanc decet, & permittit temporis angustia.

In quatuor autem dividere verba Tua liceat partes: quarum *prima* laudes complectebatur Monarchiæ; *Secunda* amplissimus omnino erat campus; continebat enim gratam agnitionem S. R. M. beneficiorum, attributorum, & in regimine actuum. *Tertia* aliquas Parlamentorum actiones, institutionem & usum edisserebat. *Quarta* denique petitiones ad S. R. M. proferebat à Domo & Te ipso factas.

Monarchiæ laudes, eam aliis rerumpubl. formis præferentes, responsione haud egent. Disputent ea de re Scholæ. Secula

jamdum

jamdum vocarunt sub examina, & nos ex-perti sumus illam esse optimam. Respublicæ aliæ delicatis componuntur formis, subitoque deformantur: & si persistunt aliquandiu, ut increscant aut se dilatent, aptæ non sunt: sicuti ex adverso, quæ augentur atque increscunt, diu non perdurant. Monarchia autem est opus à natura confectum, quod & crescere & perdurare potest. Hinc pergo.

Ad secundum sermonis Tui membrum, quod haud minori veritate quam affectu agnovit ingentem felicitatem, qua S. R. M. imperante fruimur. Mandavit autem S. R. M. dicere Tibi: nosse se laudes atque gratiarum actiones esse integri cordis oblationes, & propensi affectus: velle se autem illud, quod vos offertis, una vobiscum DEO retribuere, qui omnium bonorum Autor est, quique sinceritatem regii novit cordis, & ut sperat S. R. M. continuabit augebitque benedictiones suas in se, Prolemque regiam; regna etiam sua eorumque generationes.

Sed ex mea parte repetere cogor, quæ dudum Græcorum dixit Orator in causa simili: *Solus dignus harum rerum laudator tempus*. Tempus, inquam; nam tot elapsis seculis, quibus hocce viguit regnum, non obstantibus variis nobilibus & illustribus actionibus, nunquam talia fuerunt peracta usque ad hos S. R. M. dies, quibus tanquam propria & peculiaria fuerunt reservata. Et quoniam non sunt panegyricæ alicujus orationis portio, sed historia mera, atque toti-

totidem honoris regii momenta, monumentis digna; recensebo ea solum, ex oratione Tua partim decerpens; sunt autem, si numeres, octo.

1. Rex noster primus est, ut probe observasti, qui angularem posuit lapidem regna duo fortissima Angliam & Scotiam uniendo, atque separationis maceriem removendo: Hac ratione Rex factus est Monarcha fortissimarum & bellicosissimarum in orbe gentium: atque ni prudens ille apud veteres deceptus est; *Ferrum imperat auro.*

2. Hibernia (altera Oceani Atlantici) insula incolis nunc referta est & mansuefacta, idque speciali DEI providentia S.R.M. expectavit ævum. Refert autem opus hoc quodammodo priscorum Heroum opera, neque nova est hujus tantum ætatis actio.

3. Regnum hoc nunc demum in novo orbe acquisivit portionem, Virginiam atque Insulas æstivas inhabitando. Et revera terræ regna assimilantur regno cœlorum. Granum sinapi multoties in magnam excrescit arborem.

4. Verum esse fecit S.R.M. titulum *Defensoris Fidei*, qui nomen nudum fuit hactenus. Tamque fortunatus fuit S.R.M. calamus, ut aspis surda, licet audire nolit, neque tamen & sibilare audeat: Prudentes intelligo illos, qui ad S.R.M. aliquid reposuerunt scripta.

5. Certum est inde à subjugatione insulæ hujus,

hujus, non posse viginti numerari annos, (qui fere conficiunt spatium, quod nunc S. R. Maj. imperando transegit) interna & externa pace claros; adeo ut Elisabethæ Reginæ ævum felicis memoriæ, & semper ob tranquillum imperium deprædicandæ, non per continuos frueretur viginti annos pace, sed interrumperetur rebellione in Anglia primi etiam viginti anni, atque postremi rebellionibus in Hibernia. Certus tamen sum, utrumque in Rege verum esse verbum: *Nemo me lacesset impunè*; & illud: *Beati pacifici.*

6. Genuino illo primitivoque Regis officio, quod est *sedere in porta atque judicare populum*, nullus prædecessorum omnium tam perfectè functus est. Ostendit igitur S. R. M. quod sit *Lex loquens*; atque sedeat in throno non sicuti statua muta, sed ut oraculum vivum.

7. Benè observasti Regis misericordiam: ostendat enim mihi aliquis Regem, qui viginti ferè, ut dixi, annis his imperaverit, vesti amictus alba; absque ullo ullius magnatis sanguine effuso. Securis quidem semel aut bis in magnatem elevata fuit, nunquam autem percussit.

8. Denique Artium & Scientiarum flos gratioso S. R. M. patrocinio & liberalitate fotus, nunquam tantus fuit: illa præsertim ars artium Theologia: nam revera affirmare possumus, inde à primitivis temporibus non fuisse plures (prout Scriptura loquitur) *Stellas in firmamento.*

Iſta, Domine Prolocutor, partim ex orationis Tuæ ſelegi cumulo, & tam procul abſunt, ut vulgaria eſſe exiſtimemus, ut potius ipſo effectu ſint ſingularia & propria tum S. R. M. tum ipſius ævo. Ideoque verum erit, quod ab initio dixi: *Solum dignum harum rerum laudatorem tempus fore*, quod per comparationis umbram tam excelsè locavit S. R. M. merita, ut omnia tranſcendant verborum encomia.

Quomodo ergo concludam? Dicamne: *O fortunatos nimium ſua ſi bona norint?* Neutiquā: Video enim vos fortunatos eſſe, quoniam iſtis fruimini, & fortunatos iterum, quoniam agnoſcitis. Concludam igitur verbo alio ad dextram inflexo. *Si gratum dixeris, omnia dixeris.* Gratitudo veſtra omnia complectitur, quæ loqui ad vos poſſum his in Comitiis.

De Parlamentorum inſtitutione, quod *tertium* orationis Tuæ conſtituebat membrum, pauca dicam: maximo enim ea cumulavit honore Rex in ſermone ſuo nupero: aſſerendo *perficere illa Monarchiam*. Licet enim ætate prior ſit monarchia, atque independens, Parlamentorum tamen conſilia atque auxilia iſtam corroborare firmamque conſtituere. Repetam igitur ſaltem quæ dixiſti, quod Rex in Parlamento ſedens ſtipatusque Prælatis ſuis, Magnatibus, & Nobilibus, ſit quaſi in exaltatione orbis ſui. Opto igitur, ut ſingula ita gerantur, quo & tunc maximè ſereni & benigniſſimi ſit aſpectus, radios gloriæ atque gratiæ in populum ſuum demittens. Bene autem noſti ſolis ſplendorem elegan-

elegantem in ſolo, exhilarantem univerſa & impraegnantem, arceri à terra vel nubibus deſuper vel nebulis infrà, ex ipſa fortaſſe terra enatis. Spero autem omnia iſta nunc disjectum remotumque iri.

Ad petitiones antequam in ſpecie reſpondeam, neceſſe eſt in genere præloquar; ſed quaſi in ſpicilegio, pleniſſimè enim & egregiè jam dum S. R. M. ſuam declaravit mentem. Quæ autem concinnè eloqui decet, aut reſpiciunt materiam Parlamenti ſubſtratam, ſeu negotia, aut eorum pertractationem; aut denique tempus probè locandum. Materiæ ſunt vel Eccleſiæ, vel Reipublicæ, vel Legis, vel Gravaminum.

De primis duabus ipſum audiviſti Regem: & *qui eſt, qui hac in re ſequetur Regem.* De poſtremis igitur quædam eloquar ſed pauca.

Leges vos concernunt, ſuntque apud vos tanquam in elemento ſuo: quare hic ducatis potius alios, quam ducamini ab aliis. Haud tamen erit dividiæ, de duobus vos admonere. Alterum ne multiplicetis ſeu accumuletis leges ultra quam opus eſt. *Pluet ſuper eos laqueos*, ſapienter aliquis huc traxit. Opto igitur ut potius bonas reſuſcitetis leges, quæ ſepultæ jacent aut interruptæ; vel provideatis negligenti legum, quæ nunc vigent, executioni; vel obicem ponatis callidis evaſionibus, quæ temporum ſucceſſus & aſtutia adinvenerunt; quam ut faciatis *novas legum creaturas*. Poſterius eſt, ne privatis nimium occupemini petitionum ſchedis: niſi caſus ſint, in quibus ordinariæ juſtitiæ auxilium

& brachium minime sufficit.

Quoad Gravamina, gratiosum & benignum audivistis Regem: ne autem in aere saltem resonent illa, verum optatum consequantur finem, duo præprimis requiruntur: Primo S. R. M. utor phrasi *nolite venari gravamina,* & talia quidem, quæ hic potius, ubi convenistis adinveniuntur, quam ex provinciarum desideriis surgunt. Repræsentare debetis populum, non fingere. Deinde nolite accumulare gravamina, ac si numerus deberet supplere, ubi pondus deficit: vel acsi prava omnia (instar Reipubl. Platonicæ) simul emendanda essent. Reipubl. optimæ, imo & viri optimi sunt instar gemmarum optimarum; in quibus macula & minimum vitium citius observatur, quam in lapidibus scabris. Modestè igitur vosmet geratis, ut proni videamini potius ad efficax incolarum levamentum, quam sermones invidiæ plenos, atque in Rempubl. iniquos.

Circa modum, quo Parlamenti negotia sunt pertractanda sciatis, vos agere cum Rege, qui diutius imperavit, quam aliquis vestrum Parlamenti fuit membrum; & qui non minus cognitam habet formam, quam materiam, qui æque detestatur Majestatis imminutionem, quam assentationem, aut gloriam vanam; & denique qui æquè novit palpitationem cordis in subditis suis, quam proprium suum orbem. Habeant ergo gravamina vestra formam & stylum decentem atque verecundum, & sint (phrasi utor Parlamentorum pristinorum) quasi *gemitus columbæ.*

lumbæ absque remorſu & aſperitate. Ex altera vero parte, in iis, quæ agitis pro Rege, oſtendite animos unitos, alacres, benevolos, quod tali coronabitur effectu, ut quodcunque hic præſtabitis, duplicem vobis apud exteros procuraturum ſit gloriam, quaſi in criſtallino vitro.

Tempus Parlamenti hujus ſi unquam alius, bene diſtribuendum, ob occaſiones inſtantes irrevocabiliter avolantes. Sint ergo ſermones veſtri quaſi Conſiliariorum, non vero Oratorum: Commiſſiones terminent negotia non diſputent, atque ſic ordinetis tempus, ut proprium huic Parlamento negotium omnium primo expendatur, privatæ autem ſchedulæ ultimis ſerventur, aut remiſſionibus à publicis.

Quatuor autem petitionibus ſingulis Rex annuit, tam liberaliter, quam antiquus & genuinus Parlamentorum mos permittit, & cum cautelis iſtis ſemper annexis, i. e. ne privilegium adhibeatur in defraudationem Creditorum, aut juſtitiæ ordinariæ eliſionem. Ne ſermonis libertas in licentiam convertatur, ſed judicium gravitatemque habeat conjunctam, prout decet officium amoremque in Regem veſtrum; Cœtus veſtri reverentiam, atque materiæ tractandæ dignitatem. Acceſſus veſtri fiant iis temporibus, quæ S. R. M. viſa fuerint commoda. Hallucinationes & malignæ interpretationes evitentur potius, & quantum fieri poteſt, præveniantur, quam explicentur atque ſolvantur.

Pre-

Precatio ſive Pſalmus Domini Baconi Angliæ Cancellarii.

BEnigniſſime Domine, Pater miſericordiſſime, inde à juventute mea Creator meus, Redemptor meus, Conſolator meus. Tu Domine ſcrutaris abyſſum & ſecreta cordium omnium, tu cognoſcis ſinceritatem eorum, tu judicas hypocriſin, quaſi in ſtatera libras cogitationes & actiones hominum; metiris eorum conſilia, quaſi virgula, neque vanitas neque perverſæ viæ Te latere poſſunt.

Meminiſſe digneris, Domine, quomodo ambulaverit ſervus tuus coram te; recordare, quid primo quæſiverim, & quid fuerit primarium in intentione mea. Dilexi congregationem Tuam, deploravi diviſiones Eccleſiæ Tuæ, delectatus ſum in ſplendore ſanctuarii Tui. Pro vite illa, quam plantavit dextera Tua in hac gente, non deſtiti Te interpellare, ut accipiat pluviam tempeſtivam & ſerotinam, atque dilatet ramos ſuos ad mare & rivos. Precioſus fuit in oculis meis ſtatus atque panis afflicti & pauperis; odio habui omnem crudelitatem, nec non duritiem cordis. Quæ bona eſſent hominibus omnibus curavi, quanquam habitu admodum ſpreto. Si quidam fuerunt inimici mei, neque cogitavi de ipſis, nec fere unquam ſol occidit, ira mea adhuc

can-

candescente; fui instar columbæ, malitia abundante vacuus. Fuerunt Creaturæ Tuæ liber meus, multo autem magis scriptura tua. Quæsivi Te in aulis, agris & hortis, inveni autem in Templo Tuo.

Mille fuerunt peccata mea, & decies mille transgressiones meæ, permanserunt tamen apud me sanctificationes tuæ, corque meum (ex tua gratia) inextinguibilis fuit pruna super altari tuo. O Domine, robur meum, inde à juventute mea obviam tibi ivi in omnibus viis meis, per paternas miserationes tuas, per castigationes tuas solatio plenas, nec non per providentiam tuam omnino manifestam. Sicuti favor tuus magnus factus est super me, ita & castigationes tuæ; prope semper adfuisti mihi, o Domine, & cum bona mea temporalia augerentur, tela tua clam in me missa sensi: cum elevarer coram hominibus, coram te humiliatione descendi. Nunc etiam cum plurimum de pace atque honore cogito, sentio gravem in me esse manum tuam, meque exinanire juxta pristinam charitatem tuam, ut persistam in schola tua paterna, non velut adultera, sed genuina proles. Justa sunt tua in me judicia propter peccata mea, quæ numero superant maris arenas: nulla vero sunt proportione ad misericordiam tuam? Quid enim sunt maris arenæ, terra & Cœlum? nihil ista ad miserationes tuas. Præter innumera peccata mea confiteor, quod sim debitor tuus ob benigna talenta donorum & gratiæ tuæ, quæ neutiquam sudario involvi, nec tamen etiam

(ut

(ut debui) mensariis tradidi illis, a quibus optimum acquiri potuisset lucrum, sed impendi perperam iis, ad quæ fui aptus minimum; ita ut vere dicere possim, peregrina fuit anima mea in tractu incolatus mei. Propitius mihi esto, Domine, propter Servatorem meum; recipe me in sinum tuum, vel duc me in viis tuis.

Historia Magnæ Britanniæ incepta.

ELisabeth Angliæ Regina moriente, stirps Henrici VIII. defecit: per unicam ea duravit generationem, tres autem vidit successiones. Rex enim iste, quanquam esset ex validissimis tempore suo, attamen de sex uxoribus non nisi tres suscepit liberos, qui successive imperantes, & sine prole decedentes, locum dederunt lineæ Margarethæ, sororis ejus maximæ natu, & Jacobo IV. Scotiæ R. nuptæ. Successit igitur in Angliæ Regnum Jacobus VI, tum Scotiæ R. ex Margaretha descendens tum Patre tum matre. Ita ut raro in regiis prosapiis casu, divina providentia videretur ad extinguendam & auferendam omnem alienigenæ notam; duplicasse in persona ejus, intra unius generationis ævum, regium Angliæ sanguinem, ope utriusque parentis. Successio hæc omnium in se convertit oculos, namque diu tale quid Christianus non viderat orbis. Galliæ regnum

regnum superiori seculo univerat provincias suas antehac divisas. Hispaniæ etiam regnum recentiori unione junxit sibi Portugalliam Philippo II. imperante. Remanebat ergo tantummodo tertia ista, nec non ultima unio, qua appenderetur æquilibrium magnarum istarum trium Monarchiarum, atque Europæ disponerentur negotia, ad magis fidam universalemque pacem & concordiam. Hic eventus autem eo magis per hominum volitavit ora, quoniam hæc magnæ Britanniæ Insula, toto divisa orbe, nunquam antehac fuerat unita in se, & uno sub Rege; utut populus unius sit linguæ, nec montibus aut rivis dividatur magnis, unio etiam temporibus priscis tentata fuerit & bello & pactis. Videbatur igitur manifestum esse Providentiæ opus, & casus reservatus temporibus nostris; in tantum ut crederetur vulgo, impleta nunc esse vaticinia superstitiosa, (à stultis credita, sæpe tamen etiam sapientum sermone frequentata) nec non tacitam expectationem antiquam, quæ per traditionem hominum irrepserat animis. Verum ut divinationes optimæ, nec non prædictiones sunt artificium atque probabilis conjectura seu prævisio virorum prudentum; ita hac in re Henrici VII. providentia in omnium fuit ore: is enim, cum esset Princeps acutissime cernens atque prudentissimus, verbis quibusdam, deliberans de filiæ suæ primogenitæ cum Scoto nuptiis, ostendit se præsentire, imo fere præscire hanc regnorum unionem.

Neque

Neque defuerunt externæ circumſtantiæ raræ atque diverſæ (præter virtutes & dotes perſonæ ipſius) quæ illuſtrem hanc fecere ſucceſſionem. Rex in robore ætatis ſuæ, exterorum fœderibus adjutus, domi regali proſapia firmatus, pacem cum univerſo colens orbe, exercitatus gubernatione ejusmodi regni, quod potius erudire eum queat caſuum varietate, quam corrumpere opulentia & gloria vana: Talis etiam, qui præter immenſam capacitatem ſuam atque judicium inſigniter exercitatus eſt atque verſatus in rebus ad religionem & Eccleſiam pertinentibus, quæ hoc tempore ob confuſum utriusque gladii uſum adeo innexæ ſunt de ſtatuum deliberationibus, ut plurima Principum, Rerumpublicarumque conſilia ex iis dependeant. Nihil autem magis in admirationem traxit gentes exteras, quam quod viderent omnes in Anglia ſtatus & ſubditos unanimi Regem recipere conſenſu, absque hæſitatione minima, mora & quæſtione. Rumorem enim ſparſerant fugitivi ultramarini (qui partim ſervientes ambitioni exterorum, partim exiſtimationem nec non robur ſuis negotiis conciliare nitentes, ſoliti ſunt mala fide Angliæ exhibere ſtatum) quod poſt Eliſabethæ Reginæ obitum nihil poſſit in Anglia ſequi, quam confuſiones inter regna, & turbæ, probabiliter ſuperaturæ veteres civilium bellorum calamitates inter Lancaſtrenſem & Eboracenſem familias geſtorum; fortaſſis etiam & ea de cauſa magis interneciuæ, quoniam competitores

titores exteri se domesticis essent juncturi: religionis autem schismata, ad coronam titulis sive prætensionibus. In specie autem *Parsonus* Jesuita, alieno sub nomine, non dudum ante mortem Reginæ ediderat libellum, in quo num malitia ejus persuaserit ei, ut crederet figmenta sua; vel num judicaverit optimam esse methodum movendi seditiones, si ad exemplum cacodæmonis prædiceret tempestatem, quam excitare vellet, annisus est colorare omnes prætextus vanos & somnia de successione, quæ modo excogitari potuerunt: atque ista multis persuasit exteris, qui nostrum ignorarunt statum. Neque hic defuerunt multi prudentes & bene affecti, qui licet non dubitarent de jure certo, attamen considerantes fluctuans populi cor, (quod neutiquam minus subitaneis movetur ventis, quam naturali aquarum decursu) absque timore non expectarunt, quis tandem futurus esset eventus? Nam Elisabeth Regina summa prudentia gubernans elegit tamen admirationem præ securitate:& sciens successoris denominationem potuisse securitatem reddere ambiguam; admirationem autem revera extenuare, inde ab initio putavit esse è ratione status, imponere silentium de successionis negotio. Neque id tantum reservabatur tanquam status secretum, verum etiam interdicebatur legibus severis, ne aliquis auderet ferre sententiam, aut argumenta promere circa illud; ita ut, licet juris evidentia omnes coëgit subditos eadem cogitare, attamen timor periculi ex le-

ge neminem fecerit conſcium eorum, quæ cogitaret alter. Ideoque magna affecti ſunt lætitia omnes, cum viderent tam ſerenum regni ortum ſeque à priſtino timore liberos; inſtar hominis ex formidoloſo ſomno evigilantis. Non verò tantummodo conſenſus fuit infinitus, verum etiam applauſus & gaudium, omnem teſtandi modum ſuperans per univerſum Angliæ regnum. Conſenſus certe aperto juri aſcribendus. Univerſalis autem lætitia, alacriſque congratulatio fuerunt effecta cauſarum diſtinctarum. Nam Regina Eliſabeth licet variarum virtutum ederet ſpecimina, quibus allicere ſibique devincire potuit ſubditorum animos; attamen quoniam manus ejus parca fuit in donationibus, & firma in prærogativis tenendis, reſpondere nequivit votis vel ſervorum ſuorum, vel ſubditorum, nec ſatisfacere; præſertim in poſtremis annis, cum diuturnum ipſius imperium (quod erat annorum 45.) detegere potuit naturale in populo deſiderium & inclinationem ad mutationem, ita ut nova aula, novumque imperium non paucis eſſent gratiſſima. Multi lætabantur, ii præſertim, quorum poſſeſſiones & bona erant certa, quod præteriiſſet timor nec non incertitudo, & quod alea eſſet jacta. Alii qui jam ſpem ſuam in Regem collocaverant, vel eidem obtulerant ſervitia ſua, regina adhuc vivente, exiſtimabant nunc adeſſe tempus, cui ſe paraſſent. Et in genere omnes qui aliqua ratione ex Comite Eſſexio (qui miſcuerant ſecretum ſui proprii, cum populari

pulari prætextu promovendi Regis jura) putabant causam suam emendatam esse. Deinde & illi, qui addubitare poterant, offendisse se Regem, perseverarunt in eodem mentis proposito, ostendentes se firmiter tantum adhæsisse reginæ, hosque animi affectus cum tempore finiri. Pontificii aluerunt spem suam comparatione status Pontificiorum in Anglia sub Elisabeth, cum statu eorundem in Scotia sub rege; videntes hunc minus durum esse, ideoque hic paria sibi sunt polliciti; præter solatium, quod hauserunt ex recordatione Reginæ, Regis matris. Clerici, & quidem illi, qui presbyterium mallent, putabant casum suum magis congruere disciplinæ Scoticæ, quam Hierarchiam Anglicanam; credebant igitur se propius venisse ad desideriorum suorum metam. Sic unusquisque incolarum status, quoddam sibi imaginatus est beneficium, promisitque, supergressus etiam fortassis spei leges, probabili tamen innixus fundamento aut conjectura. Illo ipso tempore prodiit Regis liber Βασίλικον Δῶρον, Regis filium instruens circa Regis officium: isque liber in singulorum deveniens manus universum implevit regnum, quasi thuris incensi fragrantissimus odor, Regis præcurrens adventum. Nam eleganter cum esset conscriptus, & nihil haberet affectati sermonis, non tantum melius satisfecit, quam particulares de Regis virtutibus narrationes, verum etiam longe superavit omne exquisitum edictum seu declarationem, quæ potuissent conscri-

bi,

bi, juxta morem Principum in regiminum ſuorum initiis, amorem populi ambientium, aut minimum gratiam ſuam declarantium. Et iſta fuit in genere conſtitutio animorum incolarum in hac mutatione; Actiones autem ipſæ ita fuerunt geſtæ &c.

Epiſtola & Diſcurſus ad HENRICUM SAVILIUM, de Subſidiis Facultatum Intellectualium.

Domine.

REverſus ab Etonienſi colloquio, quorſum à Te invitatus, refeceram animum meum ſodalitio ejusmodi, quod diligo, cœpi conſiderare eam Politiæ partem, de qua philoſophia nimium, Leges autem minimum loquuntur; & eſt, Juventutis educatio. Hic figens mentem meam aliquantiſper, arctam inveni viam, & obſervavi etiam in ipſis Philoſophorum diſſertationibus, quæ ampliſſimæ ſunt hoc in argumento, admirandum reperiri ſilentium, quoad primariam hujus ſubjecti partem. Nam de formanda juventute & erudienda in virtutibus moralibus (e. g. laborum toleratione, à voluptatibus abſtinentia, obedientia, honore & ſim.) tractant; Verum de promovendis & adjuvandis Facultatibus Intellectualibus, e. g. conceptuum, memoriæ & judicii, nihil diſſerunt. Num cogitarint eſſe ſolummodo naturæ

naturæ opus, vel existimarint, referri debere ad varias genuinas artes, quæ usum rationis & sermonis docent; sed quoad rationem primam, utut distinxerint inter habitus & facultates; experientia tamen testatur, quod motus & facultates ingenii atque memoriæ non tantum gubernentur & ducantur, verum etiam confirmentur & amplificentur consuetudine & exercitatione, debite usurpata: e.g. si aliquis sagittandi exerceat artem; non solum propius metam feriet, verum etiam duriorem trahere arcum discet. Quoad posteriorem, ac si de his præcepta, in Logica & Rhetorica comprehendantur; si recte consideretur, earundem officium distinctum ab his esse deprehendetur; Non enim est pars Doctrinæ instrumentalis tradere, quomodo exacui debeat instrumentum, qui perficit. Ideoque reperiens hic viam nondum tritamq; ego tanquam aliud agens, eam ingressus sum, Tibique dedicare opus meum statui, ex veteri more, tanquam amico perchara, & Viro digno: Habes & locum illud exercendi, & judicium otiumque penitius introspiciendi, quam ego. Hic autem observes illud: ἄριστον μὲν ὕδωρ. Argumentum non est excelsæ dignitatis, magnæ tamen & amplissimæ utilitatis. Sed neque video cur minus digna hæc censeri debeat doctrina, quæ docet promovere celsissimam dignissimamque mentis facultatem. Sit autem utcunque volit, si mundo ex scriptione hac affulget lux quædam & utilitas; confirmetur ætiamque in

de Amicitia nostra & familiaritas. Atque sic Divinæ Te projicio Tutelæ.

Discursus de subsidiis Facultatum Intellectualium.

SEmper existimavi insolens & infelix esse dictum illud: *faber quisque fortunæ suæ*, excepto, si sit adhortatio solum aut calcar adversus pigritiam. Aliter enim, si accipitur, prout sonat, exindeque homo alte sibi imaginatur, posse se comprehendere & exploraro quæcunque accidunt, nec non omnes felices successus prudentiæ suæ & consiliis adscribit, contrarium autem erroribus suis & oscitantibus: communiter apparet, *postremam viri istius fortunam*, non tam prosperam esse, ut illius, qui absque jactantia industriæ propriæ, plurimum attribuit Felicitati & Providentiæ, quæ est supra ipsum. Si verò sententia sic inverteretur: *Faber quisque ingenii sui*, esset quiddam magis verum, magisque proficuum: doceret enim homines inflectere semetipsos, & eas corrigere imperfectiones, quas nunc tantum contegere student, & pertingere ad istas virtutes, bonasque mentis dotes, quas nunc tantummodo quoad speciem demonstrare nituntur. Verum enim vero unusquisque contendit ex primo Fabrorum ordine esse; pauci vero ad secundum se alligant: quanquam fortunæ augmentum raro mentem emendet; econtrario autem remotio impedimentorum animi sæpe clarum

faciat

faciat hominis cursum & ad fortunam aditum. Certum etiam est, sive credatur sive non, quod sicuti nobilissimum metallum, aurum, præ aliis maxime est ductile & aptum in quod operetur, ita & ex omnibus substantiis animatis perfectissima earum homo, maxime apta sit ad accipienda subsidia, incrementa, impressiones & mutationes; neque solum quoad corpus suum, verum etiam mentem & spiritum: & hic non solum quoad appetitum & affectus, verum etiam facultates ingenii atque rationis.

Nam quoad corpus humanum, invenimus multa miraque experimenta, quomodo naturæ imperet consuetudo, in illis etiam actionibus, quæ videntur maximè difficiles, & minimum possibiles. Primo in motibus voluntariis, quos voluntarios dicimus, videmus eorum primarios voluntarios non esse. In potestate mea est, & voluntate positum, currere: sed currere celerius, quam levitas aut dispositio corporis mei permittit, nec potestatis meæ est, neque voluntatis. Videmus industriam & exercitium saltatorum & Funambulorum mira præstare. Sic in dolorum tolerantia, qui creduntur adversari naturæ humanæ, varia suppetunt apud religiosos exempla, quantum perpeti possint demonstrantia; & probantia verum esse, quod Spartanorum pueri adeo severe virgis fuerint cæsi super altari, ut nonnunquam reddiderint animam; nunquam tamen ejularint. Si etiam transimus ad facultates illas, quæ magis adhuc viden-

tur involuntariæ; ut jejunium longum, & abstinentia, eique contraria voracitas: nihil omnino bibere, ferre frigus vehementissimum, & similia, non defuerunt, neque adhuc desunt, qui in his corporis sui demonstrarunt victoriam. Etiam in respiratione, ostenderunt quidam per continuum mergendi & operandi sub aquis exercitium, posse se ad spatium temporis vix credibile, continere halitum. Alii absque suffocatione tolerarunt præfocantem fornacis calorem aliis intolerabilem. Impostores etiam aliqui in varias contorserunt atque adegerunt corpora sua figuras; imo & aliqui in ecstases & raptus se transtulerunt. Quæ singula docent, quam varie, & in quam excelsis gradibus humanum transformari possit corpus. Si verò quispiam existimet, provenire ista ex secreta quadam naturæ proprietate, qua homines illi eò devenerint, neque unicuique licere eadem perficere, quanquam tentet; qua de causa etiam rari ejusmodi sint homines. Largior, majorem aptitudinem esse causam perfectionis, minorem verò non facere ineptum; magis aptus infans perfectus erit Funambulus, minus autem aptus erit funambulus gregarius. Neque dubitandum agilitates istas potuisse magis fieri communes; aliæ etiam aliorum generum, nondum tentatæ, potuisse addisci, ni modo duo impedivissent; prius est diffidentia, qua pro impossibilibus habentur. Hic enim valet illud Poetæ: *Possunt, quia posse videntur.* Nemo scit quantum possit, nisi etiam cre-

dat

dat se multa posse: posterius, quoniam istæ sunt exercitationes abjectæ, ingloriæ & utilitatis exiguæ, ideoque etiam sine prœmio ullo: quanquam multi laboris dolorisque.

Voluntas autem hominis flexilis est admodum & obediens, multamque admittens medicinam qua emendari & immutari queat. Hic principem occupat locum Religio, quæ apta nata est ad immutandam eam & transformandam, vel in ipsis profundissimis nec non maxime internis inclinationibus & motibus. Ei proxima est opinio & apprehensio, sive ex traditione vel educatione infusa; aut disputationibus seu suasionibus impressa. Exemplum deinde sequitur, hominis voluntatem in istius similitudinem transformans, quod communissimum est & familiarissimum. Quarto loco ponendum, quando affectus unus sanatur vel corrigitur altero, e. g. timiditas pudore & dedecore, torpor & pigritia indignatione & æmulatione, &c. Et denique quando hæc singula, aut unum ex istis, novam formarunt voluntatem, consuetudo & habitus corroborant & confirmant ista omnia. Mirum igitur non est, quod hæc animi facultas (voluntas seu electio) affectum & appetitum inclinans, cum sit tantum initium & rudimentum voluntatis, æque ac alia possit gubernari & formari; quoniam admittit tot diversorum remediorum accessum, quæ sibi applicari & in se agere possunt. Sunt etiam effectus hinc pullulantes tam multi tamque cogniti, ut

neque enumerare necesse sit: tantum quod vulgo instar medicamentorum in duo medelæ dispescant genera: horum justum & genuinum est unum, alterum palliatio vocatur vulgo. Vel enim intentio est reformare affectus realiter & revera, refrænando eos, si nimis sint vehementes, aut excitando, si nimis molles & infirmi. Vel contegere eosdem aut si occasio ferat, prætexere eos & ostentare. Primi generis multa in scholis Philosophorum, moralisque virtutis doctrina prostant exempla: Posterioris autem in principum aulis & omni civili commercio reperire licet; ubi moris est, non solum profunde dissimulare & suffocare affectus, ne ullum eorum prostet signum externum; verum etiam sunt vividæ simulationes & affectationes, eorum affectuum signa gerentes, qui revera non adsunt, ut *risus jussus*, *lacrymæ coactæ* &c.

Quæ sequuntur, notæ fuerunt indigestæ.

Facultates Intellectuales pauciora admittunt remedia, quam voluntas & corpus hominis. Exercitatio tamen, quæ antecellit reliqua, efficacius operatur in eas quam in alia. Praxis Philosophorum antiqua; *si quis quærat in utramque partem, de omni scibili.*

- Exercitium puerorum componendi versus ex tempore: *stans pede in uno.*
- Exercitium Juris studiosorum narrando memoriter.
- Exercitium Sophistarum ad opposita, cum effectu manifesto.

Arti-

Artificialem memoriam vehementer juvari posse exercitatione.
Exercitium Scurrarum, ad Cachinnos omnia trahentium.

Subsidia intellectus ejusque facultatum sunt, non exempla ut in voluntatem per conversationem; & hic cogitata de imitatione jam dum disposita cum refutatione (obiter si videbitur) *Tullii* opinione suadentis proponere sibi quempiam imitandum. Similitudo facierum expendatur. Artes: Logica, Rhetorica: Veteres, Aristoteles, Plato, Thæletus, Gorgias Litigiosus, vel Sophista, Protagoras, Aristoteles, Schola ejus, Topica, Elenchtica, Rhetorica, Organon, Cicero, Hermogenes. Neoterici, Ramus, Agricola. Nil sacri Lullius. Typocosmia ejus, Cooperi dictionarium, Mathei collectiones verborum Metaphoris aptorum: Agrippa de vanitate. &c.

Quæstion. annon hic de imitatione?

Collectiones præparativæ; Aristotelis similitudo ab officina sutoris, ubi calcei omnium generum: Demosthenis exordia concionum. Tullii Præcepta circa theses omnis generis præparativas.

Inniti exercitiis cum differentia utendi instrumento & temperandi. Similitudo præscriptionis contra leges naturæ & reipubl.

Positiones. 5.

1. Exercitia ad vivum formanda esse, i. e.

ut efficiant capacitatem in eo actionis genere, quo homo maxime opus habebit.

2. Indirecta & obliqua exercitia, quæ per partes & per consequentiam istas perficiunt facultates; quas fortassis directa exercitia terrent aut corrumpunt. Et hæc ibi præprimis locum habent, ubi facultas est infima, non per se, sed per accidens, ut, si defectus memoriæ proveniat ex levitate ingenii & defectu attentionis firmæ, tum mathematica fert opem sive lex: in his enim si vagari mens inceperit, redire vix potest.

3. Exercitiorum commoda; saltare cum calceis gravibus; incedere cum armatura gravi, & sarcinis: apud tardos vero & ineptos efficere alacritatem proponendo exercitia cum aliquo lucro & delectatione:

- - Veluti pueris dant crustula blandi
Doctores, elementa velint ut discere prima.

4. Cautelæ: præcavere actionem malam, (incipientes autem omnes male agunt) ne inveterata habitum inducat malum; & consuetudine confirmet: Festinatio in Citharâ.

5. Ordinatio & sequela scientiarum exercitiorumque: Logica & Rhetorica doceri debent post Poësin, Historiam & Philosophiam. Primum exercitium esto perficere aliquid bene & clare, deinde prompte & alacriter.

Exercitia in Academiis & triviis sunt memoriæ & inventionis; vel ut eloquantur fortiter, quæ verbatim sunt descripta in chartam

tam: vel extempore: cujus exiguus usus est in actionibus; plurima enim quæ eloquimur neque verbatim præmeditati sumus, neque mere extemporanei. Ideoque exercitium deberet fieri respirando paulisper, nec non meditando de summis rerum, atque tum formando sermonem extempore. Hoc autem fieret duobus modis; tum scribendo in pugillares, & absque illis. In plurimis enim actionibus licet breves describere notas, & si homo assuetus iis non fuerit, fallet ipsum memoria.

Usus memoriæ narrantis nullus est in Academiis videlicet cum circumstantiis temporum, personarum, locorum, nominum. Alia est disserendi ars, alia referendi s. narrandi & describendi. Hujus autem usus maxime est necessarius.

Ita etiam in summa referre & contrahere narrationem frequentis est usus.

Historia Henrici VIII.

POst mortem sapientis illius felicisque Henrici VII. Regis in summo prosperitatis suæ flore decedentis, sequebatur (ut solet post splendidum & serenum solis occasum) pulcherrimus regni ortus; qualis unquam hic visus est, aut alibi. Rex juvenis annorum 18. statura, robore, forma & pulchritudine, sua ætate maxime insignis. Deditus quidem erat voluptatibus, attamen & gloriæ erat cupidus. Patebat igitur menti ejus per gloriam ad virtutem aditus. Neque eruditionis erat expers, quanquam hic cede-

 bat

bat fratri suo Arthuro. Nullam omnino cum Patre suo aluit simultatem; ideoque & nulla fuit aulæ consiliorumque immutatio, sed omnia tranquille peragebat. Primus ipse erat *Albæ & Rubræ Rosæ* hæres: adeoque nemo male affectus reperiebatur, sed omnium in eum convertebantur corda. Non tamen corda solum, verum etiam oculi. Ipse enim unicus erat regni filius. Fratrem non habebat: licet enim is solatio esse possit Regibus, attamen & aliorsum inflectit parumper subditorum oculos. Maritus jam existens, spem fecit celeris in regno hæredis. Nulla hic Regina mater, quæ aliquam sibi in regimine vindicare potuisset partem; aut certare cum consiliariis ejus de authoritate, cum Rex intentus suis esset voluptatibus. Nullus hic potens aut ingens subditus, qui valuisset per ecclipsin obtenebrare aut obumbrare Potestatem Imperialem. Populus autem in genere atque status in tam submissa vivebant obedientia, qualis decebat eos, qui 25. annis vixerant sub prudentissimo Rege, istius Patre, per gladium intrante, omnes Regis prærogativas alacriter defendente, & semper rebelles seditiosamque plebem vincente. Thesaurus regius admodum erat dives, & regnum pares sperabat opes. Nullum enim erat bellum, caritas nulla, commerciorum intertrimentum nullum: Corona solummodo multa suxerat, atque nunc plene satiata, Regique juveni imposita, minus sitire credebatur. Tandem hæres etiam erat existimationis paternæ, per universum orbem

bem magnæ. Arcta colebat fœdera cum vicinis Rebuspubl. duabus, quarum altera vetus fuerat hostis, vetus amica altera, *Scotia* & *Burgundia.* Pacem & amicitiam exercebat cum Gallia, non tantum certitudine pacificationum & fœderum, verum & necessitatis & inhabilitatis sibi nocendi; Italiam enim totus intendebat Gallus. Vere igitur dici potest, vix multis annis visum vel cognitum tam elegantem concursum signorum felix & florens regnum undique promittentium, qualia in hoc Rege juvene commearunt à Patre Henrici VIII. nomen adepto. &c.


Tentamen de fama.

JUxta Poëtas monstrum est fama. Describunt enim ex parte eleganter & pulchre, ex parte autem severe & arbitrarie. Inquiunt: Aspice, quot pennas habet, tot etiam oculos habet infra; tot linguas, tot aures arrigit.

Hæc florida sunt. Sequuntur parabolæ insignes. Quod augeat robur, eundo super terram incedat, caput tamen suum nubibus inferat; interdiu excubias agat, plerumque autem circumvolitet noctu: facta infectaque canat: sit terror civitatibus magnis; sed quod reliqua superat, narrant, quod Terra, mater gigantum Jovem oppugnantium, ast ab ipso devictorum, irata postmodum pepererit Famam. Nam certum est Rebelles, per Gigantes adumbratos, & famam seditiosam libellosque famosos esse & fratres & sorores, masculino & fœminino sexu. Si igitur aliquis potest hoc domare monstrum, atque adsuefacere, ut ex sua lambat manu; & regere illud, ut eo supervolante nec non imminente aliis avibus rapacibus, occidat

cidat istas, foret operæ pretium.. Sed hactenus ex Poëtarum mente. Non aliud in Politicis thema minus tractatur, tractationem autem majorem requirit, quam Fama. Differamus igitur, quid falsa quid vera sit Fama, & quomodo quam optime discernantur: quomodo serantur & excitentur rumores, quomodo dilatentur & multiplicentur; & denique quomodo suffocentur & enecentur: aliaque.

Fama tantæ fortitudinis, ut vix aliqua magna sit actio sine ea, præsertim in bello. *Mucianus* vincebat *Vitellium* fama, quam sparserat. Vitellius proposuerat Syriæ Legiones mittere in Germaniam: & Germaniæ legiones transferre in Syriam; unde illæ vehementer incandescebant. *Julius Cæsar* improvidum aggrediebatur *Pompejum*, quem securum fecerat, & in belli apparatu negligentem fama astutè edita: ac si milites sui se minime diligerent & bellis fessi, Galliæque spoliis onusti se deserere vellent, quamprimum ingrederentur Italiam. *Livia* omnia constituebat pro successione filii sui *Tiberii*, edito semper rumore, *Augustum* maritum suum convalescere. Apud *Bassas* frequens est celare Janizaros Turcici Imperatoris mortem, aliosque milites, ne Constantinopolis exponatur prædæ & urbes aliæ, prout est mos eorum. *Themistocles* persuasit *Xerxi* ut cito exiret Græcia, fingendo, Græcos velle rumpere pontem ex navibus in Hellesponto structum. Sunt & alia sexcenta ejusmodi exempla: & quo plura sunt, eo minus ea recensere necesse est: nam reperiuntur ubique. Sint ergo æque rumores & fama curæ Principibus ac ipsæ actiones & consilia.



FINIS.